DIALECTICA IOANNIS CAESARII, VIRI DOCTISS. HERMANNI...

Johannes Caesarius, Johannes Murmel, ...



DIALECTICA IOANNIS CÆSARII, VIRI DOCTISS.

Hermanni Raiiani Vvelsdalij scholiis, necnon Henrichi Loriti Glareani Poëtæ annotationibus illustrata.

Accessit huic Ioannis Murmellij isagoge in decem Aristotelis Prædicamenta.

LVGDVNI,
APVD ANTONIVM VINCENTIVM.
M. D. LXVII.

AVTHORES QVI IN HOC Opuſculo citantur, hi ſunt:

EX GRAECIS

Plato
Ariſtoteles
Theophraſtus
Themiſtius
Cleomedes
Galenus
Nicephorus
Gilbertus Poretanus.
Porphyrius
Herodotus hiſtoricus
Diogenes Laërtius
Suidas
Athanaſius
Ioannes Damaſcenus
Georgius Trapezuntius

EX LATINIS

M. Cicero
Vergilius
Ouidius
Horatius
Perſius
Iuuenalis. Seneca
F. Quintilianus
C. Plinius Secund.
Victorinus
Higinus
Lactantius
Solinus
Ambroſius
Hieronymus
Auguſtinus
Seruius Sulpitius
Boëthius
Priſcianus Grammaticus
Donatus Grammaticus
Diomedes Grammaticus
Martianus Capella
Macrobius. A. Gellius
Iuſtinus hiſtoricus
Anſelmus
Alexander Hegius
Rodolphus Agricola
Laurentius Valla
Georgius Valla Placentinus
Eraſmus Roterodamus
Thomas Linacer
Lodouicus Viues
Iacobus Faber Stapulenſis
Iodocus Clichthoueus
Buredanus.

VIRO

VIRO MAGNANIMO IVXTA'QVE EGREGIE docto Vuilhelmo Riffenstein Ioannes Cæsarius salutem dicit.



I quando in mentem mihi uenit consuetudinis eius, qua tecum interim, cùm Stolbergæ agerem superioribus annis, non tam utebar, quàm fruebar, oppidò quàm familiarißimè, Vueilhelme uir magnanime, ac iuxta non uulgariter docte, uix mihi imperare possum, quin grauiter molestéque feram illius consuetudinis carentiam. Quippe quòd ea mihi nunc non perinde uti liceat, idq; propter locorum distantiam, quæ nos disiungit, (corporum tamen magis quàm animorum intercapedine) adeò ut facile mihi non fuerit, nedum commodum, tantum arripere iter: quoties me tui inuisendi cõueniendíque cupido inceßit tenétque. Hinc illa scilicet animi mei ægritudo. Siquidem nihil mihi per id temporis tantum solatij adferebat, aut tam iucundum erat, atque mutuus ille conuictus, ut in quo nulla propè alia de re confabulatio inter nos agebatur ultro citróque, atque id quidem super mensam præsertim, quàm de literis atque bonis artibus, & earum scriptoribus, magnis quidem illis & grandibus, eiusdémque claßicis magna ex parte, quos uocant, nec ijs tantùm, qui superioribus seculis claruerunt, sed & ijs pariter, qui nostra quoque tempestate clari habentur, inter quos primas Erasmo Roterodamo, & Philippo Melanchthoni uterque nostrûm uno quasi con-

 sensu

sensu adiudicare solebat. Loquor autem hîc non de his artiū scriptoribus & eruditis uiris, quos Germania nobis donat. Nam habent & aliquæ nationes suos, ut Gallia, ut Hispania, ut Britannia olim dicta, illis quidem si non superiores, certè nec inferiores, imò pares potius, & cum illis ueluti ex æquo comparandos: quod tamen nolim alicui odiosè à me dictum uideri. Taceo in præsentia de Italia, altera post Græciam bonarum literarum parente. At de hoc ad præsens satis superque, ut de quo tecum coràm quàm per literas agere malim. Quare illuc redeo, unde digressus sum. Adijciebat huic nostro tam suaui & iucundo conuictui non parum gratiæ, & (ut ita dicam) uoluptatis studiosum illud tuorum liberorum et aliorum quorundam ingenuorum adolescentum contubernium, atque unà cum his præceptor ipse siue pædagogus, alter quidem post alterum. Nam alter in alterius locum successit, ac uices eius subijt, facta scilicet prioris missione iuxta præscriptū tempus, sed honesta: uterque sane ut literis politioribus probè institutus, ita moribus non inelegantibus pulchrè præditus, quales utique & discipulos suos dedita opera reddere conabantur satagebantq;. Nec eos suus ille pulcher conatus fefellit interim, id quod literæ profectò ipsorum adolescentum, quas ad me aliquoties post abitum istinc meum in patriam dederunt, planè indicant, ac testes ut non falsæ, ita locupletes proferri possunt. Qua quidem in re Vuilhelme rarum admodum de te, & tamen utile, exemplum præbes, non modò priuatis hominibus quantumuis magnis & potentibus, sed & principibus quoque uiris, quod meritò imitarentur, utinámque imitentur. Quin & illud non minùs ad cumulum laudum tuarum accedit, quòd uiros probè doctos non tantum affectu &

animo

animo beneuolo ac fauore pleno prosequeris, sed & eosdem tibi (quorum saltem notitiam tibi habere ex praesentia contingit) beneficijs non uulgaribus conciliare ac deuincire studes. Quo & factum existimo (nisi tamen me mea fallat coniectura) ut Dialecticam suam idem Philippus breuem quidem illam, sed miro artificio conscriptam tibi nuncuparit, anno ab hinc tertio plus minus, ut uiro scilicet de se bene merito, ac sui in primis studioso. Quae certè causa est (sic tibi persuadeas uelim) ut & ego tibi meam, ubi illam nuperrimè recognoueram, ac paulò locupletiorem reddideram, nuncupare destinauerim, ac nuncupem: planè hac nimirum ratione potißimùm inductus, quòd ex literis Erhardi Holsatiensis, quas ille superioribus diebus ad me dederat, dum idem adhuc domi tuae tuorum liberorum praeceptorem agebat, intellexerā Dialecticam meam uel qualemcunque ipsius Philippi cura & subornatione publicè nunc praelegi atque doceri in Academia Vuittembergensi: unde dubitare nec possum nec debeo, quin libenti animo illam sis amplexurus, utpote tanti uiri calculo approbatam: non quòd ea ipsa tibi nunc usui sit, quem scio studijs longè grauioribus, si quando per ocium licet, uacare sedulò: sed unde tui, & illorum aequales prima illius aetatis rudimenta haurire ac percipere queāt. Bene uale, & quod facis, boni consule. Coloniae Idibus Iunij, anno à CHRISTI natali, M. D. XXXII.

PRIMARIIS, OPTIMÆQVE SPEI ADOLEſcentibus, Iulio & Siluestro Flaccis fratribus Hermannus Raijanus Vuelſdalius

S. P. D.



Nimaduerto multa verè & grauiter à M. Tullio grauiſsimo ſtudiorum humanitatis cenſore ſcripta eſſe, ſed illud multo veriſsimè & grauiſsimè ab eodem memoriæ proditum eſſe, meum ſemper iudicium fuit: Dialecticen & Rhetoricen miniſtras, comiteſque omnis eſſe ſapientiæ. Hæ enim ſunt artes, quib. ſublimiores diſciplinas omniúmque rerum magnarum cognitionem methodica docendi ratione & ornatè explanamus. Quibus à puero qui rectè inſtituti fuerũt, gradum ad grauiores diſciplinas tutò faciléque facere poſſunt, nec eas illotis (vt aiunt) manibus tractabunt. Habent enim ea adiumenta, quibus perfacilè, ingenij acumine accedente, ſenſa ſcriptorũ, quãtumuis abdita & abſtruſa aſſequi poſſunt, & ea diſertè copioſéque eloqui. Quæ duo non omnibus à principe rerum Deo indulta conceſsáque ſunt. Nam fieri poteſt, vt rectè quis ſentiat, & tamen id quod ſentit, politè eloqui non poſsit. Contrà verò, permulti accuratam & diligentem Latinè loquendi elegantiam habent, ſed in rerum obſcurarum ſenſum implicatum ac inuolutum penetrare nequeunt. At

magnæ

magnæ profectò dotis est, scripta aliorum dextrè intelligere: maioris, explicare posse: maximæ verò, optime de iis sentire: id quod nemini contingere posse ausim constanter asseuerare, nisi ei qui maiori quadam vi mentis præditus, artis dicendi, & disserendi præcepta per omnes numeros calluerit, quæ ab Aristotele & Cicerone ingenio, eloquentia, doctrina dissimilibus tradita, ad posteros magno studiorum emolumento peruenerunt. Hi sunt maiorum gentium scriptores, quorum fontibus minuti, tanquam minorum gentium, hortulos suos irrigauerunt. Cicero facilis, copiosus, sitientis lectoris animum non modò non explens, sed sitibundum à se dimittens. At Aristoteles perplexus, concisus, oscitantem lectorem fallens, præteriénsque. Itaque nemo non mediocriter literis tinctus, Ciceronem ob incredibilem lectionis voluptatem, & dictionis facilitatem minimo assequitur negocio. Verùm Aristoteles ob implicatam, sinuosamque orationem, Delio quodam natatore egere videtur, qui non in superficie natet, sed in profundum se immergat, & illas densas difficultatum tenebras discutiat. Quæ Trebatium Iurisconsultum (etsi studio ardentem) multósque alios à lectione Aristotelis reiecerunt. Nec id profectò mirum. Magni enim autores, quorum nomen est in illustri, pronunciare non dubitauerunt, dementiæ simile esse, si quis legendis libris Aristotelis, ipsius se speret consequuturum sententiam. Quinetiam ipse Aristoteles (ne longè abeamus) epistola ad Alexandrum scripta obscuritatem suam testatus est. Quã ita illustrare, vt τὴν ἀλήθειαν

πρὸ τῶν ὀμμάτων ποιεῖν videamur, perarduum esse videtur. Veréque à Plinio dictum est: obscuris lucem dare difficile est. Cæterùm illud mihi semper mirum est visum, cur Aristoteles mirandum in modum obscuritatem adamârit, cùm in Rhetoricis præcipiat ἡ πρώτη τοῦ λόγου ἀρετὴ, τὸ σαφές. Hoc est, Prima orationis virtus, perspicuitas est. Ad illud respondere quis poterit, illud Platonis verissimum esse, Difficilia quæ pulchra, omnémque artem doctorem luménque desiderare. Aristoteles autem (si Simplicio credimus) consultò obscuritati potiùs, quàm perspicuitati studere voluit, vt vulgus, quod authore Platone, est ἀχάριστον, ἀπαίδευτον, βάσκανον, à suis libris, in quibus arcana posteris tradiderat, procul arceret. Vulgus enim vt omnia quæ primoribus attigit labris, inuulgare solet: ita multa parùm rectè intellecta immundo contactu, tanquam Harpyiæ Vergilianæ, conspurcare & contaminare consueuit. Hæc immodica Aristotelis in omnibus, & præcipuè in Organo obscuritas, argumentum mihi suppeditauit, vt has breues notas in Ioannem Cæsarium conscriberem. Nam cùm neminem ex tam ampla philosophorum familia hac tempestate viderem, qui iustos in Dialectica Aristotelis (quód tamen eruditi viri scriptis polliciti fuerant) conscripsisset commentarios: existimaui me haud mediocre operæpretium facturum, si eum explicarem authorem, qui non tantùm proximè ad verba Aristotelis accessit, sed ea ῥητῶς, καὶ φανερῶς expressit. Quo fit, vt nostræ hæ quantulæcunque notæ non tam Cæsario, quàm ipsi Aristoteli lucem aliquam

interp

interpretationis ſint allaturæ. Quicquid enim in tenebricoſisſimis multorum commentariis, & quæſtionum plauſtris in Organum Ariſtotelis ſcriptis continetur, id compendio & dilucidè à nobis expeditur. Quemadmodum Plato Antimacho claro poetæ omnium auditorum inſtar erat: ita hæc noſtra ſcholiola multorum commentariorũ, quæ grandi cõparantur pecunia, vice fore ſpero. Ad hæc Cæſarius emendato & puro vſus eſt ſtylo, qui barbaris & inſulſis ſcriptoribus longè eſt præferẽdus. Summoperè enim cauendum eſt, ne rudes & impoliti puerorum animi fœda imbuãtur barbarie, quæ ſemel hauſta robuſtam etiá proſequitur ætatem. Quare ille σεμνῶς καὶ ἐπιφωνηματικῶς monet, οὐ μικρὸν οὖν διαφέρει τὸ οὕτως, ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ μᾶλλον δὲ καὶ τὸ πᾶν. Hoc eſt, Non igitur parum, ſed plurimum, quin potiùs totum refert, vtrum ſic, an ſecùs à puero aſſueſcamus. Denique Cæſarius poſt Ariſtotelem μεθοδικῶς huius artis præcepta pleniſsimè tradidit: quæ res mirificè diſcentium memoriam iuuat. Nec ſum neſcius: multos eximiæ eruditionis viros, poſt Ariſtotelem plenè doctéque in hanc artem ſcripſiſſe: quæ res me etiam, vt hoc labore ſuperſederem, inducere poterat. Nec enim euadam, ſcio, cõmunem ſcribendi ſortem malè audiendi: ſed quiſque ſuo ingenio & ſtudio delectatus, contempſit alium, & nouam docendi rationem excogitauit. Alij ornatui, & orationis amœnitati plus æquo indulgentes, verba inculcãt, rem negligunt: alij politioris orationis ſecuri, rem ſectãtur, ornatum ſpernunt. Vnde fit, vt neutri Lectori fa-

ciant satis. At verò perpauci, in hac præsertim arte, extiterunt, qui rerum magnitudinem iusta metirentur eloquentia. In quo genere etsi Cæsarius principem locum non tenet, vltimum tamen eum non tenere, doctorum calculo iamdudum comprobatum est. Nec tamen hæc eò dico, vt aut hunc omnibus præferam, aut cæteros de manibus excutiam. Quod sentio, ingenuè dico, vt iuuentuti compendiariam & facilem (qua incipientibus opus est) promouendi in literis, tanquam digitos in fontem intendens, rationem & viam demonstrē, liberum interim cuique suum relinquens iudicium. Hanc autem expeditam in studiis prouehendis rationem cum omnibus bene natis adolescentibus planè cognitam esse cupio, tum vobis fratribus in primis, partim propter vtriusque amabiles & probatos mores, peracre ingenium, flagrās studium, memoriam singularem, quæ omnia tanta in puerili vestra ætate sunt, vt virilem ætatē superare videantur, partim propter patris vestri amorem in me singularem, quo cum simulatque amicitiæ fores mihi apertæ fuerunt, vósque in meam disciplinam dedit, suæ liberalitatis effusissimè mihi fontes aperire non dubitauit. Est enim & vir probus, & literas literatósque vnicè amat, cui nihil est prius, quàm vos probissimos & doctissimos esse, omnísque in eo chari stat cura parentis. Huius probitatem, diligentiam, industriam vt imitemini, vos etiam atque etiam hortor. ὁ γὰρ βίος τῶν γονέων κάτοπτρον τοῖς παισὶν ἐστὶν, καὶ, ὥσπερ φήσιν οἱ νομοθέται, χρὴ κληρονομεῖν, ὥσπερ τῶν ἔκτως τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς ἀγαθῶν, οὕτω τῆς ἀρετῆς, καὶ καλοκαγαθείας· ἀμφοτέρων

φοτέρων. Hoc eſt:Vita parẽtum liberis eſt ſpeculum, & (vt aiunt Legumlatores) quemadmodum oportet liberos hæredes eſſe fortunarum parentum, ita etiam virtutis & probitatis vtriuſque. Adhæc patriam habetis Italiam,quæ inuentrix,nutrix, altrix omnium bonarum & magnarum artiũ ſemper extitit.Horum omnium exemplo moniti contendere & eniti toto animo debetis, vt vos aliquando in ſummo honoris & iuris ciuilis faſtigio(cui ætas veſtra deſtinata eſt) ſtare poſsitis.Nec committẽdum eſt,cùm omnia vobis tanquam diuina virgula ſuppetãt, ne amplitudini & maieſtati Italici nominis, & Flaccorum imaginibus non reſpõdiſſe videamini.Quamobrem pergite,& in id ſtudium, in quo eſtis,incumbite,vt vobis honori, parentibus vtilitati & Reipublicæ emolumento aliquando eſſe poſsitis.Valete.Lugduni ex Diuæ Trinitatis Gymnaſio.ἡ χάρις τοῦ κυρίου παντοκράτορος μεθ' ὑμῶν.

EIVSDEM

EIVSDEM HERMANNI RAIIANI VVESLDALII

ad eosdem fratres Epigramma.

DVm pueri ponunt linguæ fundamina prima,
Hinc premit exactor, torquet & inde labor.
At solidum postquam iuuenes nouêre laboris
Fructum, fit facilis, qui grauis antè, labor.
Felices Flacci, quibus hæc cognoscere primùm,
Inq; animo penitùs sculpere cura fuit.
Hæc morum splendor miris cum dotibus ornat,
Est quibus adiunctus gratus in ore lepos.
Nec mirum, claris Flaccis oriundus uterque:
Quos prætextatis moribus hi referunt.
Felices nostri memores uos uiuite Flacci:
Flaccorúmque memor, credite, semper ero.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς τοὺς αὐτούς.

Παιδείας ὀρθῆς κεφαλὴ χαλεπὸς, καὶ μεγάλου
ἐστὶ πόνου, καλῶς κρηπῖδα θεῖναι νέον.
Τρισμάκαρας νεάρους ὑμᾶς οὖν ἔμμεναι οἴω,
οἳ μεμαθήκατε δὴ, μήδεα πύκνα λέγειν,
Καὶ πράττειν λιπαρῶς, ἀνθρώπινα ἀγλαὰ δῶρα,
οἷα θεὸς πᾶσιν οὐκ ἅμα δῶκε βροτοῖς.
Σπεύδετε οὖν βραδέως νεανίσκοι· πολλὰς ἀθλώτη
ὑμετέρων σπουδῶν ὄρχαμος ἐσσομένη.
Ἑρμάννου ἐμέτευ μεμνήμενοι ἤματα πάντα·
Μνησάμενος καὶ σφῶν ἀμφοτέρων αἰδῶς.

DE DIALECTICES ORIGINE.



QVemadmodum animus noster tribus potissimum dotibus (ut Plato in Menone docet) ornatus est, intellectu, ratione, & sensu: ita triplex Philosophia his respondet. Quæ in cognitione rerum & naturæ explicatione posita est, intellectui respondet: hic enim est, quo abstrusas & abditas rerum causas inuestigamus. Huius partis Philosophiæ Plato in Timæo semina sparsit. Quæ in discretione rerum expetendarum & fugiendarum posita est, sensui respõdet. Nam hæc præcepta tradit, quibus mores formamus, & indomitos affectus regimus. Quod totum in operationibus humanis, quæ in sensus incurrunt, positum est. Hanc partem Philosophiæ Plato in libris de re publica, & alijs locis delineauit. Quæ quid cuique sit consequens & repugnans tradit, rationi respondet. Hac enim præcipuè utimur, cùm unum ex alio colligimus. Quod præcipuum est munus Dialectici.

De Dialectices scopo.

DIalectices negotium circa tria maximè uersatur; uoces simplices, enunciationes, ratiocinationes: idque iuxta triplicem intellectus operationem: simplicem, quæ uoces simplices: compositam, quæ enunciationem: & eam, quæ quid quanque rem sequitur, spectat. Huius rei sexto capite tertij libri de Anima, apud Aristotelem mẽtio est.

De

De discrimine Dialecticæ & Logicæ.

QVI προλεγόμενα artis alicuius tradunt, numerosas quæstionum series texere consueuerũt. Vnam quæstionem hoc loco breuiter attingã, de qua etiamnum docti inter se disceptant. Tempore Stoicorum Dialectica nomen imperfectæ artis erat. Nam Stoici (ut Cicero initio Topicorum ad Trebatium docet) iudicandi partẽ diligenter persecuti sunt, quam Dialecticen uocabãt. Inueniendi partem prorsus neglexerunt. Aristoteles deinde inueniendi partem adiecit, totámque artẽ absoluit, quam λογικὴν uocauit. Hac enim de re ipse Aristoteles ultimo capite secundi libri Elenchorũ gloriose gloriatur. Plato in Euthydemo paulò scrupulosiùs hæc seiũxit. Logica, inquit, ars est tradens regulas nominũ, orationum, argumentationum. Dialectica est sagax philosophantis indago, regulis his utens, ad rationes rerum inuestigandas, diuinarum præsertim. Et ideo Dialectica apud Platonem Theologiam significat.

Quid est Dialectica?

EST ars de qualibet re proposita probabiliter disserendi. Dialecticam artem esse ex artis finitione, & communi hominũ consensu condiscere facilè possumus. Ars, ut Cleanthes ait, est potestas, ordinem ac uiam efficiens. At Dialectica uiam & ordinem cæterarum disciplinarum tradendarum demonstrat. Est igitur ars.


Probabiliter.) Id proprium maximè Dialectici uidetur, ut finitio sylogismi Dialectici primo cap. 1. libr. Topicorum, monstrat: Διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος.

De qualibet re.) Si Dialecticus de qualibet re disseerit, uidetur ergo eum omnium rerum peritum esse debere. Dialecticus uiam & rationem de quolibet themate proposito tractando tradit: nec ipse omnium rerum est peritus. Qua de re Aristoteles omnium bonarum artium magister, ita pronuntiat libro primo priorum, capite trigesimoprimo: ἡ μὲν οὖν ὁδὸς κατὰ πάντων, ἡ αὐτὴ, καὶ περὶ φιλοσοφίαν καὶ περὶ τέχνην ὁποιανοῦν καὶ μάθημα.

Hunc locum ualde illustrat id quod Fabius Quintilianus ultimo cap. 2. lib. scribit: Orator non omnes causas nouit, & debet posse de omnibus dicere.

IN COMMENDATIONEM DIALECTICÆ, Pariterque & de eius vsu: &, vtrum Philosophiæ pars sit, necnon Ioannis Cæsarij.

PRAEFATIO.



Nter liberalia studia, quæ vulgò ita dicta sunt, authore Seneca, quod sint libero homine digna, non minima existimari cœterique debet Dialectica, ob id scilicet, quod cæteris artibus & disciplinis ancilletur quodammodo ipsa, & suum præstet obsequiū: cum interim nihilominùs & ipsa pars Philosophiæ & sit, & habeatur, quippe quæ proprium perinde ac reliquæ bonæ artes, finem retineat. Est autem hic inuentio iudiciúmque rationum, quemadmodum id tradit ac docet Boetius quoque, haud ignobilis apud Latinos Philosophus, vltimus tametsi (si Laurentio Vallæ credimus) eruditorum. Itaque hęc ars, quatenus quidem ipsa suum habet retinétque finē, ísque à sola philosophia consideratur, pars vtique philosophiæ ponēda est. Quatenus verò finis ille ad alias quoque philosophiæ partes suā pollicetur exhibétque operam, instrumentum ipsius philosophiæ, & sciendi ratio non ab re iudicata est. Quo etiam nomine tantò magis hæc ars amplectenda fuerit studiosæ iuuentuti. De qua quidem arte quanquā complures ante me, vt etiam post me quidā, tam ex Græcis, quàm ex Latinis hominibus non sine laude scripserunt: ex his tamen alij quidē adeò operosè atque prolixè,

prolixè, vt discentibus illam, aut etiam legentibus fastidium propemodum pariant: alij tanta vsi breuitate, vt eius rei institutioni neutiquam satisfacere probentur: partim ob artis subtilitatem, partim ob quorundam ingenia non ita prompta atque capacia: quidam verò tam confusè atque (vt ita dixerim) argutè, vt quãtum quidẽ ad ipsam institutionem attinet, maiorem in modum profuerit, eam artem non ex illis addiscere conari. Omitto nũc eos, qui de eadem arte scripserunt & ipsi quidem, verũ adeò barbarè adeóque inerudite, ne dicam insulse, vt si quis paulò liberaliùs institutus in eorum libros incideret, videlicet vt Dialecticam inde discere vellet, aut saltem pro explorato habere posset, qualisnam ars ea sit, is haud dubiè non tam authores tales, quàm artem ipsam contemneret protinùs, reiiceréţque. Hoc ipsum cùm ego tandem animaduertissem, expertus nimirum iam multò antè ea omnia, cœpi mecũ cogitare, quonam pacto huic tantæ molestiæ remedium qualecunque vel per me tandem afferretur, si modò iam scopum ipsum attigi: simúlque aggressus sum colligere in vnum hinc inde ex non contemnendis authoribus eius artis præcepta, sed summatim & per compendium, atque de his componere Tractatus aliquot, videlicet numero decem: quos & ita digessi atque disposui (si tamen iudicio isto meo non fallor) vt totius ferè artis vim in his comprehendisse videri possim, adeò, vt nihil quod ad artem ipsam pertinet, desiderari queat, nisi ab eo fortassis, cui non satis fuerit capita siue genera rerum, iuxta Ciceronis consilium,

percepisse atque tenere, per quæ reliqua ipse persequatur. Verùm non minùs vsus sum & ipse breuitate, iuxta Horatij in Arte doctrinam, sed temperata, vt citra fastidium atque magnum laborem studiosus lector Dialecticam ex hac nostra institutione facilè assequi posset, modò idem non sit auribus vsque adeò delicatis, vt elegantiam dictionis magis spectet & obseruet, quàm rem ipsam, quæ docetur ac traditur. Hunc ego velim priùs ipse secum expendat, atque animo reputet illum Manilij versiculum, quàm iudicium suum ferat nimis alioqui præceps, quo doctor ille studiosos artium admonitos esse vult, artes plerasque tales esse, vt non admodũ orationis elegantiam affectent, sed doceri contentæ sint. Versiculus autem ille huiusmodi est:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

At nunc etiam priusquam finem huic præfationi imponam, quorũdam grauissimorum authorum sententias breuiter subscribendas subiiciendásque existimaui, vt ex quibus intelligere etiamnum poterit diligens lector, qualisnam ars sit Dialectica, & quatenus in ipsa discenda immorandum sit: simul etiam vnde, & quomodo inuentio eius habeatur: tum verò, quòd præter hanc artem aliarum artium studia non sint contemnenda, contra falsum & temerarium aliquorum iudicium. DIXI.

Cicero in Bruto,

Dialectica (inquit) ars est, quæ docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, deinde distinguere, postremò

mò habere regulam, qua vera & falsa iudicantur, & quæ quibus propositis sint, quæque non sint consequentiæ.

Aulus Gellius cap.8.lib.16.

Dialecticæ, inquit, disciplinæ studium atque cognitio in principiis quidem tetra & aspernabilis, insuauísque esse, & inciuilis videri solet: sed vbi aliquantulum processeris, tum denique & emolumentum eius in animo dilucebit, & sequetur quædam discendi voluptas insatiabilis. Cui sanè si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, vt plerique alij, in illis Dialecticæ gyris ac mæandris, tanquam apud Syreneos scopulos consenescas.

Augustinus in libro de ordine,

Scientia argumentandi, diuidendi, definiendi, non ab hominibus pro abitrio instituta est, sed in rerum ratione comperta est.

Boëthius in eius libri principio, quem de syllogismis categoricis inscripsit,

Sed qui ad hoc opus (inquit) lector accedit, ab eo primùm petitum velimus, ne in his, quæ nunquam aliâs attigerit, statim audeat iudicare: néue, si quid in ludo puerilium disciplinarum rudis adhuc & nondum firmus acceperit, iam vt sacrosanctũ amplexandum, atque etiam colendum putet: alia enim teneris atque imbuendis adhuc auribus accommodata: alia firmis ac robustiorib. doctrina mentibus reseruatur. Quare si quid est quod discrepabit, ne statim obstrepat, sed ratione consulta, quid ipse sentiat, quid nos offeramus, veriore mentis acumine, & subtiliore consideratione diiudicet. Ita nanque

euenient, vt quæ in primo statim studendi aditu didicerunt, perspecta penitùs ac potiùs deprehensa contemnant. At si iam quisquis suæ scientiæ defensor cupidus esse malit (habent enim hoc quoque vitij homines, quos comprehendit vetus ac longa segnities, vt ab arreptis semel opinionibus non recedant: ne in senectute discendo, nihil vsque in senectutem didicisse videantur) si, inquam, malint vindicare quàm vertere, quæ vulgatis semel studiis imbiberunt, nemo expetit vt priora condemnent, sed vt maiora quædam atque altiora coniungant. Non enim vna eadémque diuersarum ratio disciplinarum, cùm sit diuersissimis disciplinis vna atque eadem subiecta materies. Aliter enim de qualibet orationis parte Grammatico, aliter Dialectico disserendum est. Nec eodem modo lineam vel superficiem Mathematicus, vel Physicus tractat. Quo fit, vt altera alteram non impediat disciplina, sed multarum consideratione coniuncta, fiat vera naturæ, atq; ex omnibus explicata cognitio. Hæc ille.

Quid sit philosophia, & item quid sapientia: similiter quid philosophus, & qualem eum esse oporteat, ex Alcinoo Platonico philosopho, de doctrina Platonis, interprete Marsilio Ficino.

PHilosophia est appetitio sapientiæ, vel solutio animæ à corpore, & conuersio quædam ad ea, quæ vera sunt atque diuina. Sapientia est diuinarum humanarúmque rerum scientia. Philosophus autem est,

est, qui à philoſophia nomen accipit, quemadmodum à Muſica muſicus. Et qui philoſophus futurus eſt, ab ipſa natura ſic inſtitutus eſſe debet, vt primò quidem ad omnia diſciplinarum genera facilis ac promptus exiſtat: deinde vt non iis quæ in fluxu uerſantur, ſed illis quæ ſemper eodem modo conſiſtunt, mentem adhibeat. Tertio loco, vt naturâ ſit verax, ab omni mendacio penitùs alienus. Quiſquis enim veritatis auidus, ad diuinorum contemplationem mentem conuertit, voluptates corporis parui pendit. Oportet præterea liberali animo philoſophum eſſe. Etenim rerum vilium æſtimatio homini veritatem rerum contemplaturo aduerſa eſt. Huius inſuper voluntas iuſtitiam diliget, quippe cùm veritatis, temperantiæ, liberalitatis ſtudioſus exiſtat. Adde quòd ingenij acumine atque memoria illi opus eſt. hæc nanque philoſophum virum perficiunt. Atqui hæ quidem naturæ dotes, cùm diſciplina atque educatio decens adhibita eſt, perfectum virtute virum perficiunt: verùm ſi neglectæ ſint, maximorum ſcelerum cauſa ſunt.

De tribus apud philoſophos diſſerendi generibus, ex præfatione Marſilij Ficini in librum de uoluptate.

TRia ſunt apud philoſophos diſſerendi genera. Vnum, quo certam aliquam quæſtionis partem diſputando defendimus atque approbamus: vt Peripatetici ac Stoici fecêre. Alterum, quo quæſtio-



ne propoſita, diuerſas ad id quod quæritur, ſententias rationéſque referimus, vt propoſitis pluribus, inuicémque collatis, quid ex his probabilius veriſimiliúſque appareat, eligamus: quo Academici ac Socratici penè omnes vſi ſunt. Tertium genus Scepticorum maximè proprium eſt, qui cùm omnia indifferentia eſſe putent, nec certum aut probabile habeant quicquam quod ſequantur, (ea enim, quæ naturæ ordini ſeiuncta diſtinctáque ſunt, confundunt atque permiſcent) ab excellentiſsimis quibuſque philoſophis reiiciuntur.

*

AD

AD PVERVM LIBERALIBVS STVDIIS operam dantem, hendecasyllabi parænetici.

Fac discas Dialecticen sititor
Syncerae puer eruditionis.
Quid nugae tibi proderunt canorae?
Quid cognoscere Pegasi uolatum,
Hortos Hesperidum, caput Medusae,
Stymphali uolucres, cruore Neßi
Infectam tunicam, nouas in auras
Tractum Cerberon Herculis catena:
Ni discreueris atra candidis, &
Falsis uera, probata fabulosis?
Fac discas Dialecticen sititor
Syncerae puer eruditionis.
Exacta haec ratióque differendi,
Disciplináque disputationum
Definire docet, secare totum,
Argumenta scienter explicare,
Enthymemata curta, syllogismos
Integros ratione congruenti
Informare loco, modo, figura:
Complecti generale singulatim,
Exemplo simili probare dictum.
Fac discas Dialecticen sititor
Syncerae puer eruditionis.
Haec ars uera docet, facit scientes,
Omnes in methodos uiam ministrat,

Instrumenta tenens scientiarum,
Illustrans genus omne disciplinæ,
A diuerticulis specúque rectà
Ducens ad speculationis arcem.
Hæc filum tibi Thesei dat, ut ne
Ingressus Labyrinthon impliceris.
Alcidæ quoque porrigit trinodem
Clauam: nec patitur deesse flammas,
Ne succrescat Hydræ caput recisum.
Fac discas Dialecticen sititor
Syncerae puer eruditionis.
Hac quicunque minùs peritus arte
Parui pendet eam, piliue fecit,
In mendacia lapsus & tenebras,
A recta ratione deuiauit:
Vt qui florigeris sudans in hortis,
In re constituit beatitatem
Nobiscum pecoriq́; belluisq́;
Communi: patientiam perosus,
Quem captum domuit tenax uoluptas.
Fac discas Dialecticen sititor
Syncerae puer eruditionis.
Olim floruit hac disertus arte
Inuenta domitor trucis tyranni.
Hac Zeno quoque Cittiæus alter
Vitæ concolor actione functus.
Aeternum benè nomen hac peritus
Chrysippus sibi comparauit, aure
Purgata, ingenioq́; perspicaci,
Adq́; unguem cumulans suos aceruos.
Hac & Carneades laboriosus
Purgans

Purgans elleboro capax cerebrum,
Et fortis schola tota Stoicorum,
Doctus Nicomachi pater, Platóque,
Immortale sibi decus tulerunt.
Hac Peringius eruditione,
Necnon & studijs poeticorum
Librorum iuuenes sacris Mineruæ
Imbutos polit, excolitque: nostram
Qui sortémque uicißitudinémque
Expertus tibi Paule militauit,
Magna Saxoniæ docens in urbe.
Hinc ludêre tibi, deinde rursus
Paulo militat inclyto labore,
Sic fortuna uices suas rotauit.
Fac discas Dialecticen sititor
Syncer æ puer eruditionis.
Sed uitanda tibi libido quædam
Rixandi puerilis, ingeníque
Ostentatio uana, & aucupatus
Fluxæ gloriosæ: suis sophistæ
Mæandris rapidum diem terentes
Gryphis, tendiculis, strophisque ludant,
De lana quoque litigent caprina:
In uanisque libris recentiorum
Tanquam Lotophagos apud tenaces,
Syrenum scopulósue consenescant.
Te fili studiose metientem
Fac tempus iuuet expeditiori
Maturóque gradu uiam secare,
Quantum de Logicis sat est, acuto
Commendare animo: dehinc uacare

Morali sophiæ, sacræq; libris
Scripturæ, ut fieri queas beatus,
Et ueræ pietatis admonere
Multos, iustitia ualens & arte,
Sic uotum superi tuum secundent.
Fac discas Dialecticen sititor.
Syncere puer eruditionis.

FINIS.

Instrumentum totius philosophie dicitur
haec dictio quia omnes partes ipsius
ea utuntur in sua ipsius operatione
definiendo dividendo et ratiocinando.

[illegible]

Status est [illegible] argumentum a
praedicamentis

[illegible]

praedicamenta omnia non sunt voces simplices nam
[illegible] animal rationale composita
sunt quia tamen unicum [illegible]
dicuntur simplicia esse /

[illegible]

DIALECTICAE IOANN. CÆSARII TRACTATVS PRIMVS.

Qua ratione à prædicabilibus initium huius artis tentandum sit, licet in ea omnium minima sint prædicamenta.

QVemadmodum qui legendi, & lecta rectè intelligendi callem quærunt, primùm quidem elemẽta ac literas discunt, inde ad syllabas transcendunt: à syllabis autem ad dictiones perueniũt, & deniq; ad orationẽ ipsam: ita qui totius philosophiæ instrumentum, hoc est, disserendi artem, quam διαλεκτικὴν Græci uocant, expetunt, in prædicamentis dignoscendis in primis erudiri debent, inde ad interpretationem progredi, ab interpretatione demum ad syllogismorum ferri figuras. Decem nanque prædicamenta tanquam elementa sunt quædam, quippe quæ simplices sunt uoces, & disiunctæ, & per sese duntaxat inspectæ. Verbi gratia: Substantia, quantitas, ad aliquid, qualitas, ubi, quando, facere, pati, compositum esse, habere, & quæ sub ipsis sunt, ut species sub ipsis generibus, & quæ ex ipsis diuisa, ut quæ specificæ differentiæ appellantur. Ve-

rumenimuero cum prædicamentorum ratio haud ita facile à quouis percipiatur citra cognitionem prædicabilium, quam certè & ipse Porphyrius prædicabilium author ad Chrysaorium scribens, etiamnum necessariam esse iudicat, non solùm ad eam quæ est apud Aristotelem, prædicamentorum doctrinam intelligendam, uerùm & ad alia quædam, nempe ad diuisionem, ad definitionem, & ad demonstrationem: quæ tria potissima sunt ad comparandas disciplinas instrumenta, utpote cuius gratia hanc artem inuentam esse constat. De ipsis prædicabilibus (quæ uocantur) priùs quàm breuissimè dicẽdum est, simulq; ab his initium huius artis tentandum.

RAIIANVS.

Quemadmodum.) Propositio, quæ per similitudinem docet methodum in arte disserendi obseruandam.

Decem nãque.) Boni authores id quod simplex, & rei alicuius initium est, subinde elementum vocant. Sic decem illa genera rerum quia simplicia & initia huius artis sunt, elementa μεταφορικῶς dicuntur. Ita Florus lib. 1. cap. 1. hoc nomen vsurpauit. Ita ex variis quasi elementis, cõgregauit corpus vnum, populum Romanum ipse fecit.

Disiunctæ.) Sinuosa & perplexa quæstio fuit apud tenebrosos sophistas, quomodo decem genera rerum distinguerẽtur. Hæc paucis ex Peripateticorum schola sic expedienda est. Prædicamenta ratione & non re ipsa distincta sunt: omnia enim ad substantiam veluti ad fundamentum referuntur. Nam in homine omnia genera summa spectare possumus, quæ singula suis notis distinguuntur.

Et per

Et per se duntaxat inspectæ.) Hic locus in speciẽ difficilis aliquid negotij lectori facessit. Cuius hũc puto sensum esse: Decem illa genera vt ordinem & classem prædicamenti constituunt, per se cõsiderantur: sed vt ex iisdem pronunciata conficiuntur, ad aliud referuntur, nimirũ ad ipsam propositionem.

Vt species sub ipsis generibus.) Ex hoc loco colligere facile possumus, speciem & differẽtiam in eo ordine reponi, in quo illorum genus: vt animal est in substantia, in qua est homo, brutum, particeps rationis, expers rationis.

Verumenimuerò.) Respondet tacitæ quæstioni. A quinque vocibus est incipiendum, quia hæ conferunt ad sequentium cognitionem. Est ordo doctrinæ & naturæ. Hæc quinque vniuersalia sternunt viam ad sequentia: & simplicia sunt.

Etiamnum.) Porphyrius statim in vestibulo suæ introductionis, quam ad Chrysaorium discipulum suum scripsit, quadruplicem proponit quinque vniuersalium vtilitatem. Conferunt ad prædicamenta, quia hæc ex vniuersalibus componuntur.

Ad finitionem.) Quia omnis finitio si plena & perfecta est, ex genere & differentia conflatur.

Ad diuisionem.) Quia diuisio est generis in species per differentias diductio.

Ad demonstrationem.) Quia demonstrationis terminus medius est finitio alterius extremi: vt si dicas, Omnis multitudo ex vnitatib. collecta, est par vel impar. Omnis numerus est multitudo ex vnitatibus collecta. Ergo est par vel impar. Quo fit, vt hæ voces his quatuor perutiles sint.

GLA

GLAREANVS.

(Quemadmodum.) Huius præfationis summa est: In omni disciplina ab Elementis ordiẽdum est: Sed decem prædicamenta, sunt Dialectices Elementa: Ergo ab eis ordiendum est. Sed quòd hoc minus factum sit à Cæsario, hęc causa fuit. Nam quicquid ad cognitionem alterius ita valet, vt sine ipso ægrè alterum intelligatur, id ipsum præcedere debet. Sed cognitio prædicabilium est huiusmodi: ergo cognitio prædicabilium cognitionem prædicamentotorum præcedere debet. Minor patet per Porphyrium in Isagoge.

Prædicabile quid sit.

Prædicabile igitur uox est, quæ de pluribus uniuocè prædicari potest, ut genus, ut species, ut differentia, ut proprium, ut accidés. *Horum enim unumquodque tam uoce quàm ratione eadem de pluribus prædicari natum est: id quod de singulis paulò pòst proprio uniuscuiusque locò latiùs explicabitur. Quo fit, ut indiuiduum prædicabile dici non poßit, nisi impropriè: quippe quod de uno solo prædicatur tantùm, ut Socrates: quæ uox de ipso tantùm Socrate prædicatur. Quæ eadem tametsi de alijs quoque compluribus prædicatur, id certè iam non uniuocè, sed æquiuocè fit. Veluti si Catonis nomen de utroque Catone, Censorio atque Vticensi: & de tertio item illo prædicaretur: de quo Iuuenalis Satyra secunda, Tertius è cœlo cecidit Cato. si modò tertius aliquis fuit. Prædicabile igitur aliud quidem propriè tale dicitur, aliud uerò minus propriè.*

RAIIANVS.

Prædicabile.) Id quod eſt apud Ariſto. τὸ καθόλου, id eſt apud Dialecticos recētes vniuerſale, vel prædicabile. Neque quorundam immodicam diligentiam, quæ (autore Plinio) plerunque obeſſe ſolet, probo: qui nimium anxiè & curioſè vniuerſale & prædicabile ſeparant, nullo nitentes neque autore, neque firmo argumento. Ariſtot. lib. 1. de interpret. τὸ καθόλου ita finit, λέγω δὲ καθόλου, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. Vniuerſale eſt, quod de pluribus prædicari natum eſt.

Prædicabile eſt vox.) Simplex & rei exiſtentis ſignificatiua: nam quæ complexa ſunt, & rem exiſtentem non ſignificant, in numerum quinque vocum non veniunt: vt homo ſtudioſus, τραγέλαφος.

Vniuocè.) Hoc loco vniuocè prædicari latiùs ſumitur, pro eo quod ſecūdum rationem eſſentialem vel accidētariam de ſuo inferiori dicitur. Quo ſenſu proprium & accidens vniuocè dicuntur.

Horum enim.) in hunc locum obiici ſolet ille locus, qui eſt apud Cæſarium vltimo capite huius tractatus in communitatibus. Commune eſt omnibus prædicabilibus prędicari de pluribus vniuocè pręter accidens. Locus ille turbauit multorū ingenia. Dicam paucis quod ſentio. Accidens non prædicatur vniuocè, hoc eſt, non æqualiter: quia dicitur de ſuis inferioribus ſecundum magis & minus. Reliqua quatuor vniuerſalia ex æquo de ſuis inferioribus dicuntur. Idque ex communitatib. Porphyrij cōſtat. Et ſic locus ille hunc nullo modo oppugnat: nam vniuocè dici, alio & alio modo ſumitur.

GLAREANVS.

Prædicabile igitur.) Prædicabile propriè sumptum, idem est quod vniuersale. Sed differunt hæc duo in hoc, quia prædicabile definitur per dici de. Vniuersale verò, per esse in. Est enim prædicabile, quod aptum natum est dici de pluribus. Vniuersale verò, quod aptum natũ est esse in multis. Vt homo, si cõsiderabitur vt de pluribus indiuiduis prædicatur, tunc prædicabile dicitur: si autem considerabitur, vt est in pluribus communis natura æquè participata, tunt dicitur vniuersale.

De eo, quod Differens, & quod Idem dicitur: tum quot modis vtrunque dicatur.

Sanè de pluribus prædicari dupliciter contingit. Aut enim de pluribus numero differentibus: aut de pluribus differentibus specie. Proinde paulò altius repetendum hoc loco, atque dicendum breuiter, Differens quot modis dicatur: tum quod huic ex aduerso respõdet, Idem. Ita fiet haud dubiè, ut quæ sequuntur, planiùs percipi queant. Sciendũ igitur, quòd differens tot modis dicitur, quot modis dicitur idem. Idem autem tripliciter dicitur. Nam aut genere, aut specie, aut numero idem alicui quippiam dicitur. Et genere quidem eadem dicuntur, quæcunque sub eodem genere continentur proximo: ut homo & leo sub animali. Specie uerò, quæcunq; sub eadem specie continẽtur: ut Socrates & Plato sub homine. Numero porrò eadem quatuor dicuntur modis: nẽpe aut nomine, ut Marcus & Cicero, aut definitione, ut homo & animal rationale, aut proprio, ut homo & risibile: aut accidente, ut mel, & ipsum

ipsum tum flauum, tum dulce. Hinc *iam colligitur, & Differens ab alio quippiam tripliciter dici: genere, specie, & numero. Genere quidem differentia dicuntur, quæ sub diuersis sibi proximis generibus continetur: ut homo & quercus. Siquidem homo sub animali proximo sibi genere, & quercus sub arbore, itidem genere proximo continetur. Specie uerò differentia dicuntur, quæcunque sub diuersis continentur speciebus: ut* Alexander *&* Bucephalus*: quippe* Alexander *sub homine*, Bucephalus *uerò sub equo continetur.* Quin *& specie differentia dicuntur ipsæ inter se species diuersæ, tametsi unius generis species sunt: ut homo leo, bos, equus, &c.* Numero *porrò differentia dicuntur, quæcunque in numerando, hoc est, dum numerantur, inter se differunt: ut* Socrates *&* Plato. Nam *cùm dixit quispiam,* Hic Socrates *est, & item,* Hic Plato *est: duas iam fecit unitates, unam in* Socrate*, in* Platone *alteram.* Atque *ita non eadem in* Socrate *unitas numerata est, quæ in* Platone*: sed altera atque altera, & per hoc numero tantùm differunt* Socrates *&* Plato.

RAIIANVS.

Sanè.) Hoc caput de differente & eodem Cæsarius præponit: quia adfert aliquid lucis finitioni generis & speciei, in quibus fit mentio differentis. Totum hoc caput nititur hoc principio & elemento topico: Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis & alterum: sed idem & differens opposita sunt: ergo si idem dicitur tribus modis, etiam differens.

Et genere.) Si quis obiiciat: homo est sub animali proximo genere, & leo sub bruto: ergo non sunt

ſub eodem genere proximo. Submouere hunc ſcrupulum poteris, & dicere hæc exempla ex ſexto capite primi libri Topicorum ſumpta eſſe. Tempore autem Ariſtotelis hoc nomen brutum, quod apud ipſum ἄλογον eſt, impoſitum non fuiſſe. Quare homo & leo ſub animali proximo genere erant.

Numero porrò.) In his quatuor modis, quibus aliqua numero dicuntur eadem, illud diligenter obſeruandum eſt, propriè ea eſſe eadem numero, quæ nomine & finitione eadem ſunt. Et ſic intelligendum eſt hoc principium, cùm dicimus: Quicquid conuenit vni eorum quæ eadem ſunt, etiam conuenit alteri. Id verum eſt de his, quæ ſunt eadem numero, nomine & finitione. Cuius rei diſertè & nominatim nos commonefacit Ariſtotel. ſexto cap. primi libri Topicorum, his verbis: μάλιστα δὲ ὁμολογουμένως τὸ ἓν ἀριθμῷ, ταυτὸν παρὰ πᾶσι δοκεῖ λέγεσθαι. εἴωθε δὲ καὶ τοῦτο ἀποδίδοσθαι πλεοναχῶς, καὶ κυριώτατα μὲν καὶ πρώτως, ὅταν ὀνόματι ἢ ὅρῳ τὸ ταυτὸν ἀποδοθῇ καθάπερ ἱματίῳ λώπιον, καὶ ζῷον πεζὸν δίπουν ἀνθρώπῳ.

Specie verò.) Specie aliqua duobus modis differunt, quæ ſub diuerſis ſunt ſpeciebus, vt Alexander & Bucephalus: quæ inter ſe diuerſæ ſpecies ſunt, vt homo, equus.

Numero porrò.) Differre numero hoc loco dicuntur, non ea quæ diuerſum conſtituunt numerum, vt binarius, ternarius: ſed quæ per ſe exiſtunt, & diuerſa ſunt, vt indiuidua ſpeciei ſubſtrata. Quibus verbis facilè Ammonij obiectionem diluere poſſumus: Homo dicitur de Cicerone & Marcel-

lo:

lo: Cicero vnus est, Marcellus vnus est, sed vnum non differt ab vno numero (nam vnitas non est numerus) Ergo Cicero & Marcellus non differunt numero.

De genere, quid sit, & quomodo diuidatur.

Genus cùm multipliciter dicatur, authore Victorino (dicitur namque & parens, & patria: hinc illud Vergilij, Vnde genus ducis? Item & cuiuslibet rei qualitas: ut si dicas, Cuius generis uestis est?) una tamen eius significatio est, secundum quam prædicabile fit, similitudine uidelicet à primo illorum trium significatorum sumpta, & à philosophis hoc pacto definitur: Genus est, quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur. Vel sic: Genus est uox, quæ complures sub se species, easdémque inter se diuersas continet, amplectiturq́; de quibus & in eo quod quid est, prædicatur: ut animal de homine, de leone, & equo. Nam si quæratur, quid est homo, quid leo, item quid equus: rectè conuenienterque de unoquoque horum respondebitur, quòd animal est. Animal igitur de homine, de leone, & de equo, in eo quod quid est, prædicatur. Atque hæc ipsa inter se specie differunt, tametsi sub animali, ut sub genere proximo, continentur. Diuiditur autem genus in genus generalißimum, & genus subalternum. Genus generalißimum est, supra quod non est aliud superueniens genus. Atque id quidem in unaquaque prædicamentorum serie ita obseruatum est, ut sit aliquod supremum, quod proinde à quibusdam generalißimum, ab alijs principalißimum, aut (quod Laurentio Vallæ magis probatur) summum genus dicitur, ut

substantia, quantitas, ad aliquid, qualitas, &c. de quibus licet ens prædicetur, genus tamen ad nullum horum dici potest, quoniam non uniuoce, sed æquiuoce de ipsis prædicatur. Definitur rursus & hoc modo: Genus generalissimum est, quod quum sit genus, non potest esse species: ob id quidem, quòd species (ut paulò pòst dicetur) ea est, quæ sub aßignato genere ponitur. Genus uerò subalternum est, quod cùm sit genus, potest uicißim & species esse. imò uerò quicquid continetur inter genus generalißimum, & speciem specialißimam, genus subalternum dici potest.

RAIIANVS.

De genere.) Inter quinque vniuersalia genus primum locum tenet. Est enim vniuersalius & prius. Vniuersalius, quia omnia alia suo ambitu complectitur. Prius, quia eo sublato cætera corruunt. Est autem genus prius specie, non tempore (quia relata sunt) sed natura. Nam genus est speciei principium finitiuum. Omnia vniuersalia in numerum quinarium recidere, Trapezuntius pulchre docet: Quicquid de alio dicitur, aut in quid est, aut quale est, dicitur: si primum, est genus vel species: si secundum, & secundum essentiam, est differentia: si secundum accidens, est proprium vel accidens.

Similitudine.) Vt parens est principium productiuum prolis, & patria conseruatiuum: sic genus est principium finiens suas formas.

Genus est quod.) Vt genus philosophicum constituatur, tria omnino sunt necessaria: Vt de pluribus dicatur: nam omnis generis, inquit Aristoteles, sunt plures species. Genus ergo non potest existere nisi

nisi in pluribus formis, species infima etiam in vno indiuiduo existit: vt sol, mundus, Phœnix. Deinde vt de specie differentibus: postremo, vt in quid est dicatur.

Et de his quæ specie diff.) Ea quæ sint, dictum est.

In eo quod quid est.) Ea in quid enunciantur, per quæ apte ad quæstionem per quid est factam, respondemus. Autor Aristoteles 4. cap. 1. libri Topic.

De quibus.) Subnotio tacitæ obiectionis. Ens non est genus, si ad omnia prædicamenta referatur: nam de illis dicitur æquiuocè. Nomen enim entis est tantùm commune omnibus prædicamentis, ratio verò est diuersa. Est enim ens (autore Trapezuntio) quod per se subsistit, vel alteri inhæret. Per se subsistere, ad substantiam: alteri inhærere, ad accidens referendum est. Sed hîc quidam acerrimè digladiantur, obiicientes nobis Aristotelem secundo cap. 4. libri primæ philosophiæ: τὸ δὲ ὂν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕν, καὶ μίαν τινὰ φύσιν, οὐχ ὁμωνύμως, & cætera. Hoc est, ipsum ens dicitur quidem multis modis, sed ad vnum & vnam quandam naturam, non æquiuocè. Ad quem locum Aristotelis paucis dicendum est: Ens vt ibi sumitur, neque omninò vniuocum neque æquiuocum esse, sed secundum analogiam & proportionem dici.

GLAREANVS.

In hoc capite tria dicuntur. Primum, quot modis Genus accipiatur. Secundus, quid sit Genus prædicabile. Tertium, quæ eius diuisio.

Genus cùm.) Porphyrius dicit Genus tripliciter

accipi. Primo modo, pro collectione quorundam, qui ad vnum aliquod principium habent respectum: vt, Heraclidæ ab Hercule duxerunt genus, & vnum sunt genus. Secundo modo, pro generationis principio: vt patre, patria, id est, loco natiuo. Orestes igitur genus habet à Tantalo, & Plato genere est Atheniensis. Tertio modo, pro eo cui supponitur species.

Quoniam non.) Non vniuocè, non vna ratione. Priùs enim de substantia dicitur Ens, quàm de accidente: id est, reliquis nouem prædicamentis. Et hæc est prima rerum diuisio in Substantiam & Accidés, secundum illud vulgare carmen:

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo diuisit, quicquid in orbe fuit.

Id est, in substantiam & accidens. Porrò accidens diuiditur in nouem reliqua.

De specie, quid sit, & quomodo diuidatur.

Speciei quoque multiplex est acceptio. Nam præter cætera eius nominis significata, uniuscuiusque rei forma siue pulchritudo species dicitur: hinc speciosos dicimus, qui forma sunt liberaliori: unde & formosos eosdem appellamus interim. Species item dicitur, quæ generi subijcitur: secundum quam significationem à philosophis accipitur, definitúrque hoc modo: Species est, quæ de pluribus & differentibus numero, in eo quod quid est, prædicatur: ut homo de Socrate & Platone, & ut nostræ religionis uocabulis utar, de Petro item & Paulo. Definitur rursus species, ea quæ sub aßignato genere ponitur. quæ quidem speciei definitio tam speciei specialißimæ, quàm speciei

ciei subalternæ communis est: prior uerò tantùm conuenit speciei specialißimæ. Sciendum itaque, quòd ut genus suprà diuisum est in genus generalißimum, & genus subalternum: ita & species nunc diuiditur in speciem specialißimam, & speciem subalternam. Species quidem specialißima est, quæ cùm sit species, genus esse non potest: quippe quòd sub se species alias non habeat, ut homo, sub quo indiuidua tantùm continentur. Species uerò subalterna est, quæ & genus & species esse potest, ad aliud quidem & aliud sumpta: cuiusmodi ea omnia sunt, quæcunque media sunt inter genus generalißimum & speciem specialißimam: id quod subscripta figura luce clariùs indicabit.

RAIIANVS.

De ſpecie.) Etſi differentia ordine naturæ eſt prior ſpecie, tamen quia genus & ſpecies relata ſunt, ſimúlque exiſtunt & ſe tollunt, rectè poſt genus ſequitur ſpecies.

Species eſt.) Hæc ſpeciei finitio infimæ ſpeciei conuenit. Quare particula Tantùm, vel ſimilis eſt intelligenda. Nam animal etiam de numero differentibus dicitur, ſed non tantùm. Hoc loco quæſtio exiſtit: Homo dicitur de maſculo & fœmina, quæ ſpecie differre videntur, quocirca homo non poteſt eſſe infima ſpecies. Hanc obiectionem ſubmouet Ariſtot. penultimo capite decimi libri primæ philoſophiæ. Differentia ſpecifica ſumitur à forma eſsẽtiali: mas & fœmina ſexu, & non forma eſſentiali differunt. Qua de re videndus eſt etiam Ariſtoteles 1. capite ſeptimi libri de hiſtoria animalium. At Rodolphus Agricola ait: Homo ſi ad indiuidua referatur, non ſpecies ſed genus eſt. Id eſt

intelligendum de genere locali. Nam vt à ſpecie ad genus affirmatiuè colligimus, ita ab indiuiduo ad ſpeciem. Et vt à genere ad ſpeciem negatiuè, ita à ſpecie ad indiuiduum negatiuè, colligimus, Vt: Iuſtitia eſt, ergo virtus eſt. Virtus non eſt, ergo non eſt iuſtitia. Sic, Fabius eſt, ergo homo eſt. Homo non eſt, ergo Fabius non eſt.

GLAREANVS.

De ſpecie.) Summa huius capitis eſt: Duæ ſunt ſpeciei acceptiones. Prior pro forma vniuſcuiuſque rei: altera pro ea quæ ponitur ſub aſsignato genere. Et huius poſterioris ſex ſunt definitiones.

De indiuiduo, quid ſit, & quot modis accipiatur.

SEd & interim de indiuiduo pauca adijcere liceat. Siquidem præter eam ſignificationem, qua id eſſe definitur, quod de uno ſolo particulari prædicatur, idq́; multis modis, ut Socrates, & hoc album, & hic ueniens, & Sophroniſci filius, ſi ſolus & unicus ei Socrates extitit filius: alia eius à Ioanne Damaſceno ſignificata produ͞tur. Nam & quod inſecabile prorſus & indiuiſibile eſt, indiuiduum dicitur: ut punctum, & temporis momentum, quod & nunc quoque dicitur. & ipſa nimirum unitas, ſimiliter & mens: & quod difficulter ſub ſectionem uenit, ut adamas, & quicquid tale eſt. Præterea indiuiduum dicitur & ſpecies ſpecialißima, quòd in alias ſpecies uidelicet non diuidatur. Sed ex his omnibus prima illa indiuidui ſignificatio propria huic loco & peculiaris eſt, quod & quidam ita interpretantur, ut ipſum aſſerant ex quibuſ

quibusdam proprietatibus constare, quarũ collectio nunquam in alio quolibet eadem erit. Quarum item & numerum, & nomina quidam hoc uno uersiculo comprehendit,

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

Sciendũ insuper, quòd indiuiduũ in ea significatione, quæ primo loco posita est, & propriè ita dicitur, in rationalibus creaturis personæ nomine nonnunquam designatur. Vnde & Boethio in libro de duabus naturis in CHRISTO, *ita definitur: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Quanquam & hic Valla reclamat, nec nisi inuitus illam personæ definitionem admittit. Græci eandem nunc* πρόσωπον, *nunc* ὑπόστασιν *appellat.*

RAIIANVS.

Dictum est capite superiore, speciem de indiuiduis tantùm dici: nunc igitur quid indiuiduum sit, explicat. Prima hæc indiuidui descriptio vocibus propriè conuenit, quarum est prædicari. indicat autem triplex indiuiduum. Determinatum, quod rem certam significat. Ex demonstratione, cùm terminus communis cum pronomine demonstratiuo sumitur. Ex hypothesi indiuiduũ, quod per se est commune nomen, sed facta suppositione de vno tantùm dicitur: vt Nicomachus, filius Aristotelis, si fingamus eum vnicum filium Aristotelis fuisse.

Vt ipsum asserant.) Secunda descriptio, quæ reb. propriè cõuenit: hæc insigne discrimen inter indiuiduum & vniuersale continet. Nam vniuersale est ex ęquo in omnibus indiuiduis. At proprietates in-

diuidui in nullo ſunt numero eædem. Vnde nõ poſſumus non mirari principem rerum Deum, qui in tam numeroſa hominum copia nũquam duo indiuidua per omnia ſibi ſimilia effinxit. Qua de re caput extat memorabile apud Plinium libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ. Inquit enim, iam in facie vultúque noſtro, cùm ſint decem aut paulò plura mẽbra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere, quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando.

FIGVRA.

Subſtantia

Corporea	Corpus	Incorporea
Animatum	Animatum corpus	Inanimatũ
Senſibile	Animal	Inſenſibile
Rationale	Rationale animal	Irrationale
Mortale	Homo	Immortale

Socrates, Plato, Ariſtoteles, Cato, Cicero. Vergil.

Figura.) Hæc figura ſeriem prædicamẽti ſubſtantiæ aperit. Ea autem aſſcribitur: quia veritas magis fide oculata, quàm per aures animis hominum infigitur, vt Iuſtinianus §. finali, de gradibus cognationum, docet.

GLAREANVS.

De indiuiduo.) Magna concertatio eſt inter Dialecticos, quod ſit verũ & ſufficiẽs indiuiduationis principium, id eſt, origo & cauſa: quod natura aliqua communis, & pluribus participabilis, fiat ſingularis, & incommunicabilis, vt homo: de quo quæritur, quomodo fiat hic homo, id eſt Socrates, vel Petrus. Huius cauſa à diuerſis varia proditur. Albertus

Magnus

Magnus ait, materiam esse causam indiuiduationis. Aegidius à Roma, quātitatem. Thomas verò Aquinas, causam ait materiam, propria signatam quantitate. Scotus verò appellat differētiam indiuidualem, id est, formalem quandam rationem, ex hoc & hoc indiuiduo natam. Quidam hæccoitatē vocant. de his autem Thomæ opinio firmior esse videtur.

De triplici differentia.

Differētia uerò cōmuniter, propriè, & magis propriè dicitur. Communiter quidē differentia dicitur, qua alterū ab altero alteritate quadam differt solùm. Alteritate inquam, hoc est, qualibet ratione ab altero diuersum. Qua quidē differentia Xenocratem ab Aristotele differre Plato iudicauit, ut author est Diogenes Laertius, quod hic quidem præcipiti & acri ingenio erat: ille uerò tardo atq; hebeti. Haud dißimile illi est, quod & Cicero III. de Oratore lib. de Isocrate refert: Isocrates doctor (inquit) singularis dicebat se in Ephoro calcaribus, contrà autē in Theopompo frenis uti solere. Alterum enim exultantem uerborum audacia reprimebat, alterū cunctātem & quasi uerecundantem incitabat. Quin & hac ipsa differentia à seipso quispiam differt puero olim, & iam uiro, & faciente nunc aliquid, cùm antea quiesceret. Quo sanè modo apud Vergilium de Hectore in alium quasi hominem mutato, Aeneas inducitur ita loquens: Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore? Propriè uerò differentia dicitur, qua alterum ab altero differt accidente inseparabili: quomodo is, qui oculos habet cæsios, ab eo differt, qui tales non habet. Magis autē propriè differētia dicitur, qua alterum ab altero differt non accidente quopiā siue separabili, siue inseparabili, sed substātiali qualitate:

quæ

quæ & ipse nimirum uniuscuiusque rei ratio est. Itaque ab equo homo differt rationali qualitate. Siquidem homo rationalis est, equus uerò irrationalis. Præterea ut hæc speciem à specie differre facit, unde & specifica differentia dicitur: ita superiores duæ indiuiduum ab indiuiduo separant, quæ ob idipsum accidentariæ, siue aduētitiæ differentiæ dici possunt. In uniuersum igitur omnis differentia alteratū facit, sed quæ specifica dicitur, ultra id quod alteratum facit, aliud quoque facit, atque ita differentiæ communes quidem sunt quibus omnes aut ab alijs, aut à nobisipsis differimus. Propriæ, quæ uniuscuiusque indiuidui formam aliqua naturali proprietate depingunt. Magis autem propriæ, quæ in substantia ipsa permanent, & uniuscuiusque rei rationem explicāt, & speciem à specie disiungunt.

KAIIANVS.

Differentia.) Differentia arctiùs cum genere & specie cohæret, quàm propriū & accidens (nā differentia ad essentiam pertinet) ideo differentiam proprio & accidenti præposuit. Differentia communis nihil aliud est, quàm accidens separabile. Sic dicta, quia communiter multis inest. Propria differētia est accidens inseparabile. Dicta propria, quia determinato & proprio inest subiecto. Differentia magis propria est qualitas essentialis, qua species à se inuicem separantur: vt particeps rationis. Et harum differentiarum magna est nobis penuria. Propterea his destituti, proprijs & accidentibus vtimur.

Quæ & ipsa.) Ipsa differentia magis propria sumpta scilicet cum genere, est finitio speciei. Vt cōsentaneum rectæ rationi, sumptum cum habitu animi, finit

finit virtutem. Est enim virtus habitus animi rectæ rationi consentaneus.

Vniuscuiusque.) Hoc est, alicuius. Notæ vniuersales in finitionibus sępe pro particularibus sumūtur,

In vniuersum.) Omnis differentia facit alteratū, hoc est, vel secundum essentiam vel secundum accidens speciem à specie separat: sed differentia magis propria facit aliud, hoc est, cum genere sumpta speciem constituit, finitque.

Atque ita.) Epilogus totius capitis.

GLAREANVS.

De triplici differentia.) In hoc capite duo facit. Primò differentiæ triplicem ponit acceptionem, ex Porphyrio. Secūdò illas acceptiones comparat, vt deinde sequenti capite eliciat differentiæ acceptionem, vt est prædicabile.

De ea, quæ specifica differentia dicitur, quid sit.

Differentia ergo quæ magis propria & specifica dicitur, & proinde tertium facit prædicabile, ea est: qua species (ut dictum est) à specie differt, & hoc modo definitur. Differentia est, *quæ de pluribus & differentibus specie, in eo quod quale quid est, prædicatur: ut rationale de homine & de* Deo, *si* Porphyrio *credimus, qui tam* Deum, *quàm hominem animal esse opinatus est, idque magis* Platonicorum *sententia, qualis & ipse erat, quàm secundum ueritatem.* Est *igitur (sed id exempli caussa nunc admittatur solùm) &* Deus *& homo animal rationale, sed à* Deo *homo separatur mortalitate, quòd homo*

homo quidem mortalis sit, Deus autem immortalis. Rursus autem & hoc pacto definitur, Differentia est, quæ diuidit atque dispescit ea, quæ sub eodem genere posita sunt: ut rationale hominem separat ab equo & leone, cæterisq; animalibus omnibus, quæcunque rationis expertia sunt. Aßignatur item & hæc eius descriptio. Differentia est, qua species genus superat: ut homo, quatenus est & rationalis & mortalis, animal superat exceditque. Siquidem nihil horum actu animal est, licet potestate nõ has solùm habeat differentias, sed & his oppositas. Diuiditur autem huiusmodi differentia, quæ & per se & specifica, & per hoc magis propria differentia dicta est, quòd hæc quidem genera diuidit in species, illa uerò species constituit & informat. Omnis quippe differentia generi adueniẽs, constituit speciem: ut cùm rationale additur animali, hominem protinus constituit, quæ species animalis esse dignoscitur. Vnde & hæc proinde constitutiua differentia dicitur, quemadmodum illa, quæ genera in species secat, differentia dicitur diuisiua. Sciendum tamẽ, quòd eadem differentia & diuisiua dici potest, & constitutiua: diuisiua quidem generis, constitutiua autem speciei.

RAIIANVS.

Differentia est.) Prima descriptio differentię specificæ, quam & ad differentiam speciei subalternæ & infimæ porrigere possumus: illa de differentibus specie vel numero, vt sensibile: hæc de numero differentibus solùm dicitur, vt (doctrinæ causa) rationis particeps.

Differentia est quæ diuidit.) Multi & graues interpretes

terpretes hanc descriptionem conuellere & labefactare conati sunt, eò quòd Porphyrius idē per idem finire videatur. Huic obiectioni sic obuiā ire oportet: Porphyrium nō finiuisse idem per idem, sed datam esse descriptionem per proprium effectum differentiæ, qui est distinguere. Proprius autem effectus non est idem cum eo, cuius est effectus.

Differentia est qua species.) Hæc descriptio plusculum habet difficultatis, cuius hic planus & expeditus est sensus: species superat genus per differentiam, quia species cōtinet actu in sua finitione eam differentiam, quam genus in sua diuisione: vt particeps rationis, differentia est in hominis finitione, & in animalis diuisione tantùm. At dixerit aliquis: Genus superat speciem per differentiam, ergo species non superat genus. Vtrunque superat vtrunque, sed diuerso sensu: species superat genus actu, genus verò (vt Porphyrius ait) speciem potentia.

Diuiditur.) Duplex est munus differentiæ specificæ: diuidere genus, & finire speciem. Eadem enim differentia diuidit genus, & finit speciem.

GLAREANVS.

De ea quæ specifica.) In hoc capite tres definitiones specificæ differentiæ ponuntur ex Porphyrio, quartam Porphyrius addit. Differentia est, inquit, qua differunt à se singula. Neque enim species differunt secundum genera, sed secundum differentias.

In eo quod quale.) Differentia prædicatur in Quale, genus autem & species in Quid. Interroganti enim, Quid est homo? respondetur, animal.

Sed

Sed si roges, Quale animal? respõdetur per differentiam, rationale. Hîc scire lector debet, apud veteres omnes nullam omnino speciei specialissimæ differentiam fuisse notam. Nam rationale putârunt subalternæ speciei differentiam, non speciei specialissimæ. Vt igitur generis & speciei duæ sunt definitiones, ita duarum differentiarum: vt generica differentia sit, quæ de pluribus & specie differentibus prædicetur in quale quid sit: specifica autem differētia sit, quæ de pluribus & numero differentibus prædicetur. Hāc omisit Porphyrius, quia eius nullum exemplum dare potuit, quando spoliauit hominem propria differentia, quæ est rationale.

Qui generis & speciei diffinitiones probè tenet, is etiam differentiæ diffinitiones facilè expediet. Nam differentia est duplex: vna generica, quæ de pluribus specie differētibus, in eo quod quale quid est, prædicatur, vt sensibile: altera specifica, quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quale quid est, prædicatur: vt rationale secundum veritatē. Differunt ergo, vt superius & inferius: & habent prædicationem qualitatis, cùm genus & species substantiæ.

Qua species genus superat.) Superat, Græcè est περιττεύει, id est, abundat, inquit, Porphyrius. Ideo autem species abundat à genere, quia homo habet actu differentiam rationale: animal autem duntaxat potentia habet idem rationale. Nam inferiora includunt superiora actu, superiora autem cōtinent inferiora duntaxat potestate.

De

De proprio, quot modis dicatur, tum & quot modis dicatur commune.

PRoprium uerò quatuor dicitur modis. Primo nanque proprium dicitur, quod soli alicui accidit speciei, etsi non omni: ut homini medicum esse, aut Geometram. Secundo, quod omni quidem accidit, sed non soli: quemadmodum homini esse bipedem, quando & auibus perinde id accidit. Tertio, quod soli quidem, & omni, uerum non semper: ut omni homini & soli homini accidit in senectute canescere, licet Aristoteles & Plinius id etiã equis tribuant. Quarto, quod soli, & omni, & semper: quemadmodum homini ridere, idq́; potestate tamen magis & aptitudine, quàm actu. Siquidem omnis homo, & solus, & semper risibilis est, licet non semper rideat. Sanè ut proprium his quatuor modis dicitur, ita commune, quod proprio quodammodo opponitur, quatuor dicitur modis. Commune quippe dicitur, aut quod in partes diuisibile est, ut ager communis pluribus: aut quod in usu communi positum est, à diuisione prorsus immune, ut seruus pluribus communis, & equus, & puteus: aut quod in occupando proprium factum est, alioqui commune: ut in templo aut theatro locus communis est omnibus, priusquã occupetur, occupatus uerò proprius fit occupanti: aut quod æquè omnibus sese præbet, ut uox præconis, aut alterius cuiuspiam concionantis docentisue.

RAIANVS.

Proprium.) Cùm apud philosophos proprij mentio fit, proprium quarto modo, quod insigne proprium est, intelligimus. Reliqui enim modi proprij

in accidentis classem reiiciuntur. Proprium hoc quarto modo, omni, soli & semper speciei accidentaliter inest. Cuius ratio est, quia à principiis essentiæ oritur. Hæc autem principia, vt animal & rationale, respectu hominis, omni, soli & semper insunt speciei. Quare etiam proprium Aristotelis 1. cap. 5. libri Topicorum quatuor etiam modos proprij constituit, qui ad hos reduci possunt.

GLAREANVS.

Commune quippe dicitur.) Hæc de communi præceptio, non tam ad Dialecticum pertinens, atque Iurisperitum, consultò omitti potest. Voluit enim videri aliquid noui inuenisse, quod Petrus Hispanus non docuisset.

De accidente, quid sit, & quomodo diuidatur.

Accidens est, quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Definitur rursus & hoc modo: Accidens est, quod contingit eidem inesse: ut homini album esse, & non esse album, & sedere: & non inesse, & stare. Quin & aliter hoc pacto: Accidens est, quod neque genus est, neque differentia, neque species, neque proprium, semper autem in subiecto subsistens est. Diuiditur autem accidens: aliud nanque separabile est, aliud inseparabile. Separabile quidem, ut dormire. Inseparabile uerò, ut nigrum esse in Aethiope & coruo, & candidum in cygno & niue. Accidens porrò tam separabile quàm inseparabile, aliud naturaliter tale est, aliud extrinsecus aduenit. Naturaliter quidem, ut pueritia, iuuentus, senectus: extrinse-

trinsecus autem, ut sedere, aut si qua cicatrix obducta uulneri occalluerit.

RAIIANVS.

De accidente.) Accidens in vniuersum duobus sumitur modis. Primo, pro omni eo, quod non est substantia, scilicet, pro nouem prædicamentis accidentium. Et sic accipitur in ea peruagata diuisione Aristotelis: quicquid est, vel est substantia, vel est accidens. Secundo sumitur accidens pro eo, quod potest adesse subiecto & abesse à subiecto, pręter subiecti interitum.

Accidens est.) Existimo tot esse interpretamenta ad hanc finitionem allata, quot hominum opiniones & sententiæ sunt. Ego vehementer probo id, quod doctis placuisse video: id est, Duæ hæ priores accidentis descriptiones, accidēs tantùm separabile complectuntur. Tertia verò descriptio & accidens separabile & inseparabile continet. Id si recipimus, iam subuertimus subruimúsque omnes omnium importunorum sophistarum importunas, ineptas, ridiculas cauillationes. Nec erit recurrendum ad eam monstrosam (vt sic dicam) subintellectionem, quam Porphyrius ex veterum philosophorum sententia commemorat: quæ multa monstra, portenta, in nobili philosophia peperit. Ego semper modū illum intelligendi, calorem sine igne, & coruum esse album, valdè suspectum habui. Putauíque esse magis ingeniosam, quàm necessariam subtilitatem.

Accidens quod neque est.) Hæc tertia descriptio

per negationem aliorum vniuersalium assignata est. Est autem sic accipienda: Accidens neque est genus, neque species respectu sui subiecti, cui inhæreret. Potest tamen accidens esse genus vel species, respectu suorum inferiorum: vt color, si ad parietem referatur, est accidens: si ad albedinem & nigredinem, est genus. Qua in re multi pueriliter hallucinantur.

GLAREANVS.

De accidente.) In hoc capite tres sunt accidentis definitiones, & duæ diuisiones.

Accidens est, quod neque.) Accidens si comparatur ad suum subiectum, primam habet definitionem. Sin ad suam causam, de eo datur secunda definitio. Sin ad quatuor alia prædicabilia, vltima ei conueniet definitio.

Quomodo accidentis definitio intelligenda sit, cum solutione dubitationis.

Superest ultima huius tractatus pars, quam & aggredi iam certum erat, nisi nos remoraretur dubitatio haud facilis, expendenda interim, examinandáque, & discutienda priùs. Ea autem huiusmodi est: Si accidens est, quod adest & abest absque eius, in quo est, interitu: quî fieri potest, ut ex accidentibus aliud separabile, aliud inseparabile statuatur? Nam quod inseparabile est, id abesse non potest. Sanè huic dubitationi Porphyrius ita paucis satisfacere uidetur, quòd ait exempli caussa, coruum

posse album subintelligi, & Aethiopem candore nitentem, præter utriusque corruptionem interitúmque. Verũ *hoc ipsum* Boethius *paulò altiùs repetit, dicens:* Nam *quoniam sunt accidentia inseparabilia, in his definitio uidetur conuenire non posse.* Sed *hæc (inquit) tam uehemens quæstio soluitur hoc pacto: quòd hæc ipsa definitio de accidentibus facta est potestate, non actu: intelligentia, non ueritate.* Age *igitur, quoniam* Aethiopi *color niger* w *auferri non potest, animo eum & cogitatione separemus, erit tum color albus* Aethiopi, *non tamen species consumpta est.* Ita *quoque, si à coruo nigredinem abstuleris imaginatione, permanebit tamen auis, nec species interebit.* Ergo *quod dictum est, adesse & abesse, non re, sed animo intelligendum est.* Quod *tamen in his, quæ speciem constituunt, haud ita se habet: ut si ab homine rationalitatem auferas, quam licet actu separare non poßimus, tametsi uel animo, imaginationéue disiunxerimus, statim peribit hominis species.*

GLAREANVS.

Quomodo accidentis defin.) Soluit obiectionem multis verbis, quam Porphyrius vno. Obiectionis Enthymema sic formari potest: Accidens est, quod abest & adest præter subiecti corruptionem: Ergo nullum accidens erit inseparabile. Probatur consequentia: Quia quod est inseparabile, non potest abesse subiecto. Pro solutione, notandum, quòd inseparabile accipitur tribus modis. Primo contradictoriè, quod nullo modo separari potest, nec re, nec ratione: vt differentia hominis, Rationale. Alio modo priuatiuè, quod non re, sed ra-

tione est separabile: & sic proprium Risibile est inseparabile. Tertio modo contrariè, quod & re & ratione separabile est, sed difficulter: & proinde inseparabile dicitur, quòd contrariam habeat qualitatem. Hæc ferè Boëthius secunda editione in Porphyrium.

De communitate prædicabilium inter se, & differentia: item eorum à se inuicem.

Commune est omnibus prædicabilibus de pluribus prædicari: ut (exempli gratia) Genus quidem de omnibus sub se contentis speciebus & indiuiduis, de quibus omnibus & constitutiua cum primis differentia prædicatur. Species autem de his solùm, quæ sub ea continentur, indiuiduis. Proprium uerò & de specie cuius est proprium, & de eiusdem speciei indiuiduis. Porrò accidens & de speciebus pariter & indiuiduis, sed principaliter quidem de indiuiduis: secundo uerò loco & de ijs, quæ continent indiuidua, hoc est, speciebus ipsis. Quemadmodum è diuerso, proprium principaliter quidem de specie, cuius est proprium, at secundo deinde loco, de illius speciei indiuiduis: ut risibile esse, prius quidem & principaliter de homine prædicatur: posterius uerò & secundo loco de Socrate & Platone, cæterisque particularibus hominibus. Commune item est omnibus prædicabilibus, præter accidens, uniuocè prædicari de quibus prædicantur. Differunt autem à se inuicem prædicabilia, quòd alia quidem prædicantur in eo quod quid est, ut genus & species: alia uerò in eo quod quale quid est, aut quomodo

se habet

ſe habet quippiam, id quod de pleriſque accidētibus quæritur: ut ſi quis interroget, quomodo ſe habet Socrates? tum quis rectè reſponderit, quòd aut ambulat, aut diſputat: ſin uerò interroget quiſpiam, qualis eſt Socrates? aptè fortaßis reſpondebit alter, quòd ſapiens eſt. Ergo differentia, proprium, & accidens, præſertim inſeparabile, in eo quod quale quid, prædicantur. A ſpecie item genus differt, quòd genus quidem prædicatur de pluribus & ſpecie differentibus: ſpecies uerò de indiuiduis, & numero differentibus tantùm. Et differentia à proprio & accidente differt, quòd differentia quidem prædicatur in eo quod quale quid eſt, ſecundum rei ſcilicet eſſentiam: proprium uerò & accidens ſecundum rei potiùs inhærentiam. Demum proprium ab accidente differt, quòd proprium quidem conuerſim prædicatur de eo, cuius eſt proprium: accidens uerò minimè. Hactenus de quinque prædicabilibus uocibus, reſtat nunc ut prædicamenta aggrediamur.

RAIIANVS.

De communitate.) Expoſita breuiter natura cuiuſque vniuerſalis, duo ſunt quæ hîc Cæſarius docet: alterum, in quo quinque vniuerſalia conueniant: alterum, in quo differant.

Commune.) Hanc communitatem ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς docet.

Sed principal.) Accidens dicitur primò de indiuiduis, deinde de ſpeciebus: contrà verò proprium primò prædicatur de ſpecie, ſecundo loco de indiuiduis.

Commune eſt autem.) Hic locus quomodo ſit intelligendus, initio à nobis dictum eſt.

Et differentia à differentia.) Huic loco ex diametro aduersari videtur id, quod scribit Aristot. 2. capite septimi libri Topi. Quæcunque locum habent in finitione, in quid est enunciantur: At differentia locum habet in finitione: Ergo in quid prædicatur. Sic & ex priore sensu difficilis, sic submouendus est: Differentia in quid prædicatur, quia indicat rei essentiam: in quale autem dicitur, quia per eam recte ad quæstionem factam per quale respondemus.

GLAREANVS.

Alia verò in eo quod quale quid est.) Genus prædicatur in quid confusum, species in quid determinatum, differentia in quale essentiale, proprium in quale accidentale, sed conuertibile: accidens in quale accidentale, non conuertibile.

IN

IN TRACTATVM SECVNDVM, IN QVO DE

prædicamentis agitur, & primùm ostenditur quid sit prædicamentum, & cur ita appelletur,

PRAEFATIO.



DE prædicamentis deinceps scripturus, operæpretium facere uidebor, si, quid sit prædicamentum, priùs exposuero: ne nominis uis ipsum lectorem ad illorum iam cognitionem properantem, longiùs æquo remoretur, utpote nondum perspecta, dum tamen interim quid sit, scire laborat. Prædicamentum igitur est (ut & à Trapezuntio definitur) terminorum, qui secundum nullam complexionem dicuntur, naturâ rerum ordinatio. Quæ diffinitio, ut mihi quidem uidetur, hunc habet intellectum, quòd prædicamentũ nil aliud est, quàm series quædam terminorum incomplexorum, quatenus ex his naturâ id est ratione rerum alij alijs subijciuntur, alij de alijs prædicantur. Cæterùm nomen prædicamenti dictũ hinc esse uidetur, quòd de omnibus prædicantur decem numero prædicamenta, uelut ipsorum uocabulorum elementa quædam. Quo nomine & Quintilianus ea uocat, & approbat Laurentius Valla, quòd sensus scilicet cæterorum uocabulorum ad ista, tanquam ad elementa & principia referantur, ob eámque rem (ut idem ait) genera quoque dicuntur, quòd ex his cætera significata gignantur, quorumq; nullum alio superius est aut alteri genus, sed ipsa

genera sunt principalia, imò uerò, si sic dicere licet, principalißima genera. Quoniam uerò eorum quæ prædicantur, alia quidem prædicãtur æquiuocè, alia uniuocè, alia uerò denominatiuè: ab æquiuocis igitur & uniuocis & denominatiuis, necnon & ab alijs quibusdam, quæ Antepræadicamenta à recentioribus dicũtur, ut ea quæ sequuntur ipsorum prædicamentorum traditionẽ, Postprædicamẽta ab eisdem appellantur: uocibus quidem nouis, at non adeò improprijs, hunc ipsum tractatũ auspicari conuenit.

RAIIANVS.

In præfationem) Aristoteles primus omniũ decem constituit κατηγορίας, quæ à Quintiliano lib. 3. cap. 7. elementa dicuntur, à Boethio prædicamenta. Est autem κατηγορέω verbum forense, & accuso, damno propriè significat. Deinde aliò transfertur, & alterum de altero enũciari significat. Vnde κατηγορία prædicamentum nomẽ generale. Cæterùm ne aliquid erroris in vocabulo relinquatur, prædicamenti nomen distinguendum est. Prædicamentum quãdoque pro supremo genere sumitur: & sic dicimus decem esse prædicamenta. Quandoq; pro ipsa serie generum & specierum: & sic accipitur, cùm dicimus, homo est in prædicamento substantiæ: virtus in prædicamento qualitatis. Postremò pro quouis vocabulo communi.

Quoniam verò.) Ex hoc loco sumitur diuisio eorum quæ prædicantur. Quædam prædicantur vniuocè, hoc est, cùm ratio de eodem dicitur, de quo ipsum nomen: vt virtus dicitur vniuocè de iustitia, quia & nomen virtus, & eius finitio dicitur de iustitia. Quædam prædicantur æquiuocè, hoc est, cùm nomen

nomen dicitur de aliquo, ſed ratio nõ eadem de eodem: vt κλεὶς nomen dicitur de inſtrumẽto quo reſerantur & claudũtur oſtia, & de maſſa illa carnea, quæ eſt ſub collo boum. Quam Latini palearia vocant, ſed ſecundum diuerſam rationem. Quædam prędicantur denominatiuè, hoc eſt, à quibus ſubiecta aliquam ſumunt appellationẽ, vt iuſtus, fortis.

GLAREANVS.

Quæ antepraedicamenta.) Tria ſunt antepraedicamenta in genere. Definitio, diuiſio, ac regula. Sed ſunt ſeptem in ſpecie: quia tres definitiones, duę diuiſiones, duæ item regulæ. Antepraedicamenta autem dicuntur, quòd cõducant à priore in notitiam verorum praedicamentorum, ex parte cognoſcentis, non cognoſcibilis. Poſtpraedicamẽta ſunt quinque, vt poſtea patebit: & valent ad notitiam praedicamẽtorum à poſteriore, quia ad cognitionem proprietatum praedicamentorum.

De æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis.

AEquiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundum nomen uerò ratio ſubſtantiæ diuerſa: ut animal homo, & quod pictum eſt, hominis tamen ſpeciem interim referens. Horum ſanè utrique nomen commune eſt ſolum, nempe animalis: at uerò ſubſtantiæ ratio ſecundum ipſum nomen alia atque alia. Vniuoca uerò dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ſecundũ nomen ratio ſubſtantiæ eadem, ut animal, homo, & quod eſt equus. Horum neq; unumquodq; (homo inquã, & equus) animal eſt, & animalis quoque rationem, hoc

eſt,

est, definitionem suscipit: quæ quidem est substantia animata sensibilis. Denominatiua *porrò dicuntur, quæcunque ab aliquo, nempe ab ipso principali, solo casu differentia, secundum nomen habent appellationem: ut à fortitudine fortis, à Grammatica Grammaticus. Hìc iam illud addendum, quòd nomen in his definitionibus non solùm pro ea orationis parte, quæ à Grammaticis prima consideratur, sed & pro cæteris orationis partibus perinde accipitur. Nomen itaque hoc loco accipiendum, ut sit omnis rerum per uocem significatio, id est, omne uocabulum.*

RAIIANVS.

De æquiuocis.) Antequam Aristote. singula prędicamenta excutiat, quædam præfatur quæ vulgò Antepręd icaměta, vocabulo magis vsu trito, quàm Latino dicuntur, eo quòd aliquid lucis prædicamétis adferant. Primò finiũtur æquiuoca, quia decem prædicamenta æquiuoca sunt respectu huius nominis Prędicamentum. Hæc descriptio complectitur æquiuoca æquiuocata, hoc est, plura eiusdem nominis significáta diuersa. Ipsum nomen ęquiuocum æquiuocans dicitur. Vt animal viuum & animal pictum, sunt æquiuoca æquiuocata animalis. Per substãtiæ rationem intelligimus finitionem tam essentialem quàm accidentariam. Nam in accidentibus æquiuoca sunt: vt clarum in voce & clarum in coloribus, sunt æquiuoca clari. Id Aristoteles docet decimotertio cap. 1. libri Topicorum.

Dicuntur.) Hoc ait, quia res per se æquiuocæ nõ sunt, nisi id à cõmuni nomine habeant. Voces enim dicuntur, res verò sunt.

Solùm

Solùm.) Particula ſolùm, duobus modis ſumitur. Primùm, cùm vnum ſignificamus aliquid: vt, ſolus eſt mundus, hoc eſt, vnus eſt mundus. Secundò, cùm ſignificamus diuiſionem quandam: vt, ſola eſt mihi veſtis, nō etiam toga. & ita hic ſumitur. Aequiuocis eſt ſolùm nomen commune, hoc eſt, nō etiam nominis finitio. Ex deſcriptione æquiuocorum nullo negotio vniuoca intelliguntur.

De denominatiuis.) Communis Dialecticorum ſchola triplicia conſtituit denominatiua. Quædam voce tātùm, quæ initio conueniunt, & differūt terminatione finali, ſed non cōueniunt ſignificatione: vt curſor & curſus. Quædam ſignificatione tātùm, quæ ſignificatione conueniūt, ſed non voce: vt virtus, ſtudioſus. Quædā voce & ſignificatione ſimul, quæ & voce & ſignificatione cōueniunt: vt iuſtitia, iuſtus. Et hæc hîc finiuntur. Hæc vt conſtituantur, tria neceſſaria ſunt: vt re cōueniant, vt nomen retineant, & nominis quædam fiat inflexio. Neque hæc diſtinctio pro nihilo ducēda eſt. Sine ea enim innumeri Ariſtotelis loci plenè & per omnes numeros intelligi non poſſunt. Et quoniā præmia & emolumēta (vt Plinius ait) in omnibus rebus maximè ſpectantur, ex his tribus finitionibus tres conſtituā regulas. Prima: Nullū æquiuocum vt æquiuocū, in vllo ordine prædicamenti locū habet. Prædicamenta enim quæ vniuoca ſunt, hæc tāquam noxias herbas à ſuis domiciliis arcent. Secunda: Omne vniuocū in aliqua claſſe prædicamēti eſt. Tertia: Denominatiuum eſt in eodem ordine, in quo denominans: vt, iuſtum eſt in qualitate, quia in ea eſt iuſtitia.

GLAREANVS.

De æquiuocis.) In hoc capite primùm explicatur antepredicamentum, videlicet definitio. Sunt autem tres. Tractat Valla lib.2.dialectices, capite 3.

Nempe ab ipſo principali.) Caſus hîc accipitur, non vt in Grammatica, ſed pro terminatione finali. Nam fortitudo & fortis eiuſdem ſunt caſus, ſed nõ terminationis. Appellare igitur, eſt aliquid ab externo denominare, & conuenit adiectiuis. Subſtantiuą enim abſtracta ſunt: Adiectiua, cõcreta & denominatiua.

Ad ęquiuocorum definitionem.) Definitio æquiuocorũ valet ad reductionem decem prædicamentorum ad vnum analogum, quod eſt Ens. Definitio vniuocorum valet ad reductionem omnium in vno prædicamento poſitorum, ad vnum vniuocum. Definitio denominatiuorum valet ad nouem accidentia, quo deducenda pacto ſint ad ſubſtantiam.

De complexis & incomplexis, diuiſio prima.

Eorum quæ dicuntur, alia quidem dicuntur cum complexione: alia uerò ſine complexione. Sine complexione dicuntur, quæcunque ſecundum ſimplicem uocis ſonum proferuntur, ut homo, equus, uincit, currit. Cum complexione uerò, quæcunque uel coniunctione aliqua copulantur, ut Socrates uel Plato: uel ſecundum aliquod accidens coniunguntur: ut uerbi gratia, quia in Socratem ambulatio uenit, hinc dicimus, Socrates ambulat: aut ſi qualitate fortè aliqua affectus fuerit, utpote ſapientia, dicimus, Socrates ſapiens eſt.

RAIIANVS.

Prima diuiſio.) Quam præponit, vt oſtendat terminos complexos reiici à prædicamentis, incomplexos vero in eis locum habere. Id quod ex prædicamenti finitione perſpicuum eſt.

Dicuntur.) Dicuntur, inquit, quia hîc de primis rerum vocabulis ſermonem inſtituit. Vt enim vocum eſt dici, ita rerum eſſe.

De ijs quæ vel prædicantur de aliquo, vel in ſubiecto aliquo ſunt, diuiſio ſecunda.

RVrſus autem præter hanc & alia ex ipſo Ariſtotele ſubijciatur diuiſio: quæ talis eſt. Eorum quæ ſunt: alia quidem de ſubiecto dicuntur aliquo: in ſubiecto uerò non ſunt, ut homo, alia uerò in ſubiecto quidem ſunt aliquo, de ſubiecto uerò nullo dicuntur, ut hoc album: alia & de ſubiecto dicuntur aliquo, & in ſubiecto ſunt, ut color: nam hic de ſubiecto quopiam, ut albo, prædicatur, & in corpore inſuper reperitur: omnis enim color in corpore eſt: alia neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto dicũtur aliquo: ut Socrates, & quodcunque ſubſtãtiæ nomen ſingulare & indiuiduum.

RAIIANVS.

De iis quæ vel prædic.) Secũda diuiſio, quæ complectitur omnes res exiſtentes. Nam omne quod eſt, aut ſubſtantia eſt, aut accidens. Si ſubſtantia, aut vniuerſalis aut particularis. Si accidens, aut vniuerſale aut particulare.

Eorum.) Prima pars diuiſionis, ſub qua continentur

nentur omnes ſubſtantiæ vniuerſales, vt genera & ſpecies. Dici de ſubiecto eſt ſuperius prædicari ſecundum eſſentiam de ſuo inferiori: vt, corpus eſt ſubſtantia, animal eſt corpus.

Alia verò.) Secunda pars, ſub qua continentur accidētia particularia, vt hæc albedo, hæc grammatica. Eſſe in ſubiecto eſt prædicatum accidentaliter de ſubiecto dici.

Alia, &c.) Tertia pars, quæ continet vniuerſalia accidētium. Nam hæc duplicem habent reſpectum: alterum ad ſua inferiora, de quibus ſecūdum eſſentiam dicūtur, vt color de albedine: alterum ad ſubiecta quibus inhærent, & de quibus accidentaliter dicūtur: vt coloratum de corpore. Ex quo loco cōſtat (in quo plerique hærent) nullum eſſe incommodum, idem & ſecundum eſſentiam, & ſecundum accidens de diuerſis enunciari.

Alia neque.) Quarta pars, quæ cōplectitur omnes ſubſtantias particulares ſiue indiuidua. Hæc nec de ſubiecto dicuntur, nec in ſubiecto ſunt. Nam nullo modo in pronunciatis à diſciplina receptis, prædicantur. A prima ſubſtantia (inquit Ariſtoteles) nulla eſt prædicatio.

De nouem modis, quibus quippiam inesse alicui dicitur.

COnſentaneum fortaßis fuerit, hoc loco adijcere nouem modos, quibus eſſe in aliquo quippiam dicitur: quos ex Boethio obſeruauimus, in his, quæ in Ariſtotelis prædicamēta ſcripſit, cōmentarijs. Quos haud dubiè uir ille ex quarto Ariſtotelis de Phyſico auditu libro, ubi de loco

tractat

tractat, & ex primo deinde Alexandri Aphrodisæi de Anima lib. multò antè collegisse existimandus est. Itaque *dicitur esse aliquid aut ut in loco, ut quum dicimus quempiam in foro esse, aut in theatro: aut in uase, ut triticum in modio, & in dolio uinum: aut ut pars in toto, ut pupilla in oculo, & in manu digitus: & hæc omnia in toto corpore: aut ut totum in partibus, ueluti corpus in omnibus suis membris: aut ut in genere species, ut homo in animali: aut genus in speciebus suis, ut animal in homine, leone, equo, & boue: aut ut in fine, ut in beatitudine, quæ certè finis est benè actæ uitæ: aut ut in potēte, ut in* Impe*ratore totius regni siue imperij moderatio: aut ut in materia forma, ut in ære, siue in marmore* Iouis *statua: quo quidē modo & accidens hîc nūc in aliquo esse dicitur, ut in subiecto.* Præter *hos autem nouem modos à* Ioanne Damasce*no duo adduntur, ut in tempore: ueluti cùm dicimus,* Noë *tempore diluuium fuisse.* Et *ut in efficiente causa, ut in* Deo *omnia, & in artifice rationes eorum, quæ ab ipso emanant.*

RAIIANVS.

Consentaneum.) Quoniam dictum est, aliqua dici de subiecto, aliqua esse in subiecto: ideo nunc addit modos, quibus aliud in alio esse dicitur. In his nihil est quod studiosum lectorem remorari possit.

GLAREANVS.

Vt triticum.) Hos duos modos Aristot. vltimò ponit: sed qui, vt in vase, eum maximè probat. Vulgatum autem est apud Dialecticos, Omne inferius

in superiore esse potestate, omne superius in inferiore actu. Quod hîc quintus & sextus modi, apud Aristotelem tertius & quartus.

De ijs quæ ordine quodam de subiecto aliquo prædicantur.

Regula I.

QVando alterum de altero, ut de subiecto quopiam prædicatur, quæcunque dicuntur de eo quod prædicatur, omnia & de subiecto ipso prædicantur: ut quia homo de Socrate prædicatur, de homine uerò & animal & substantia & animal igitur & substantia de Socrate quoque ipso: prædicantur. Quare si Socrates homo est, idem nimirum Socrates & animal est & substantia. Sciendum tamen, quòd intellectus regulæ accipi debet de ijs prædicatis, quæ nomina sunt, rei substantiam explicantia: non etiam de ijs, quæ nomina sunt aliorum nominum designatiua, siue secundæ impositionis nomina, & per hoc nominum nomina à diuo Seuerino Boëthio, à recentioribus uerò nomina, siue termini secundæ intentionis appellantur: cuiusmodi sunt genus, species, subiectum, prædicatum, & his similia. Quapropter de homine licet species prædicetur, & homo de Socrate: non perinde tamen & de Socrate ipso species prædicabitur unquam.

RAIIANVS.

Quando alterum.) Hæc prima regula docet, quid sit dici de subiecto. Est intelligenda de vocibus necessariò cohærentibus. Quicquid enim dicitur de prædicato, necessariò etiam dicitur de subiecto. Sic Plato colligit lib. de Repub. secundo: Deus est

est bonus, bonū est innoxium, innoxium nihil facit mali: ergo Deus nihil facit mali. Hæc regula etiā locum habet in accidentibus: vt, Iustitia est habitus: Habitus est qualitas: Ergo iustitia est qualitas. At in terminis nō necessariò cohærētibus hæc regula non habet locum, vt non rectè sic colliges: Homo est animal: Animal est genus: Ergo homo est genus. Est etiam hîc alia cautio, vt totum prædicatum primæ propositionis fiat subiectum secundæ. Quare non sequitur: Ioannes habet animam rationalem: Anima rationalis est immortalis: Ergo Ioannes est immortalis.

GLAREANVS.

De iis quæ ordine quodam.) Tertium antepraedicamentum, in genere duæ regulæ. Hoc capite ergo primùm regula prior ponitur: deinde fine intellectus cum obiectionis solutione. Circa quam regulam notandum, cùm dicitur, Homo est iustus: hîc non alterum de altero, sed aliud de homine prædicari. Ergo hæc regula in propositionibus essentialibus & ordinata prædicatione in ipsa Porphyriana arbore locum habet, & in cuiuslibet prædicamenti vera ordinatione generum & specierum. Quare in prædicatis secundæ impositionis, semper committitur fallacia accidentis & consequentis. Cæterum hæc regula formam habet quartæ figuræ syllogismi, in qua in maiore propositione medium prædicatur: in minore subiicitur contra naturam primæ figuræ. Sed vniuersalis non est, neque vt figuræ, sed rerum quadam essentia illatiua.

De nominibus siue vocibus, quæ vulgò prima & secundæ tum intentionis, tum impositionis, siue nomina, siue voces appellantur.

HAnc igitur ob causam haud ab re fuerit, paulò altiùs hoc loco repetere atque adnotare, duplicia esse nomina siue uoces, quibus in tradendis disciplinis atque artibus paßim utuntur authores, uidelicet alia ex his dici primæ, alia secundæ impositionis, siue (ut uulgus Dialecticorum ea appellat) primæ & secundæ intentionis nomina, neque id quidem omninò temerè. Nam quæ primæ siue intentionis, siue impositionis nomina dicuntur, ea sic appellata esse certum est, quòd qui uocabula instituere in animo habuerunt, primùm quidem ij intenderunt, ut ipsis rebus nomina inderent, siue imponerent, quæ rerum uocabula & essent, & dicerentur: qualia sunt ea uocabula cum primis, quibus uulgus hominum paßim utitur in exprimendis suis inuicem conceptibus, & quibus utimur in disciplinis tum naturalibus, tum moralibus: addo & in mathematicis, & in diuina philosophia, & alijs plerisq;. deinde uerò cùm uiderēt ijdem, necessarias fore artes aliquas, per quas disceremus & sciremus rectè ac propriè uti illis nominibus iam positis, ut quæ docerent nos illorũ significationes, proprietates, & elegantias, & in summa illorum aptas ubique compositiones, siue ut quid animo tuo conceperis, alij indicare poßis: siue ut quid uerũ, quidue falsum sit statim dijudicare poßit, quicunque loquentem alium audierit: siue ut auditorem inducere

queas

queas ad assentiendum tibi, quod persuadere conaris: hinc illi ueluti iam secundo loco, intenderunt ac mente conceperunt, ut ipsis nominibus uocabula imponerent inderéntque. Cuiusmodi nomina siue uocabula sunt, quibus tum in Grammatica, tum in Dialectica, tum in Rhetorica arte utimur. Vnde & ipsa secundæ siue impositionis, siue intentionis nomina tandem dici cœperunt. Et hæc quidem mea de his nominibus siue uocibus sententia est: nec uideo aliam huius discriminis inter ipsas uoces rationem magis consonam rei propositæ: quancunque uerò alij protulerint reddiderintque, eam mihi ut nec refellere omninò, ita nec probare admodum curæ fuerit: iudicium tamen suum cuique relinquo. Nos interim ad institutum reuertamur.

RAIIANVS.

Hunc igitur.) Hoc caput addit Cæsarius, quia in superiori capite nominum secundæ impositionis mentionem habuit, Cæsarius satis dilucidè quid sentiat, explicat. Nomina primæ impositionis dicuntur, quibus animi nostri sensa euoluimus atque explicamus. Primùm rebus ipsis indita sunt, & ob id nomina rerum dicta. Nomina secundæ impositionis dicuntur, quibus rerum nomina designamus. Ea Boëthius nomina nominum uocat. Nomina primæ impositionis sunt corpus, uirtus, scientia. Secundæ uerò nomen, uerbum, genus, subiectum, prædicatum.

GLAREANVS.

De nominib.) Quæritur, de quibus intentionibus

bus Dialectica consideret. Respondendum, de vtrisque. Quod si rursus quæratur, De vtris principaliter? dicendum, de prioribus. Cuius rei hæc est causa, quia vocabula sunt rerum: sed de rebus & rerum proprietatibus, omnis suscipitur disputatio. Non enim propter nostrum affirmare vel negare, quicquam in rebus mutatur: sed quia res ita habet, vel non habet, oratio dicitur vera, vel falsa: vt inquit Aristoteles, in vltima substantiæ proprietate. Porrò in hoc negocio Dialecticus agit comparatiuè: considerat enim priores intentiones, in ordine ad secundas. Et secundæ intentiones tribuuntur primis, aut reb. consideratis primæ intentionaliter, vt vulgò loquuntur. Quemadmodum homini considerato & concepto, vt est vna natura participabilis, & communicabilis pluribus indiuiduis, attribuit secundam hanc intentionem, quòd sit species: ita animali concepto, vt vna natura est communicabilis pluribus speciebus, attribuit ei quod sit genus: & sub hac ratione, superius, quod est de essentia inferioris fit accidens inferioris: id est, impertinens, extraneum. In Grammatica secundæ intentionis vocabula sunt: vt Esse verbum, Esse nomen, Esse primæ declinationis, Esse generis fœminini. In Dialectica, Esse genus, Esse speciem, Esse proprium, Esse substantiam, qualitatem, &c. In Rhetoricis, Esse genus Demonstratiuum, Esse Deliberatiuum, ac Iudiciale. Cæterum deceptiones & paralogismi incidunt ex his secundæ intentionis nominibus in tota rationali philosophia, maximè per regulam prædictam antepraedicamentalem. In

Gram

Grammatica: Petrus est nomen: sed nomen est appellatiuæ qualitatis: ergo & Petrus est appellatiuæ qualitatis. Thomas est magister: sed magister est secundæ declinationis: ergo & Thomas. In Dialecticis: Socrates est homo: homo est species: ergo Socrates est species. In Rhetoricis: Iunonis oratio est in genere deliberatiuo: sed genus deliberatiu m est secundum genus causarum: ergo Iunonis oratio est secundum genus causarum. Quod ego sum, tu non es: sed ego sum homo: ergo tu non es homo.

De generibus diuersis, & non subalternatim positis.

Regula II.

Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ: ut animalis, & scientiæ. Animalis quippe differentiæ sunt greßibile, bipes, uolatile, & aquatile: scientiæ uerò harum nulla est, quin potiùs ipsius scientiæ differentiæ aßignari possunt, quòd hæc quidem naturalis, hæc moralis, illa uerò rationalis existit. At uerò generum subalternorum siue subalternatim positorum nihil prohibet easdem esse differentias: ut auis & animalis, quæ genera sibi subalterna sunt. Siquidem species animalis auis est, eádemque corui genus. Vtriusque autem, utpote tam animalis quàm auis differentiæ eædem esse possunt, & diuersæ. Eædem quidem, ut si quis has animalis differentias aßignet, quòd animalium alia sunt quæ pascantur herbis, alia quæ seminibus, alia quæ carnibus: per quas & aues inter se differre dignoscuntur, quandoquidem & inter aues aliæ her-

bis pascuntur, aliæ seminibus, aliæ carnibus. Diuersæ uerò, ut quum animalis differentiæ aßignantur, quòd aliud quidem rationale est, aliud irrationale: quorum sanè nulla auis ab aue differt.

RAIIANVS.

Diuersorum generum.) Secunda regula: Generum diuersorum prædicamentorum sunt diuersæ differentiæ secundum speciem, hoc est, constituentes diuersas species: vt animalis, quod est in substantia, differentiæ sunt aquatile, volatile. Scientiæ verò, quæ est in qualitate, differentiæ sunt, naturalis, moralis, rationalis: quæ differentiæ sumptæ cum genere, diuersas constituunt species.

At verò.) Genera subalterna siue subalternatim posita vocat, quæ se inuicem continent: vt auis & animal. Et horum possunt eædem esse differentiæ.

GLAREANVS.

In finem huius capitis.) Notandum: Quandocunque idem sub diuersis generibus ponitur, tum semper illud esse æquiuocum: & æquiuocum in diuersis generibus poni, nihil prohibet: vt, Corpus est tum substantia, tum quantitas. Corpus substantia quidem, habens in se trinam dimensionem. Corpus quantitas, ipsa trina est dimensio: secundum quam substantia ipsa longa, lata, & spissa vocatur. Et per hanc distinctionem multæ obiectiones soluuntur. Res enim infinitæ sunt, nomina verò finita. Vnum igitur nomen sæpè multis conuenit rebus.

De

De prædicamentis generatim.

EOrum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, unumquodque significat aut substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Et substantia quidem est (ut exempli gratia dicam) ut homo, equus: quantitas, ut bicubitum, tricubitũ, qualitas, ut Musicum, Grammaticum, album, nigrum: ad aliquid, ut duplum, dimidium, maius, minus, ubi uerò, ut in foro, in theatro: quando autem, ut heri, anno superiori: situm esse, ut iacere, sedere, stare: habere autem, ut calceatum esse, armatum esse, agere, ut secare, urere: pati, ut secari, uri. Sanè ex ijs quæ dicta sunt, ipsa quidem secundum se singula in nulla affirmatione uel negatione dicuntur, ut quæ neque uerum neque falsum significent. Horum autem ad se inuicem complexione affirmatio utique fit, aut negatio.

RAIIANVS.

Eorum quæ.) Aristoteles 1. cap. 1. lib. de physico auditu scribit, nobis à natura insitum esse, vt à nobis notioribus progrediamur. Hîc igitur generatim significata vocis incomplexæ enumerãtur. Hæc enumeratio est non diuisio. Nam diuisio est generis in species distributio. Prædicamenta autem genera superiora non habent.

GLAREANVS.

De prædicamentis generat.) Quicquid in prædicamento est, has habebit conditiones. Primam, vt sit incomplexum, vt patet ex prima diuisione. Se-

 cundam

cũdam, vt sit ens reale, extra animam, per quod omnia figmenta excluduntur: vt Scylla, Charybdis, & secundæ intentiones. Tertiam, quòd limitatæ naturæ, hoc est, vel vniuersale, vel particulare: per quod excluduntur transcendentia, & Deus. Item quòd sit vniuocum; nam æquiuoca in diuersis possunt esse prædicamentis, vt dictum est. Possunt autem & decem prædicamentorum exempla in hisce versiculis planè perspici,

Substãtia quãtitas ad aliquid qualitas actio passio
Arbor sex seruos feruore refrigerat vstos
Vbi quando situs habere, vel habitus.
Ruri cras stabo nec tunicatus ero.

De substantia quid sit, & quomodo diuidatur.

SVbstãtia esse uidetur, quòd alijs omnibus substet, proinde à Ioanne Damasceno hoc pacto describitur, Substantia est, quæ per se subsistit, alio neuticam indigens ut sit. Hæc ipsa ab Aristotele in primam diuiditur & secundam. Et primam quidem eam esse dicit, quæ propriè & principaliter & maximè substare dicitur, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est: ut quidam homo, ut Socrates, ut Plato, & si quid huiusmodi est, nempe singulare & indiuiduum. Secundam uerò substãtiam, id est, secundæ substantiæ nomine, appellat species ipsas, in quibus quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, & harum specierũ genera: ut homo, ut animal. Cæterùm primæ substantiæ idcirco dici uidentur, quòd sensibus propinquiores sint, primæq; quæ his occurrant, ut ex quarum hausta

prius

prius sensibus cognitione, generalitas deinde animo concepta colligitur, constituitúrque. Id quod & diuus Seuerinus Boethius in libr. de duabus naturis in Christo, alijs quidem uerbis, sed sensu propè eodem diuidere uidetur, Intellectus, inquit, uniuersaliũ rerum ex particularibus sumptus est. Ex quo & liquidò cõstat, quòd ex secũdis substantijs magis substantia ea dicitur, quæ primis substãtijs propinquior est, quippe quæ & pluribus etiam substat. Quo fit, ut & species magis substantia sit quàm genus, & homo quàm animal. Porrò inter species ipsas, quæ quidẽ huiusmodi sunt, ut genera esse nõ possint, nulla magis substãtia est quàm altera: quemadmodum nec in primis substantijs altera alterâ magis substantia est.

RAIIANVS.

De prædicamen.) Cùm res numero sint infinitæ, nomina verò finita: ideò Aristoteles effusam illam & immẽsam rerum varietatem ad decem capita reuocauit. Inter hæc substantia prior est naturâ, quia alia sine hac subsistere non possunt: Ratione, quia in vniuscuiusque rei ratione ratio substantiæ inest. Cognitione, quia tunc vnumquodque cognoscimus cùm quid sit, & substantiam eius intelligimus. Tempore, quia sola hæc separabilis est.

Substantia est.) Tyrones hîc admonendi sunt, generum summorum nullam esse finitionem. Omnis enim finitio genere & differentia constat. Supremorum autem generum nulla genera sunt. Ob eandem rationem indiuiduorum nulla est propria finitio, quia nullas habent proprias differentias. Describit ergo substantiam per id, quod est proprium substãtiæ, scilicet per se subsistere.

Quæ

Quæ propriè.) Singula hæc aduerbia ſuum pondus & momentum habent.

Propriæ.) Quia primæ ſubſtantiæ ſenſibus obiiciuntur.

Principaliter.) Quia primæ ſubſtantiæ alia omnia priùs inſunt.

Maximè.) Nam prima ſubſtantia, vt Rodolphus Agric. ait, eſt, cui reliqua omnia ſunt innixa, quęque reliquorum receptaculum eſt, & fundamentum.

Secundarum.) Secundæ ſubſtantiæ ſunt genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum. Quare color licèt genus ſit, tamen non eſt ſecunda ſubſtantia, quia non eſt genus primæ ſubſtantiæ.

Cæterùm.) Docet nominis rationes, cur primæ ſubſtantiæ dicantur. Hunc locum magni viri conuellere conantur. Secundis ſubſtantiis interemptis etiam interimuntur primæ, quocirca ſecundæ ſubſtantiæ primæ dicendæ videntur. Hunc ſcrupulum ſic eximere oportet: vt primæ ſubſtantiæ ſunt ſenſibus propinquiores, ita etiam primis nominibus appellandæ erant.

Intellectus, inquit.) Locus hic eſt apud Ariſtotelem 29. cap. 1. lib. Poſteriorum. Ex ſingularibus plurimis vniuerſale manifeſtum eſt.

Ex quo liquidò conſtat.) Magis & minus hoc loco non ſignificant intentionem aut remiſsionem, ſed ſignificant, potius, ſimilius, propinquius. Hoc ſenſu ſubſtantiæ vocabula has voces admittunt. Sic Ariſtoteles accipiendus eſt primo cap. 2. lib. de anima: cùm dicit corpora naturalia eſſe magis ſubſtantias, quàm artificialia.

Porrò

Porrò.) Huius loci ratio eſt, quia ſpecies infimæ æquè propinquæ primæ ſubſtantiæ ſunt.

GLAREANVS.

De ſubſtantia.) In hoc capite ſeptem ordine habentur. Primò, quare dicta ſit ſubſtantia. Secundò, quid ſit. Tertiò, ſubſtantiæ diuiſio in primam & ſecundam. Quartò, primæ ſubſtantiæ duæ definitiones. Quintò, quæ ſit ſecunda ſubſtantia. Sextò, qua ratione prima ſubſtantia dicta ſit. Septimò, comparatio harum duarum ſubſtantiarum.

Vt ex quarum hauſta pri.&c.) Vnde dictum à Dialecticis vniuerſale, vel nihil eſt, vel poſterius ſuis ſingularibus. Et Gilbertus Poretanus dicit: Natura occultè agit in rebus: nam producendo ſingulare, ſimul cum eo producit vniuerſale. Sublatis igitur omnibus primis ſubſtantiis, impoſsibile eſt eſſe quicquam aliorum, hoc eſt, ſecundarum ſubſtantiarum.

De ſex ſubſtantiæ proprietatibus.

Omnibus ſubſtantijs, tàm primis quàm ſecundis proprium quodammodo eſt, in ſubiecto nõ eſſe. Dico autem quodammodo, quando id non his cõuenit ſolis: ſed & earum perinde differentijs: quippe quæ nec ipſæ in ſubiecto ſunt aliquo. Omnibus inſuper ſecundis ſubſtantijs & earum differentijs conuenit uniuocè prædicari de primis: ut homo & animal de Socrate, & de eodem item Socrate rationale. Omnia nanque hæc de Socrate prædicãtur nomine pariter & ratione, id quod uniuocè prædicari ſuprà definitum eſt. Subſtantiæ præterea nihil eſt contrarium.

Quod

Quod tamen omninò uerum esse non uidetur, cùm igni aqua, & aquæ ignis contrarius esse putetur. Sanè hũc scrupulum Boethius paucis uerbis ita diluit, ídque iuxta Alexandri Aphrodisæi mentem: Neutrum, inquiens, horum elementorum alteri contrarium est, licèt eorum inter se qualitates repugnent, diuersæq; sint. Substãtiæ igitur nihil est contrarium. At nec proprium hoc substantiæ est, quando & quantitati perinde conuenit, & alijs quibusdam. Substantia item neque magis, neque minùs suscipit: ut homo non est magis aut minùs homo, uel seipso priùs uel posteriùs, uel altero quolibet homine. Quod ergo dictũ est, Neque magis neque minùs suscipit, id ita intelligitur, quòd substantia ipsa neque intenditur, neque remittitur. Sed nec illud substantiæ proprium, quando neque circulus alio circulo magis aut minùs circulus est. Videtur autem omnis substantia hoc aliquid significare: id quod in primis quidem substantijs haud dubiè ita se habet. In secundis uerò nõ ita planè, nisi ob appellationis figuram: ut quum quis dicit hominem, aut animal, is iam perinde ac quendã hominẽ, aut quoddam animal dixisse uideri potest. Atqui id ita non est, Quapropter secunda substantia nõ hoc aliquid, sed potiùs quale quid significat. Maximè uerò proprium substantiæ est, quòd tametsi una eadémque numero ipsa existit, secundum sui tamen mutationem, contrariorum susceptibilis est: ut quidã homo, qui licèt unus idémque numero maneat, ipse tamen nunc calidus, nunc frigidus, nunc prauus, nunc studiosus existit, mutatúrque hoc pacto interim contrarijs inter se qualitatibus: id quod neque orationi, neque opinioni conuenire potest. Quippe quod neutra earum (quantum quidem in ipsa est) mutatur: etsi aliquando uera, aliquando falsa iudicatur: quin

potiùs

potiùs res ipsa, de qua uel oratio profertur, uel opinio habetur, mutationem sui admittit, patitúrque. Nam, ut Aristoteles inquit, eatenus oratio aut uera, aut falsa est, quatenus res se habet. Idem de opinione sentiendum.

RAIIANVS.

De sex substantię.) Aristot. de more habet ea quę à sensibus remotissima sunt, per ea quæ à sensibus proximiora sunt, explicare. Quam docendi ratioñe Aristot. in lib. de anima, de historia, partibus, generatione animalium, secutus est. Hoc loco itaq; Cęsarius Aristotelem secutus, substantiam quę intellectu percipitur per proprietates, quæ nobis notiores sunt, copiosius declarat.

Omnibus substantiis.) Prima hæc communitas propria videtur secundo modo. Ná omni substantiæ & non soli conuenit.

Sed & earum perinde differen.) Ex hoc loco aliquis conuincere poterit, differentias non esse substantias. Ná hîc nominatim Cęsarius dicit, non esse in subiecto conuenire aliis à substantiis, nimirum differentiis. Hic modus dissoluendus est. Differétia nec omnino est substantia, nec omnino accidens, sed mediastinum locum inter vtrunque tenet: est enim qualitas (vt vulgò loquimur) substantialis.

Omnibus insuper.) Secundæ enim substantiæ & nomine, & ratione de primis dicuntur.

Substátiæ præterea.) Huius ratio est facilis, quia cótraria propriè in solis qualitatibus reperiuntur.

Substantia item.) Hic locus à nobis iam explicatus est. Hoc tamen addam: Res omnis, cuius est aliquis terminus essentiæ suæ, & ad qué cùm peruenerit, habet essentię illius nomen, non dicitur esse hoc

magis aut minus quod ſit. Quemadmodum Cicero dicit de beato, libro quinto Tuſculan. Nam & qui beatus eſt, non intelligo quid requirat vt ſit beatior. Ita ſubſtantia poſtquam peruenit ad terminum ſuæ perfectionis, non dicitur magis aut minus. alioqui non eſſet perfecta.

Videtur autem.) Prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid, hoc eſt, rem ſingularem. Secunda ſubſtãtia prima facie etiam videtur ſignificare rem ſingularem ob appellationis figuram, hoc eſt, quia dicitur de prima. Sed non eſt ita, quin potiùs quale quid ſignificat, hoc eſt, naturam communem multis & ſpeciebus & indiuiduis. Neq; hîc quale ſumitur quemadmodum in prędicamento qualitatis, ſcilicet pro qualitate accidentaria, ſed pro notione communi eſſentiali.

Maximè verò.) Hæc ſexta communitas eſt propria quarto modo, conuenit omni ſubſtantiæ. Primis per ſe, ſecundis quatenus inſunt primis: vt quia hic homo ægrotat, dicimus hominẽ ægrotare. Præterea conuenit ſoli ſubſtantię. Nam nihil ex prædicamento accidentium, manẽs vnum & idem numero, contraria viciſsim recipit.

Id quod.) Reiicit tacitam obiectionem. Subſtantia recipit contraria ſecundum ſui mutationem: at oratio & opinio ſi contraria ſuſcipiant, ipſa nõ mutantur. Deinde oratio & opinio non ſuſcipiunt verum vel falſum, ſed potiùs res ipſa. Nam veritas orationis vel opinionis pendet à re ipſa. Vt enim ſe res habet, inquit Ariſtoteles, ita oratio eſt vera vel falſa.

GLAREANVS.

Omnibus ſubſtantiis,&c.) Ratio primæ proprietatis eſt: quia cuicunque conuenit per ſe ſubſiſtere, illi non conuenit eſſe in alio: at omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtit: ergo non eſt in ſubiecto.

Subſtantiæ nihil eſt contrarium.) Ratio huius proprietatis eſt: quia contraria omnia ſunt in ſubiecto, vt calidum & frigidum in aqua: & ſe mutuò expellunt: ſed ſubſtantia in nullo eſt ſubiecto, cum ipſa ſit ſubiectum aliorum: ſubſtantia igitur habet quidem contrarium inhærens, ſed non contrarium repugnans.

Subſtantia item neque magis, neque min.) Ratio huius eſt, quia ſubſtantiæ eſſe conſiſtit in indiuiſibili. Indiuiſibile autem vbi eſt, ibi totum eſt, & in inſtanti acquiritur. Accidentale autem eſſe, paulatim acquiritur. Generatio enim, quæ ſubſtantiæ eſt, in inſtanti fit: alteratio verò, quæ eſt accidentium, fit paulatim: vt calor in aqua.

Maximè verò proprium.) Nota: Secunda ſubſtantia conſiderata ſecundum ſe, non eſt vna numero: ſed vt conſiderata ſecundum eſſe, quod habet in prima ſubſtantia. Vt homo ſecundum ſe ſpecie vnus, non numero: at ſecundum eſſe quod habet in prima ſubſtantia, eſt vnus etiam numero. Quare ſecundum ſe ſecunda ſubſtantia non eſt ſuſceptiua contrariorum: ſed vt in ſingulari. Notandum etiam, ꝙ dupliciter aliquid ſuſcipit contraria: vno modo, ſecundum ſui mutationem, & ſic ſubſtantia ſuſcipit contraria: altero modo, ſecundum alterius mutationem.

f

tionem. Et ſic opinio & oratio ſuſcipiunt contraria: de quibus author ex Ariſtotele loquitur.

Id neque orationi.) Obiectio eſt contra hanc vltimam proprietatem ſubſtantiæ huiuſmodi: Oratio & opinio etiam ſunt ſuſceptiuæ cõtrariorum, nempe veri & falſi: ergo non ſolùm ſubſtantiæ hoc conuenit. Sed id Ariſtoteles ita ſoluit. ait enim, neque orationem, neque opinionem ex ſe dici vel veram, vel falſam, ſed ex rei mutatione. Nam ex eo quòd res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vel vera, vel falſa. Secundum illud vulgare dictum: Propter noſtrum affirmare, vel negare, nihil mutatur in re. Sola igitur ſubſtantia contrariorum ſuſceptibilis eſt.

De Quantitate.

QVantitas eſt, ſecundum quam in partes quippiam diuiditur. Quãtitatis autem alia continua eſt, alia uerò diſcreta. Continua quantitas ab Ariſtotele ea eſſe definitur, cuius partes ad eundem terminum communem copulantur: ut lineæ ad punctum, ad lineam ſuperficiei, & ad ſuperficiem demum ipſius corporis. Id quod de linea oſtendiſſe ſatis fortaßis fuerit, quantum præſens hoc inſtitutum exigit. Itaque ſit linea aliqua in duas partes per punctum in ea ſignatum, ſecta, animo tamen magis, quàm re ipſa. Hæc quia continua eſt, partes ipſas ad eundum illum punctum, nempe terminum utrique communem (ſitq́; c) cohærentes habet & copulatas. Continua ergo quantitas eſt, ut linea, ut ſuperficies, corpus. Additur his & tẽpus, cuius partes, quoniam ſucceßione ſolùm continuantur, ad inſtans, quod & nunc dicitur, copulari habent.

Et locus, sed impropriè: quippe quòd re magis, quàm ratione quantitas sit. Porrò discreta quantitas est, cuius partes ad nullum terminum communem copulantur, sed à se inuicem seiunctæ sunt atque discretæ, ut numerus, & oratio. Numeri quippe, ut exempli causa, denarij partes sunt quinque & quinque, aut tria & septem, aut quomodolibet aliter idem diuidatur numerus: ipsæ nimirum, quæcunque eius numeri partes fuerint, inter se disiunctæ sunt atque separatæ. Sic & in oratione partes, nempe literæ & syllabæ & item dictiones, tum breuitate longitudinéue, tum ipsa prolatione separantur, quinetiam scriptura, ut per quam oculi eas facilè discernant atque distinguant.

RAIIANVS.

De quantitate.) Inter nouem prædicamenta accidentium quãtitas primum locum tenet, quia mediante quantitate cætera in substantia sunt: adde, omnis res simulatque est, in numerum cadit (est enim vna vel plures) hæc autem quantitatis scientia colliguntur.

Continua quantitas.) Continua quantitas sic dicta est, quia partes ita sunt connexæ & copulatæ, vt si quis eas seiungere velit, diuellere necesse sit: vt linea, superficies, corpus. Terminus communis hîc dicitur, qui est finis vnius partis, & initium alterius: vt punctum in linea, linea in superficie, superficies in corpore.

Additur his & tempus.) Aristoteles in prædicamento substantiæ docet, tempus esse quantitatem per se. At decimotertio cap. 5. lib. primæ philoso-

phiæ disertè docet, tempus esse quantitatem per accidens. Quæ duo tam pugnantia sunt, quam quæ maximè. Hæc quæstio subdifficilis sic est dissoluenda: Aristoteles quinto Metaphysices, sumit quantitatem secundum esse, & sic tempus est quātitas per accidens, quia habet esse à magnitudine in prædicamento quantitatis. Quantitas sumitur secundum rationem mensuræ: & eo modo tempus est quantitas per se, quia habet rationem mensuræ per se.

Et locus.) Locus quocunque quis se vertat, siue rem spectet, siue rationem, non videtur esse quantitatis species distincta ab aliis. Nam secundum rem est superficies. Est enim locus, vt Aristoteles quarto lib. de physico auditu finit, superficies concaua corporis continentis, immobilis prima. Si quis spectet rationem, locus est ex numero relatorum: nam ad locatum refertur. Propterea proximè videntur mihi ad veritatem accedere, qui scribunt Aristotelem hîc veterum philosophorum opinionem secutum: qui dicebant locum esse quoddam spacium immensum in quo cùm corpora erant, plenum vocabant: cùm verò nulla corpora continebat, dicebāt esse vacuum. Prudenter igitur Aristoteles in prima philosophia veterum opinionē explosit. Nam cùm quantitatis species enumeraret, omisso loco, substituit motum.

Porrò discreta.) Discreta quantitas sic dicta est, quòd partes eius sint discretæ, disiunctæ, separatæ.

Numeri quippe.) Hic locus de numero numerāte est intelligendus. Est autem numerus numerans, numerus absolutè acceptus, & rebus non applicatus:


tus:vt denarius. Numerus numeratus eſt numerus rebus ipſis applicatus: vt decem homines.

Sic & in oratione.) Oratio hîc ſumitur pro certo quodam tenore ſyllabarum, quæ modò extenduntur, modò contrahuntur. Idque quoniam fit in tempore, quod eſt quantitas, oratio etiam quantitas eſt. Et quidem diſcreta: quia ſyllabæ, quarum quædam extenduntur, quædam contrahuntur, nullo termino communi copulantur.

GLAREANVS.

De Quantitate.) In hoc capite eſt definitio & diuiſio quantitatis. Et continuæ quidem quantitatis quatuor ſunt ſpecies: Linea, ſuperficies, corpus, & tempus. Diſcretæ autem duæ: Numerus & oratio. Tres ſunt dimenſiones in quantitate cõtinua: Longitudo, vt in linea: Latitudo, vt in ſuperficie: Profunditas, vt in corpore. Earum elementum eſt punctum, vt litera in Grammatica. Et aliud ex alio naſci, Mathematici intelligunt, Phyſici negant.

Litera, punctum •
Syllaba, Linea ———
Dictio Superficies ▭
Oratio, Corpus



Quantitas omnis continua ſitu cognoſcitur: vt in globo tres dimenſiones idem videntur, cùm minimè ſint idem. Et linea item ſitu ac ſuperficies.

Porrò diſcreta quãtitas.) Nota: Oratio inter numerum & tempus media eſt. Numerus enim parteis habet permanenteis & diſcretas: Tempus autem ſuccedenteis & continuas: Oratio denique parteis

ſuccedenteis & diſcretas. Hęc differentia bene perpendenda eſt: nam à paucis intelligitur. Porrò oratio eſt ipſa menſura ſyllabarum, ſecundum longum & breue: quæ cùm in prolatione conſtent, & prolata auolent, neceſſe eſt partes eius non permanentes eſſe: & quia ſyllabæ ordine & diuiſim exprimuntur, neceſſe eſt partes illas diſcretas eſſe. Tempus autem & motus habent ſe, vt menſura & menſuratum. Eſt enim tempus numerus motus, ſecundum prius & poſterius. Motus quoque quantitatem habet à ſubiecto, ipſe tamen re quantus non eſt: quomodo neque albedo ad ſuperficiem extenta, eſt huius prædicamenti. Motus duplicem habet quantitatem per accidens: alteram durationis, & illam habet à tempore: alteram extenſionis & illam habet à magnitudine. Tempus ſuam continuitatem à motu effectiuè habet, & nō formaliter. Item, tempus eſt continuū, & ſecundum eſſe, & ſecundum eſſentiam: motus autem, ſecundum eſſe tantùm, non ſecundum eſſentiam.

Numeri partes ſunt	Permanentes	
	Diſcretæ	Orationis partes ſunt
Temporis partes ſunt	Succedētes	
	Continuæ.	

De tribus Quantitatis proprietatibus.

CAeterùm quantitati nihil eſt contrarium, id quod in ijs quidem, quæ finita ſunt, nullam habet dubitationem ut bicubito aut tricubito nihil eſt contrarium. In ijs uerò quæ ſunt indefinita, uidetur quidem alterum alteri

teri contrarium esse, ut multum pauco, & magnum paruo: uerùm horum nihil quantitas est, quemadmodum Aristoteles dicit, sed ad aliquid potius: quippe cùm nihil sit, quod per se magnum aut paruum, multum aut paucum, dicatur, sed id aliorum euenit respectu. Quantitas praeterea neque magis neque minus suscipit: ut bicubitum non est alio bicubito magis aut minùs bicubitum: neque numerus alio numero magis aut minùs numerus est. Maximè autem proprium quantitati est, ut secundum eam aequale quicquam dicatur, aut inaequale. Ita secundum numerum, exercitus unus alteri aequalis aut inaequalis dicitur, & secundum magnitudinem, lignum ligno aequale est, ut cùm alterum alteri respondet: aut secundum longitudinē, aut secundum latitudinem, aut secundum craßitiem, aut secundum has omnes dimensiones simul. Quod quia suo constat ternario, perfectè quantum dicitur.

RAIIANVS.

Cæterùm.) Definita quantitas est, quæ certa numeri quantitate censetur: vt binarius, ternarius. Indefinita, quæ nulla certa numeri quantitate censetur: vt multum, paucum.

Maximè autem.) Aequale & inæquale non tam quantitates sunt, quàm qualitates & paßiones ipsius quantitatis.

GLAREANVS.

Cæterùm quantitati, &c.) Ratio primæ proprietatis est, quia contraria sunt, quæ maximè à se inuicem distant: sed non possunt dari vllæ quantitates, quæ à se inuicem maximè distent: ergo quantitas nō suscipit contrarium. Minor probatur: quia neque

in quantitate discreta maximum, neque in continua minimum dari potest. Dato enim quocunque numero, si vnitatem ei addideris, erit maior. Et data quacunque minima quantitate continua, contingit illam diuidi vlterius, alioqui non esset continua quantitas, cùm quantum in non quantum diuidi nequeat.

Quantitas præterea.) Magis vno modo dicitur extentiuè, prout magis respicit parteis quantitatiuas, & sic in quantitate reperitur. Alio modo dicitur intentiuè, vt respicit esse formæ, & sic in qualitate tātùm reperitur. Quare hoc dicitur magis accipere, quod manens idem numero secundū essentiam in suo esse perficitur. Ita minus suscipit, quod idem manens numero secundum essentiam diminuitur, vt calor in aqua idem manens secundum essentiam, vel roboratur, vel remittitur & debilitatur. Maius autem & minus nominaliter etiam conueniunt quantitati. Dici etiam solet: Quantitas suscipit maius & minus extentiuè, sed non intentiuè. Vel: Quantitas suscipit maius & minus nominaliter, sed non magis & minùs aduerbialiter.

Exercitus vnus alteri æqualis.) Triplex est vnitas. In substantia, ea est causa identitatis. In quantitate, & ea est causa ęqualitatis. In qualitate, & ea est fundamentum similitudinis. Et propriè loquendo, æquale soli quantitati conuenit, & simile qualitati. Sed hæc aliquando confunduntur.

De ijs quæ ad aliquid dicuntur.

Ad aliquid uerò talia dicuntur, quæcūque hoc ipsum quod sunt, aliorū esse dicūtur, uel quomodolibet aliter

ter ad aliud:ut duplũ hoc ipsum quod est, alterius dicitur, nempe dimidij:itidem & sciẽtia. Etenim ut duplũ dimidij duplũ est, ita scientia scibilis sciẽtia. Adiectũ est autem, uel quomodolibet aliter ad aliud, ut intelligamus relatiuorum quædam esse quæ casu aliquo, quædam quæ absque casu referantur. Casu referuntur, quæ aliorum esse dicuntur: absque casu uerò, quæ quomodolibet aliter ad aliud: ut cùm dicitur mons magnus ad montem paruũ, relatio quidẽ est magni ad paruũ, sed non quæ per casum facta sit: tametsi in ea casus accusatiuus sumptus est, quod nimirum ideo euenire Boethius ait, quòd illius relationis uis non in casu, sed in præpositione sola consistit. Per casum itaque referuntur, cùm aut per genitiuum referũtur, ut pater filij parte. Aut per datiuũ, ut similis simili similis: Aut per ablatiuum, ut maius minori maius. Sunt etiam quæ mutatis casibus referantur, ut scientia scibilis scientia, & scibile scientia scibile. Sunt item quæ referantur nominibus eisdem, ut amicus amici amicus, & socius socij socius. Sunt quæ diuersis, ut alia ferè omnia. Sciendum autem, dictam definitionem Platonis esse, non Aristotelis. id quod Boethius planè astruit: & proinde alia ab Aristotele ipso traditur, quæ huiusmodi est, & quidem propria. Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere. Sanè hac definitione ea relatiua describũtur, quæ in quadam comparatione & relationis habitudine considerãtur solùm: ut quaternarius quòd duplus est, non ex se habet, sed hoc ipsum ex medio trahit, ad quod refertur, nempe ex binario. Atque è diuerso binarius quòd medius sit, ex eo tantùm habet, quòd ad quaternarium refertur. Relatiuorum igitur quæ propriè dicũtur, siue eorum quæ

f 5 sunt

ſunt ad aliquid, hoc eſt eſſe, id eſt, hæc eorum natura eſt, ut ad aliud referãtur, ſine quo ne intelligi quidem poſſunt. Quo fit, ut prior definitio maior ſit quàm poſterior, hoc eſt, communior, ut quæ omnia quæcunque ad aliquid utcunque dicuntur, complectatur.

RAIIANVS.

De iis quæ ad aliquid.) Ratio ordinis, cuius philoſophum valde curioſum eſſe oportet, hæc eſt: Poſita quantitate, ponitur maius aut minus, hęc autem relata ſunt: ergo poſt quantitatem ordo efflagitat, vt de relatiuis dicatur. Adhæc, in quãtitate eſt mentio facta relatiuorum. Vt autem huic prædicamento lucis aliquid adferamus, tenenda in primis eſt hæc diuiſio. Entium quædam ſunt abſoluta, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas, quæ per ſe intelligi poſſunt. Alia ſunt relatiua, quorum ſignificatio ad aliud refertur. Non ſum neſcius, auribus delicatioribus duram & impolitam hanc diuiſionem videri. Sed & docentibus & ſcribentibus (cuius ego ſæpè auditores meos de loco ſuperiore commoneſeci) artis vocabula nõ tam Latina quàm vſu trita, vt res intelligãtur, retinenda ſunt. Veriſsimè Fabius. Non refert quibus quidque nominibus appelletur, modò de re cõſtet. Nos ſi in hac ſpinoſa & ieiuna philoſophia quatuor illas virtutes orationis, emendatam, perſpicuam, ornatam, bene accommodatam, exprimere nõ poſſumus: duas priores tamen, emendatam & perſpicuam (ſine quibus nihil rectè docetur) retinere conabimur. Sed hæc ἔξω τὸν πράγματος καὶ λόγου.

Ad aliquid ve.) Prima hæc finitio communis eſt, &

& omnia relatiua quouis modo dicta cōplectitur. Prima pars finitionis ea continet, quæ cum casu ad se inuicem referuntur. Secunda verò ea complectitur, quæ vel cum casu, vel sine casu dicuntur. Prima hæc finitio est apud Platonem libr. 4. de Republic.

Ad aliquid sunt.) Secunda hæc descriptio cōplectitur solùm relatiua, quæ ex propria significatione relationem significant. Id enim sonant hæc verba, quibus hoc ipsum esse, est ad aliud se habere. Et hæc vulgò dicuntur relatiua secūdum esse. Alia sunt relatiua secundum dici, quæ ex prima significatione ens absolutum significant, sed secundo loco habitudinem & respectum: vt scientia, dominus.

GLAREANVS.

De iis quæ ad aliquid dicūtur.) In hoc capite duę sunt definitiones ad aliquid. Communis & propria. Sed notandū, duplicia esse relatiua. Quædā secundū esse, quorū totum esse est ad aliud se habere: vt pater, cuius totum esse est ad filium, & totum esse filij est ad patrem. Quædam secundum dici, quę connotant duntaxat respectum ad aliud, at principaliter sunt absoluta: vt scientia, quæ per se est qualitas, tamen connotat respectum ad scibile. Imò vix nullum est ens, in quo non aliquid relationis inueniatur, cùm omnia sint in ordine susceptibilia comparationum.

Mons magnus ad montem paruum.) Quæcunque nomina componuntur cum hac præpositione con, sunt relatiua aliquo modo, vt commilito, conuictor, compater, conformis, concolor, compar, cognatus, cognominis. Item omnes causæ quatuor, omnia comparatiua & superlatiua, pars ad totum

totum,& contrà:Omne ſuperius ad inferiùs,dominia,poteſtates,&c.

De quinque eorum,quæ ad aliquid dicuntur,proprietatibus.

INeſt autem & his,quæ ad aliquid dicuntur, contrarietas.Nam uirtus uitio,& ſcientia ignorantiæ contraria eſt. Atqui ut hoc ipſum nec proprium omnibus eſt, ita nec commune. Videntur item & magis & minùs ſuſcipere. Simile nanque alicui quippiam dicitur, & magis & minùs. Verùm nec hoc quidem omnibus aut proprium, aut commune. Omnia porrò quæ ſunt ad aliquid,ad conuertentiam dicuntur : ut ſeruus domini ſeruus,& dominus ſerui dominus.Sed neque in his firma ſemper conuertentia eſt, niſi conuenienter id ad quod dicitur,aßignetur,ut ſi ala auis ala dicatur,non rectè aßignatio facta eſt,& per hoc nec cõuertitur,ut dicatur auis alæ auis:ſed ſi ala alati ala dicatur,iam conuertentia fiet hoc pacto:alatũ ala alatum.Proinde rectè Ariſtoteles nos monuit,neceſſe eſſe aliquoties ut nomina fingantur.Vidẽtur autẽ ea quæ ad aliquid dicuntur,ſimul eſſe naturâ:id quod in pluribus quidem uerum eſt,ut ſimul ſunt duplũ & dimidiũ,dominus item & ſeruus.In aliquibus uerò non ita eſt:nam ſcibile quippiam eſt,cuius tamen ſcientia fortaßis nondum habetur.Vnde & à nonnullis haud ab re relatiuorũ talis aßignatur diſtinctio,ut ſint quædam quæ actu referantur,quædã quæ poteſtate ſolũ.Maximè uerò proprium eſt eorũ quæ ad aliquid dicuntur , quòd ex his uno definitè cognito , cognoſcitur eodem modo & reliquum: ut ſi quis definitè ſciat quippiam duplum eſſe,idem etiam definitè ſcit id,cuius eſt duplũ,nempe dimidium. Quemadmodum

admodum si quis scierit Anchisen Aeneæ esse patrem, is proculdubio iam sciet Aeneam Anchisæ filium esse.

RAIIANVS.

De quinque eorum.) Hoc loco regula tradenda est, qua cognoscemus quibus relatiuis insit contrarietas. Si prædicamento, à quo relatiua sumuntur, aliquid est contrarium, etiam relatiuis erit aliquid cõtrarium: vt, virtus & vitium relatiua sunt: illa refertur ad studiosum, hoc ad vitiosum. Cõtraria quoque sunt: quia à qualitate sumuntur, in qua propriè contraria reperiuntur.

Videntur.) Hæc communitas etiam ex prædicamentis, ex quibus relatiua sumuntur, intelligenda est.

Omnia porrò.) Conuerti hoc loco est, quando primum refertur ad secundum, & rursus secundum ad primum: vt pater ad filium & filius ad patrem. Sed id non semper contingit, nisi relatiua aptè assignentur.

Videtur autem.) Ea dicuntur hoc loco simul esse naturâ, quæ mutuò se ponunt & interimunt, & quorum alterum non est causa alterius. Et relatiuà actu, secundum actum: potestate relatiua, secundum potestatem se mutuò inferunt.

GLAREANVS.

De quinque eorum.) In hoc capite duæ sunt conditiones, siue communitates, sed tres proprietates.

Inest autem.) Nota: Relatiua, vt relatiua, nullo modo sunt contraria, sed fundamẽta eorum videntur cõtraria Hoc etiam ita dicitur: Relatiua secundum

dum esse non sunt contraria. Sed secūdum dici possunt esse contraria, nō ratione relationis, sed ratione qualitatis. Eodem modo dicēdum est de suscipere magis & minus.

De Qualitate.

QValitas est, secundum quam quales esse dicimur: ut secundum musicam musici, & secūdum albedinem albi. Porrò qualitatis species ab Aristotele quatuor assignantur. Ex his una est, quæ habitus & dispositio siue affectio dicitur. Sed ab habitu dispositio differt, quòd permanētior quidē habitus sit & diuturnior: dispositio uerò facilè mobilis & citò mutabilis. Et habitus quidē sunt, ut sciētia & uirtutes: dispositiones uerò, ut calor & frigus (quæ tamē exēpla magis analogicῶs, quàm re uera hoc loco ponuntur) tum & sanitas & ægritudo. Namq; secundum has disponitur, afficitúrque quodammodo homo, aut aliud quoduis animal: uerùm citò in contrarias mutatur qualitates: ut à sanitate in ægritudinē facilis est transitus, & rursus ab ægritudine in sanitatem. Nonnunquam uerò euenit, ut earum aliqua temporis protractione in alicuius transeat naturā, ut nigritia ex solis ardore longo tempore cōtracta: & quæ hectica febris Græco uocabulo à Medicis dicta est, Latino uerò habitualis dici potest. Vnde fit, ut dispositio quasi quædam uia sit ad habitum, & per hoc habitus imperfectus. Habitus uerò, constans omninò atq; perfecta dispositio, & ueluti ipsius dispositionis terminus. Hinc habitus definitur qualitas difficulter mobilis ab eo, in quo est: dispositio contrà, qualitas quæ facile à subiecto dimouetur. Rursus autem & habitus modo quodā dispositiones dici possunt: dispositiones uerò ut habitus dicātur,

non

non est necesse. Alia autem qualitatis species est, quæ naturalis potentia & impotentia dicitur, secundum quam quidem quispiam nō ex eo quòd talis est, dicitur, sed quòd talis esse potest: ut docilis puer dicitur, non qui iam doctus sit, sed qui aptus est doceri, & fragile lignū, non quod iam fractum sit, sed quia tale est, ut frangi poßit. Sic durum dicitur, quod naturalem resistendi potentiam habet, ut non facilè secetur, diuidaturq;: cōtrà molle, quod ad hoc naturalem habet impotentiam. Ad hunc quoque modū & saltatores, & pugiles dicimus aliquos: non quòd in his artibus, saltandi, inquam, & concertandi, periculum unquam fecerint, sed quòd ad eas insitam suapte natura potentiam habeant, habilitatemq;. Tertia uerò species ea esse dicitur, quæ paßio & paßibilis qualitas nominatur: & differt hæc ab illa, perinde atq; habitus à dispositione: quòd paßibiles quidem qualitates perpetuò perdurāt, ut in melle dulcedo, & in glacie frigus: paßiones autem ad tempus exortæ facilè commutantur: quare & qualitates uix dici merentur: ut in facie rubor ex uerecundia subortus, & ex metu pallor. Quarta demùm qualitatis species est, quæ dicitur figura, & circa hoc aliquid constans forma, ut triangulum, quadratum, cubitum, & alia huiusmodi, quæ qualia omninò dicuntur, ab ipsa uidelicet figura, hoc est, à linearum superficierúmque deductione, si magnitudinis nomina sunt: uel à descriptione sitúque numerorum, si multitudinis. Eadem insuper & ab ipsa forma qualia dici solent, utpote à concinna partium compositione. Haud secùs in his quæ artificio constant, sese habet id quod dictum est, ut in domo, naui, statua, & alijs huiusmodi: quorū unumquodq; duplici qualitate affectū, ex iam dictis nemo non percipit, nēpe tum figura, tum forma. Figura

gura quidem, ut uerbi gratia, ſtatua ab ipſorum lineamẽ-torum deductione, qua hunc aut illum exprimit & repræſentat. Forma uerò à conuenienti illorum inter ſe cõſen-ſu, que debita proportio rei dici ſolet, & commenſuratio, à Græcis συμμετρία appellata.

RAIIANVS.

De qualitate.) Hæc qualitatis deſcriptio ſolùm qualitates accidentarias complectitur: aſsignata eſt etiam per notius, quia quale denominatiuum eſt notius, quoad ſenſum, qualitate denominante.

Ex his. (Ariſtoteles quatuor formas qualitatis propoſuit. & ſingulas geminato vocabulo expreſſit penuria (credo) ſimplicium vocum coactus. Habitus & diſpoſitio nec genere nec ſpecie, ſed numero tantùm differunt. Vt enim duo indiuidua qualitate accidentaria differunt tantùm: ita habitus & diſpoſitio qualitate ſeparantur tantùm. Habitus enim eſt firma qualitas, diſpoſitio non eſt firma.

Alia autem.) Naturalis potentia eſt quędam qualitas congenita alicui, per quam ipſum redditur naturaliter potens ad aliquid agendum. Contrà verò de naturali impotentia dicendum eſt.

Tertiò verò.) Paſsio eſt qualitas tranſiens, quæ ſenſui infert paſsionem, vt calor tactui: vel quæ ex paſsione infertur, vt rubedo ex verecundia. Paſsibilis qualitas eſt qualitas permanens, inferens ſenſui paſsionem: vt color plumbeus ex melancholia. Cęterùm hîc exoritur quęſtio: Paſsio eſt genus ſummum, ergo non poteſt eſſe ſpecies. Hoc ſic diluitur: Paſsio vt eſt effectus actionis, eſt genus ſummum: ſed

ſed vt ſenſum mouet, eſt ſpecies qualitatis.

Quarta demum.) Figura eſt, quæ termino vel terminis clauditur: vt circulus, triangulus. Forma eſt ipſa protractio & delineatio figuræ.

GLAREANVS.

De qualitate.) In hoc capite de qualitate tria facit. Primò ponit eius deſcriptionem. Secundo, quatuor eius ſpecies. Tertiò, tres eius ponit proprietates.

Ex his vna eſt, quæ habitus.) Habitus eſt qualitas difficulter mobilis à ſuo ſubiecto. Diſpoſitio verò eſt qualitas faciliter mobilis à ſuo ſubiecto. Vt qui literas pingere nouit, nondum autem promptè ac perfectè eas ſcribit, is habet diſpoſitionem. Qui nouit notas muſicas, ſed nondum eas promptè exprimere poteſt, is habet diſpoſitionem. At qui iam velociter ſcribere poteſt, aut expeditè canere, is habet iam habitum: qui actus naſcitur ex actibus frequenter reiteratis.

Alia autem qualit.) Ab habitu dicimur ſimpliciter boni vel mali, laudabiles vel vituperabiles. At non ita ſecundum naturalem potentiam vel impotentiam. Habitus exercitio & ſtudio acquiritur: ſed naturalis potentia ineſt nobis à natura.

De communitatibus & proprietatibus ipſius Qualitatis.

INeſt autem & Qualitati contrarietas: ut iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt, & albedo nigredini. Verùm non in omnibus hoc ita habet. Nempe rubori & pallori, cæ-

terísque huiusmodi medijs coloribus nihil est cõtrarium. Alioqui uni plura contraria erunt. Tum & figuræ nihil contrarium est, ut exempli gratia, triangulo, quadrato, cubito, nec non & ipsi circulo. Suscipiunt autem & magis & minus, non adeò qualitates ipsæ, sed quæ ab his qualia denominatiuè dicuntur: album magis, & minùs album dicitur, uel seipso, uel altero quolibet albo. At uerò ne hoc quidem figuris ipsis conuenit, suscipere, inquam, magis & minus. Nam quæcunque aut trianguli, aut quadrati, aut circuli definitionem suscipiunt, omnia peræquè aut triangula, aut quadrata, aut circuli sunt. Sciendum uerò, quòd tam hanc quàm illam communitatem potiùs quàm proprietatem dixerimus: quando ea secũdum utrãque dicta sunt, nec solis, nec omnibus conueniant qualitatibus. Maximè autem proprium qualitati est, ut secundum eam similia & dißimilia dicantur. Simile enim, aut dissimile alterum alteri dicitur, non secundum aliud quippiam, quàm secundum id quod quale est, siue à qualitate denominatur.

RAIIANVS.

Inest autem.) Hæc cõmunitas primo modo propria est: conuenit enim soli qualitati per se, cæteris prædicamentis non nisi propter qualitates. Sed non omni qualitati conuenit.

Alioqui.) Id incommodum sic ostenditur: Sit enim (doctrinæ causa) pallor contrarius rubori. Viridis color eadem ratione erit rubori contrarius. Quia non est potior ratio de vno colore medio, quàm de alio. Quo fit, vt plura, scilicet pallor & viridis color, sint vni rubori contraria secundũ idem.

Quod

Quod est euertere Aristotelis pronunciatum : qui quarto capite primi lib. de cælo & mundo docet, vnum tantùm vni esse contrarium secũdum idem. Nec sum nescius, plura posse esse vni contraria diuersa ratione: vt audacia & timiditas fortitudini. Qua de re disserit Aristoteles 8. cap. 2. libri Ethicorum, & in capite de oppositis.

Suscipiunt.) Denominatiua magis & minus admittunt, non autem ipsa denominantia.

Maximè.) Vt secundum quantitatem dicimur æquales vel inæquales : sic secundum qualitatem similes vel dissimiles.

GLAREANVS.

De communitatibus.) Duas enumerat communitates, & vnam proprietatem : nisi quis etiam primam proprietatem vocet.

De cæteris sex Prædicamentis breuis annotatio.

Decursis hactenus prioribus quatuor prædicamentis ex Aristotelis traditione, quæ certè consideratione aliqua egere uisa sunt etiam ipsi Aristoteli, quemadmodum idipsum & Boëthius apertè attestatur: restant posteriora sex: de quibus, priusquam ea prosequamur, præfari hoc pacto libuit: Aristotelem uidelicet, cùm priora illa quatuor latißimè prosecutus esset, posteaquam omnia numero decem, in principio sui tractatus ex ordine connumerasset, & per cõuenientia exempla declarasset, hæc sex posteriora ne repetere quidẽ curasse, præterquam ex

his duo tantùm, Agere & Pati: sed cursim admodum, atque id profectò haud inconsulte: id quod & Iacobus Faber Stapulensis ingenuè contestatur, quòd eorum scilicet uocabula, præsertim ultimorũ quatuor, trita prorsus & uulgaria sint, nullúmque proinde ad disciplinas momentum habeant; imò uerò ciuilibus atque forensibus negocijs nec non historiarum scriptoribus accommodatiora. Verùm enimuerò Gilbertus cognomento Poretanus, non contentus hoc Aristotelis siue cõsilio, siue iudicio, librum sex ultimis scriptum reliquit, alijs mirificè probatum, alijs propemodum contemptum, ut quibus labor ille superuacaneus planè iudicatus sit, quum si quid in illis ad disciplinas usus esset, id Aristotelem nequaquam latuisset. Nos igitur, ut tempori aliquid concedamus, uel potius ne ab institutis quorundam prorsus abhorrere uideamur: inter Aristotelem ipsum & hunc Gilbertum mediam tenebimus uiam, & in transcursu tantummodò de his susceptum prosequemur tractatum.

RAIIANVS.

Decursis.) Aristoteles prolixè copioséque de quatuor primis prædicamentis disseruit, quia hæc principia & elementa omnium aliorum sunt. Succinctè disputat de reliquis sex, quia hæc relationem significant, quæ explicata fuit. Tum etiam quia hæc in libris de Physico auditu, & prima Philosophia explicantur.

GLAREANVS.

De cæteris sex prædicamentis) In hac præfatiuncula asseuerat, non absque causa omissa sex posteriora

riora prædicamenta ab Aristotele: nec Gilberti Poretani studium ab omnibus probari, se media via incessurum (non ausus annectere, quod Petrus Hispanus fecit) & aliqua dicturum.

De Actione & Passione, & earum vtriusque tam communitatibus quàm proprietatibus.

Facere siue agere dicitur quispiam, cuius actio ab ipso in aliam quamlibet rem ueniens consideratur: Pati *uerò is, in quo actio illa consideratur, ut in quem uenerat: ut quum secat quispiam, eius sectio in id quod secatur transit.* Et *quum quid percutitur, percutientis actio in eo recipitur, atque eatenus ipsa percußio paßio dicitur.* Se*care igitur & percutere, agere est.* Secari *uerò & percuti, pati.* A*ctio igitur est, secūdum quā in id quod subijcitur, agere dicimur: Paßio uerò, illatio effectúsque actionis.* Recipit *autem agere & pati contrarietatem, & magis & minùs: quippe calefacere contrariū est ei, quod est frigefacere: & calefieri ei, id quod est frigefieri.* Sic *& calefacere, & frigefacere: & calefieri item & frigefieri dicimus hoc uel illud magis aut minùs.*

RAIIANVS.

Actio igitur.) Actio hoc loco est forma quædā, per quam in materiam subiectam agere dicimur. Omnis enim actio requirit subiectum in quod vim suam explicet. Id dicitur hoc loco subiici, quod ab alio virtute agendi superatur.

Recipit autem.) Agere & pati recipiunt contra-

rietatem, similiter magis & minus per accidens, propter contrarias qualitates, quas patiens ab agente recipit: vt calefacere est contrarium ei quod est frigefacere, quia calor & frigus contraria sunt.

GLAREANVS.

De actione & passione.) In hoc capite declarat voces, Facere & Pati: deinde definit actionem & passionem: tertiò proprietates earum ponit.

Sic calefacere & frigefacere.) Quælibet forma physica, vt calor, si consideretur in respectu ad agẽs, est actio: si in respectu ad patiens, passio. Sin consideretur, vt ab Esse imperfecto procedit ad Esse perfectum, sic dicitur motus, vt calor ad ignem, actio: ad aquam, passio ad Esse perfectum, motus. Beatus Thomas Aquinas, Porrò in agente, exempli gratia, in igne calfaciente, quatuor ordine reperiuntur. Primò forma substantialis ignis, quæ est principium effectiuam remotum actionis. Secundò, reperitur ibi naturalis potẽtia, itidem principium effectiuum, sed propinquum. Tertiò, ibidem reperitur calor, de tertia qualitatis specie. Cæterùm nullum istorum est actio: possunt enim omnia hæc esse in igne, cùm ignis nihil agit. Quartò, reperitur ibidem quædam alia forma superaddita igni, qua procedit de ocio in actum: vt qui priùs nõ calfaciebat, nunc calfacit, dicitúrque calfactio actiua, proximum principium calfactionis passiuæ in aqua, quæ passio dicitur.

Qua ratione vocabula harum duarum Categoriarum discerni possint.

Sanè

SAnè in his duobus prædicamentis ſpectare oportet, non ad figuram duntaxat ipſius dictionis, ſed ad ſignificata potius. Nam ſunt quædam, quæ & ſignificato & figuratione dictionis agendi uim habent: ut curare, docere, legere. Quædam figuratione tantùm, non etiam ſignificato: quippe quæ actiuè proferuntur, ſignificato tamen paßiua ſunt: cuiuſmodi uerba ſeu uoces ſunt timere, mœrere, uidere, intelligere. Quædam contrà ſignificato quidem actiua ſunt, figuratione uerò paßiua: ut inſidiari, proficiſci. Atque id quidem quod iam diximus, maximâ ſanè ex parte comprobat & confirmat Priſcianus Grammaticus libro 8. de uerborũ ſignificationibus: Actiua, inquit, ſpecies actionẽ ſemper ſignificat, & facit ex ſe paſſiuum, exceptis duobus, metuo metuor, timeo timeor. Quin & ad ſenſus pertinentia uerba, ſi quis altiùs conſideret, in actiuis uocibus paßionem, & in paßiuis actionem facere inuenimus: ut cùm dico, uideo te, audio te, tango te, oſtendo me in ipſo actu aliquid pati.

RAIIANVS.

Videre, intelligere.) Huius ratio eſt: vt enim videre eſt ſuſcipere ſpeciem obiecti in oculo, ita intelligere eſt recipere formam rei intelligibilis in intellectu. Quare vtrunque eorum pati eſt. Hac de re extat nobilis cõtrouerſia inter Peripateticos, Platonicos, Opticos: quam Ioannes Velcurio in Phyſica ſua accuratè examinat.

GLAREANVS.

Qua ratione.) Quædam verba actiua ſunt voce & ſignificatione ſimul: vt docere, ſecare, legere, percutere.

cutere. Quædam voce tantùm actiua ſunt, non ſignificatione: vt timere, metuere, mœrere, videre, intelligere: & fermè ſenſus verba. Quædam ſignificatione tantùm ſunt actiua, non voce: vt inſidior, loquor, luctor, & ferè deponentia.

De ſitu, ſiue poſitione, & eius ſpeciebus.

Situm eſſe Ariſtoteles *ait denominatiuè dici à poſitione Quæ quidem licet ipſa ſit alicuius* eorum, *quæ ad aliquid dicuntur, quæ tamen ab ea denominatiuè dicuntur, proprium prædicamenti genus faciunt: ut à ſtatione, quæ relatio eſt quædam, ſtare denominatiuè dicitur, quod quidem eſt ſitum eſſe.* Vnde *& ſitum eſſe, à* Ioanne Damaſceno *id dicitur, quod poſitionem habet quoquo modo ad alterum, puta ad partes corporis, uel ſic, uel ſic ſe habentis.* Huius *deinde tres ſpecies eſſe dicit: ſtare, ſedere, recũbere, id eſt, iacêre.* Et *ſtare quidem eſt, erecto omninò, corpore eſſe.* Sedere *uerò, partim erecto, partim incuruo.* Recumbere *uerò, in totum eſſe corpore proſtrato, quod & tribus contingit modis: nempe aut pronè, aut ſupinè, aut obliquè.* Eorum *autem quæ ſitum habent, hæc quidem ſecundum naturam ſita ſunt, ut elementa in proprio & ſuo quodque loco: hæc autem ſecundum artem, ut ſtatuæ atque columnæ.* Rurſus *eorum quæ ſita ſunt, hæc quidem ſunt, quæ nunquam loco mouentur, ut terra: hæc uerò quæ nunquam à motu quieſcunt, ut cœlum.*

RAIIANVS.

De ſitu & poſitione.) Huius capitis interpretatio præce

præcedit. Contrà enim, quàm in aliis factum est, in quibus interpretatio sequitur. Stare, sedere, accumbere, dicuntur constituere prædicamentum positionis, non quòd sint primogenia & præcipua huius prædicamenti, sed per sua denominantia, stationem, sessionem, accubitum. Denominatiua enim non per se, sed beneficio suorum denominantium ponũtur in prædicamentis.

Eorum autem.) Ea habent situm secundum naturam, quorum partes principia sunt aliquorum motuum: vt in homine caput, pedes, in plantis radices, rami. Ea verò habent situm secundum artem, quorum partes non sunt principia motuum: vt columna, fundamentum in domo. Elementorũ situm Ouidius lib. 1. Fast. & Plinius lib. 2. capi. 5. eleganter describunt.

GLAREANVS.

De situ, siue positione.) De situ, septimo prædicamento, potissimùm explicat, quot modis aliquid dicatur situm habere.

Situm esse.) Quoties respondetur ad interrogationem factam. Quomodo se habebat hæc res, cùm tu inuenires? Sedebat, stabat, quiescebat, &c. Est huius prædicamenti. Et notandum, pictorum esse exercitium in hoc prædicamento, atque adeò ingenij ostentationem. Porrò Gilbertus ita definit positionem. Positio est quidam partium situs: & generationis ordinatio: secundum quam dicuntur stantia, vel sedentia, leuia vel grauia, vel quomodolibet aliter disposita.

De Vbi, & Quando, & Habere.

EOdē propè modo, ut Boethio placet, & ubi, & quando, & habere ſeſe habent, ut quæ nec ipſa ſimpliciter intelligantur, quin potiùs ex alio naturam, id eſt, rationem trahant: id quod & Martianus Capella atteſtatur. Quo fit, ut nec ubi, nec quando eſſe poßint, niſi locus & tempus fuerint. Siquidem locum ubi, & tempus quando comitatur. Neque uerò idem eſt tempus & quando, nec locus & ubi: ſed propoſito priùs & loco, ſi qua res in eo loco eſt poſita, ubi eſſe dicitur. Vnde & ab Aurelio Auguſtino rectè dictum eſt: Locus eſt cuique rei, ubi eſt. Eodem modo ſi res quæpiam in tempore eſt, quando eſſe perhibetur, ut natale Chriſti cùm ſit certo in tempore, nempe 8. Calend. Ianuarij, quando ipſum eſſe dicimus. V bi ergo & quando hoc pacto à quibuſdam definiuntur: ubi eſt, quæ à loci circunſcriptione procedit corporis locatio. Quando uerò, quæ ex tempore relinquitur rerum affectio. Habent autem & ubi & quando proprias diuerſitates. Nam ubi aliquoties quidem infinitè dicitur, ut cùm alicubi quempiam eſſe dicimus: aliquoties uerò definitè, ut in foro, in gymnaſio. Sic & quando nunc definitè, nunc indefinitè dicitur. Habent rurſus & ubi & quando ſecundum locorum & temporum differentias diuiſionésque, ſpecies quaſdam & differentias. Et locorum quidem differentiæ ſunt, ſurſum, deorſum, antè, ponè, dextrorſum, læuorſum. Temporum uerò, præſens, præteritum, & futurum. Habere porrò (ut ſubinde Boethius ait) eſt quidam extrinſecus adueniēs, neque innatū ei à quo habetur: imò aliud quàm eſt illud ipſum, à quo habetur, in ſe uel potiùs circa ſe retinere: ut armatum eſſe, uel eſſe ueſtitum, & habere ueſtes

atque arma, quæ cum eo qui habet, nata non sunt, neque aliqua communi natura proprietatéue coniunguntur.

RAIIANVS.

Vbi ergo.) Vbi est quædam habitudo corporis locum aliquem obtinentis. Quæ habitudo in ipso loco prouenit ex eo, quia ipsum locatum à certo loco circunscribitur & continetur. Vnde dicimus: Bellum geritur in Africa. Cato Vticæ se interfecit.

Quando.) Quando est denominatio quæ à tempore oritur: vt, Homerus fuit ante Hesiodum.

GLAREANVS.

De vbi & quando: & hab.) Tria vltima tractat prędicamenta. Et definit ac comparat, & proprietates quasdam eorum explicat.

Habere porrò.) Gilbertus Poretanus ita ait: Habitus est corporum, & eorum quę circa corpus sunt adiacentia, secundum quem hæc quidem habere, illa verò haberi dicuntur. Porrò de octo modis habendi, dicetur vltimo huius tractatus capite.

De Oppositis.

Consequens est autem de ijs dicere, quæ (ut diximus) Postprædicamenta à recentioribus appellantur, & primùm quidem de oppositis, quoties scilicet opponãtur. Opponi autem alterũ alteri quadrupliciter dicitur: Nempe aut ad aliquid: aut ut contraria, aut ut habitus & priuatio, aut ut affirmatio & negatio. Atque hæc omnia cõmuni quidem nomine opposita dicuntur, quòd ueluti ex aduerso sibi obsistere, & contrà stare uideantur. Ad aliquid

aliquid igitur opponi dicuntur, quæcunque hoc ipsum quod sunt, oppositorum dicuntur, uel quomodolibet aliter ad hæc: ut dimidium opponitur duplo, & eiusdem dupli dimidium est: & paruũ opponitur magno, & ita, ut ipsum paruum ad magnum, cui opponitur, paruũ sit. Contraria uerò dicuntur, quæ ita sibi opponuntur, ut eorum nõ sint, quibus opponuntur, sed sunt sibi inuicem contraria: ut bonum, quod licet malo opponatur, non tamen mali bonum est, sed malo contrarium. Itidem & album, non nigri album est, sed nigro contrarium. Habitus autẽ & priuatio dicuntur, quæ & ipsa quidem opponuntur sibi, sed ita, ut circa idem aliquid necessariò uersentur: ut uisus & cæcitas circa oculum, auditus & surditas circa aurem. Quartum demum oppositorum genus est, ut affirmatio & negatio, quo quidem genere opponuntur quæcunque inter se uerum & falsum cõdiuidunt, ut Socrates ambulat, Socrates non ambulat.

RAIIANVS.

De oppositis.) Hic tractatus dicitur vulgò Postprædicamenta, quia continet quorundam vocabulorum explicationem, quibus Aristoteles in prædicamentis vsus est. Dicuntur autem opposita: quæ in eodem, secũdum idem, eodem tempore, circa vnam eandémque rem, simul esse non possunt. Rodolphus sic: Opposita dicuntur, quæ ita repugnãt vnum vni, vt neque alterum de altero, neque ambo de eodem tertio dici posint. Illud hîc silentio inuoluendum non est, oppositionem in tribus inueniri: in terminis, de qua disserit hîc Cæsarius: in syllogismis, de qua disputat Aristoteles decimoquinto cap. libr. 2. priorum:

priorum in propositionibus, cuius mentio est apud Aristotelem libro de interpretatione.

GLAREANVS.

De oppositis.) Quinque sunt postprædicamenta: Oppositio, cuius quatuor sunt species: Prius, & eius quinque modi: Simul, & eius tres modi: Motus, & illius sex sunt species: Habere, & eius octo modi.

De oppositorum definitionibus & proprietatibus.

CAeterùm hæc quónam pacto definiantur, dicendum item breuiter. At uerò quoniam de his, quæ ad aliquid seu relatiua dicuntur, suprà dictum est, cùm de prædicamentis tractaremus: de reliquis tribus id tãtùm nunc agamus. Itaque cõtraria definiuntur, quæ in eodem genere posita, plurimùm à se distant, quæ eidem susceptibili uicißim insunt, unde & mutuò se expellunt, nisi quæ per naturam subiectis suis insunt. Itaque ex cõtrarijs si unum fuerit, non necesse est alterum esse. Contraria rursus eidem simul inesse est impoßibile. Sed & contraria omnia circa idem aut genere, aut specie uersantur: ut ægritudo & sanitas circa corpus, iustitia & iniustitia circa animam. Omnia insuper cõtraria uel in eodem genere sunt, ut album & nigrũ: uel in contrarijs generibus, ut iustitia & iniustitia: uel sunt ipsa contraria genera, ut uirtus & uitiũ, bonum item & malũ. Bono quippe malum ex necessitate contrarium est: malo autem aliquando quidem bonum, aliquando uerò & malum. Id quod facile uidere est in uirtutibus & uitijs moralibus. Sed & de cõtrarijs ipsis ad eundem ferè modum Victorinus loquitur in his Commentarijs,

mentarijs, quæ in Rhetorica Ciceronis de inuentione scripsit: Contraria (inquit) tribus modis inueniri possunt: cùm aut sub eodem genere species multùm inter se distãt, aut singulis generibus diuersis species etiam diuersæ sunt, aut duo genera inter se diuersa sunt. Hæc ille. Porrò quæ secundum habitum & priuationem opponuntur, ea esse definiuntur, quæ circa idem fieri nata sunt ordine irregreßibili, & tempore per naturam determinato. Et hæc quidem sunt, quæ potentiæ priuatione talia dicũtur. Nam quæ talia sunt priuatione actus, hæc utique circa idem fieri possunt ordine regreßibili: cuiusmodi sanè sunt motus & quies, lux & tenebræ, somnus & uigilia. Iam uerò & quæ secundum affirmationem & negationem opponuntur, ea ipsa definiuntur, quorum secundum se nullum datur medium, & quæ in contradictione cõsistunt. Contradictio porrò dicta est, quasi opposita dictio, id est, locutio. Huius nimirũ hoc præ cæteris proprium est, quòd siue res subsistat, siue non sit omninò, in alterutra tamen contradictiõis parte uel ueritas, uel falsitas semper inuenitur: quod certè in alijs oppositionibus minimè euenit. Nam si quid omninò non est, illud neque ægrum, neque sanum esse potest: tum neque cæcum, neque uidens. Nec, si non est omninò qui genuit, iam aut filius, aut pater erit. Verumtamen siue fuerit quippiam, siue non fuerit, contradictio nihilominus cõstabit semper. Et uerum & falsum dicet, quicunque dixerit, Socrates est, uel Socrates non est.

RAIIANVS.

Itaque contraria.) Finitio hæc contrariorum cõplectitur solùm qualitates accidentarias. Cuius prima pars reiicit priuatiua: quæ per se in nullo sunt genere.

genere. Secunda colores medios, qui non plurimum distant. Vltima remouet ea, quorum alterum est à natura.

Itaque ex cõtrariis.) Huic loco obiicitur inexpugnabile argumentum. Aristoteles scribit tertio capite de cœlo & mundo: Si vnum contrariorum sit, oportere alterum esse: vt si terra sit, oportere ignem esse: nam hæc contraria sunt. Hoc obiectum sic diluendum est. In contrariis elementorũ si est vnum, oportet aliud esse: quia hæc perpetuò in se inuicem agunt, & à se mutuò patiuntur. Sed in aliis contrariis id non est necesse.

Porrò quæ secundum habit.) Ex hac definitione priuatiuorum duplicia priuatiua cõstituenda sunt. Quædam potẽtiæ: quæ significant priuationem formæ, quæ recuperari non potest: vt cæcitas & visus. alia sunt priuatiua actus, quæ actum solùm auferunt: vt tenebræ & lux. Cùm ergo dicitur, A priuatione ad habitum non est regressus: id est accipiendum de priuatiuis potentiæ, non autem actus.

Quorum secundum se.) Id adiectum est, quia inter omnia opposita est medium quoddã, quatenus ad contradictoria reducuntur. Inter contradictoria nullo modo est medium.

Huius nimirum.) Insigne discrimen inter cõtradictoria, & cæteras species oppositionis.

De quinque modis Prioris.

PRius autem alterũ altero quinque dicitur modis. Primo quidem id quod secundum tempus altero prius est,

ut

ut quod antiquius altero est, aut uetustius. Hinc Thebanorum bellum prius, id est antiquius seu uetustius, dicitur excidio Troiano, idcirco quòd tempore præcesserit: & Pythagoram priorem, id est, seniorem, Socrate dicimus: & Socratem Aristotele. Secundo autem modo prius illud dicitur, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: quo quidem modo unum duobus prius est. Nā duobus existentibus, unum iam esse consequens est: at non contrà. Non enim si unū est, consequens continuò erit, ut sint duo. Atque hoc modo quod prius est, secundum naturam prius esse dicitur. Tertio uerò modo prius esse dicitur, quod ordine quodam anteuertit: id quod in disciplinis & orationibus Rhetoricis, & alijs huiusmodi, ut in Reipubl. administrationibus facilè est uidere. In disciplinis quidem, ut exempli causa, in Geometria elementa figurarum delineationibus priora sunt, & principia ijs, quæ ex illis demonstrantur, hoc est, ipsis conclusionibus. Elementa autem dico punctum, lineam, superficiem. In Rhetoricis uerò orationibus proœmium, id est, exordiū narratione prius est: & in reipubl. administratione consilium actione. Quarto deinde modo prius id dicitur, quod melius est & honorabilius: & præstantius & dignius altero. Quo sanè modo sol luna prior est, & anima corpore. Sed ut ipse Aristoteles ait, alienißimus hic modus est à significatione prioris. Siquidem isto modo (quod & Boethius approbare uidetur) quicunq; dignitate & reuerētia cæteris præcellūt, magis propriè uenerabiles & honorabiles dicūtur: ut uerò priores dicantur, abusio potiùs est, quàm ulla proprietas. Quintò demùm prius dicitur alterū altero in ijs, quæ secundū subsistendi consequentiam conuertuntur: nempe illud quod alterius quomodolibet causa est & principiū:

ut

ut ueritas imagine, & lux ipso lumine siue splendore: & in orationibus prius quidē est rem ipsam subsistere, quàm ueritas constet propositionis: ut si uerum est hominem esse, uera iam ea est oratio, quæ dicit, homo est. Ac rursus, si oratio uera est qua dicitur, homo est, uerum iam quoq; est hominem esse: & tamen hominem esse, hoc est, eius rei subsistentia, causa insuper est, cur propositio de homine uera habeatur. Itaque rei subsistentia ueritate sermonis prior est.

RAIIANVS.

De modis prioris.) Hunc modum primum Aristoteles vocat præcipuum, quia ab hoc cæteri omnes denominantur, & quia, quoad sensum, notior est.

Secundo autē.) Secundo modo id est prius, quo posito non ponitur posterius, & quo interempto interimitur posterius: vt posito animali, non ponitur homo: & sublato animali, aufertur homo. Et generatim omne superius est prius secundo modo, si ad suum inferius referatur.

Tertio modo.) Tertio modo ea priora dicuntur, quæ ordine quodam doctrinæ præponuntur, vt sequentibus pleniorem adferant lucem. Sic in Geometria finitiones lineæ superficiei sunt priores.

Quarto deinde.) Hoc quarto modo id dicitur prius, quod præstantius est. Aristoteles vocat hunc modum alienum; quia non quatenus aliquid melius est, prius est, sed quia in eodem genere aliud præcedit. Author Simplicius.

Quinto demum.) Hoc modo hîc dicitur prius

naturâ, quod cum alio conuertitur, & illius est causa.

GLAREANVS.

A quo non conuertitur.) Subsistendi consequentia dicitur, quando argumentamur ab vnius existentia ad alterius existentiam: vt, Homo est, ergo animal est. Sed non conuertitur: Animal est, ergo homo est. Quare animal prius est homine, & omne superius suo inferiore. Tamen nonnunquam subsistendi consequentia conuertitur: vt in his tribus, Animal rationale, homo, & risibile: sed duo & vnum non item.

In disciplinis quidem.) Faciliora exempla erant in Grammaticis & Dialecticis. Priùs enim noscere oportet literas, quàm syllabas: deinde syllabas prius, quàm dictiones, aut orationes. In Dialecticis cognitio prædicabilium & prædicamentorum præcedit cognitionem propositionis. Propositionum cognitio prior est Syllogismo & Enthymemate.

De tribus modis eorum, quæ sunt simul.

Simul autem dicuntur aliqua tribus modis. Primo quidem & simpliciter & propriè simul dicuntur, quorum generatio eodem fit tempore, ut gemini: qui ob id simul esse dicuntur, quòd unius temporis ortu editi sunt. Secundo uerò modo simul dicuntur, quæcunque ad se inuicem conuertuntur, sed ita, ut alterum alteri subsistendi neque causa sit, neque principium, ut duplum & dimidium.

dium. Etenim hæc ad se inuicem conuertuntur: quoniam si duplum est, dimidium est: & si dimidium, & duplum: & tamen neutrum alteri causa est, ut nec pater filio causa est ut sit, nec filius patri. Quod uerò dico, huiusmodi est: Aeneas habuit Ascanium filium, non tamen causa fuit ut filius esset, sed ut esset Ascanius. Sicut igitur filius dicitur quispiã, cùm primùm ei fuerit pater: ita & pater iam dicitur, cùm primùm ei fuerit filius. Tertio autem modo simul dicuntur, quæ ex eodem genere ex aduerso diuiduntur à se inuicem: ut homo & equus. Homo nanque & equus, quoniam sub eodem genere ponuntur, nempe animali, simul esse dicuntur. Eodem sanè modo & de cæteris speciebus dicendum, quæ sub eodem genere, uel hoc, uel alio ponuntur. Quo fit, ut omnes species eiusdem generis æquæuæ sibimet sint, & generi illi æqualiter supponantur. Porrò autem & differentiæ, quæ genus aliquod condiuidunt, simul esse dicuntur, ut rationale & irrationale. Sanè sciendum, quòd quæcunque secundo & tertio modo simul sunt, hæc natura simul dicuntur, primò modo simul dicuntur tempore.

RAIIANVS.

Primò quidem & simpliciter.) Quemadmodum id propriè prius est, quod tempore aliud antecedit: ita ea propriè dicuntur simul, quorum generatio in eodem est tempore.

Secundo verò modo.) Hic secundus modus differt à quinto modo prioris. Nam hîc alterum non est causa alterius, ibi verò alterum est causa alterius.

Vt nec pater.) Pater non est causa filij: id verum

est, si spectes relationem, habitudinem, respectum. Nam omnis causa est prior suo effectu: pater autem quatenus patris nomenclaturam habet, ne momento quidem temporis prior filio intelligi potest. Substantia patris est causa substantiæ filij. Nam res ea quæ pater est, prior est tempore substantia filij.

Tertio modo.) Hoc modo membra diuidentia aliquod totum, sunt simul, quatenus ad ipsum totum referuntur: vt ferum & mansuetum respectu animalis. Si verò alterum membrorum ad alterum referatur, vt ferum ad mansuetum, alterum potest esse prius altero.

GLAREANVS.

Quorum generatio.) Hoc exemplum fortaßis non adeò aptum est, propter Eurysthenem & Proclem geminos, & Lacedæmoniorum reges, vt refert Herodotus lib. 6. Sed duo oculi, vel duæ aures simul esse possunt. Et subiectum cum propria paßione, tempore simul sunt, quanuis subiectum prius natura.

Eodem sanè modo & de cæteris specieb.) Species inter se alia aliâ perfectior & prior est: vt homo prior est equo & asino. Species comparatæ ad genus, coæquæuæ sunt. Cæterum tantus inter species est ordo (inquit Herphæus) vt non poßint dari duæ species eiusdem perfectionis: quoniam si eiusdem perfectionis essent, essent eędem, siue idem. Quanquam hoc in confesso est, has perfectiones nobis non esse notas.

De sex speciebus motus.

Motus verò species sex sunt: generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio. Et generatio quidem motus est ad substantiam, cui opponitur corruptio, motus proinde à substantia. Augmentatio verò motus ad quantitatem, cui diminutio opponitur, motus videlicet quo acquisita iam antea, & paulatim aucta quantitas fit minor, deperditúrque. Alteratio est, qua aut qualitas acquiritur, aut deperditur acquisita. Secundum locum verò mutatio dicitur, quæ fit aut ad locum, aut circa locum: ad locum quidem, ut quæ secundum rectum fieri dicitur: circa locum verò, quæ in gyrum siue in orbem. Omnium autem horum motuum ex aduerso quietem intelligimus, cùm tamen in his speciebus motuum ipsi motus sibi inuicem contrarij sint, præter eum motum, qui circa locum fieri dictus est: ut est motus corporum cælestium, cui nullus motus contrarius est. Cæterùm animaduertendum hoc est, haudquaquam absonum esse, quod dictum est, motum esse motui contrarium, & item quietem: quasi verò duo iam uni contraria esse dixerimus, non unum uni, ut in Physicis Aristoteles docet. Quandoquidem id quod dictum est, secundum aliud, & item aliud fieri intelligitur, quemadmodum id Ioannes Damascenus in sua Dialectica subtilißimè adnotauit. Nam eidem motui motus quidem opponitur, ut habitus & forma, siue actus: quies verò, ut finis & priuatio.

RAIIANVS.

Motus verò species sex sunt.) Motus vt res diuersorum prædicamentorum comitatur, ad Dialecticum pertinet: sed vt est actus corporis mobilis,

 bilis,

bilis, ad Physicum pertinet. Motus hoc loco sumitur pro mutatione. Nam motus vt propriè & strictim sumitur, tres tantùm habet species: augmentationem, diminutionem, alterationem, motum localem. Videndus est Aristoteles 2. cap. 5. lib. Auscultatoriorum.

Cæterùm.) Occurrit tacitæ obiectioni: Motus est contrarius motui: & quies motui contraria est: ergo plura erunt contraria vni. Respondet, non esse incommodum, plura esse vni contraria secundum diuersa. Motus est contrarius motui, vt habitus habitui: sed quies est contraria motui, vt priuatio habitui.

GLAREANVS.

Secundum locum verò mutatio dic.) Nota: Motus in quatuor inuenitur prædicamentis: nam generatio & corruptio pertinent ad substantiam, augmentatio & diminutio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad vbi.

De octo habendi modis.

Habere quoque multis modis dicitur. Nam habere quis dicitur, aut ut qualitatem aliquam, ut scientiam uel uirtutem: aut ut quantitatem, magnitudinémue, & hanc quidem uel bicubitam, uel tricubitam, aut aliâs quantamcunque: aut ea quæ circa corpus sunt, ut ue=stimentum, cuiusmodi est subucula uel penula: aut ut in parte aliqua corporis, ut in digito annulum, uel tor=quem in collo: aut ut partem aliquam sui, nempe ma=

num uel pedem, uel caput: aut ut in uase, quemadmodum modius dicitur habere triticum, & lagena uinum, & amphora aquam, ut sit habere pro continere: aut ut possessionem, quomodo dicitur aliquis domum habere uel prædium: aut ut uxorem, quemadmodum uir uxorem habere dicitur. Sed ut Aristoteles quoque ait, idque per iocum, (ut uidetur) alienißimus hic habendi modus est: siquidem nihil aliud est uirum habere uxorem, quàm eidem cohabitare. Ideò autem hunc habendi modum impropriè dictum putant multi docti, ac per hoc penè respuunt, quòd aiunt non haberi posse, quod habentem habeat: sed multò rectiùs dici, uiro mulierem esse, & pari uice mulieri uirum.

RAIIANVS.

Habere quoque.) Varius & multiplex est vsus huius verbi habere: ideo ne aliquid erroris in vocabulo relinquatur, eius enumerat potestates. Habere vt refertur ad suas species, vt armatum esse, calceatum esse, genus est: sed vt complectitur hos omnes modos, multiplex videtur. Aristoteles hunc modum alienissimũ vocat, quia in aliis modis id quod habet, non dicitur vicissim haberi ab eo quod habet: vt habens annulum, non habetur vicissim ab annulo. Sed vt vir habet vxorem, ita etiam vxor virum. Paulò tamẽ eruditiùs dicemus, Viro est vxor, & vxori est vir. Illud tanquam appendicem prædicamẽtorum adiiciemus, geminam eorum potissimũ esse vtilitatem. Hinc enim omnium rerum in vniuersa natura ordo facilè cognoscitur: hinc etiam vocum finitiones, si quãdo de earum vi & potestate

dubitetur, petuntur. Prædicamenta enim quæ voces cum quibus cognationem habeant, ostendunt. Quintilianus libro tertio capite sexto locos statuũ fecisse videtur. Omnis quæstio proposita, per hæc duci potest: Quid, quale, quantum id, de quo quæritur, sit.

GLAREANVS.

Ideo autem hunc habendi modum) Habere qualitatem, est affici qualitate: habere quantitatem, est mensurari quantitate. Cæterum in Latina lingua hi modi non habentur. Circa corpus autem, quæ propter necessitatem sunt, constituunt tertium modum, qui est prædicamentum: quæ verò ornatum, quartum.

IN

IN TRACTATVM TERTIVM PRÆFATIO BREVIVSCVLA.



Xpedita utcunque à nobis in prioribus duobus libris, siue tractatibus, ea parte Dialecticæ, quã Elementariam uocant, utpote quæ Prædicabilia tantùm & Prædicamenta, simplices quidem uoces, cõplectatur: sequitur hinc tractatus tertius de propositione, quæ & ipsa huius artis pars quædam est: quippe quæ prima ex simplicibus illis & incomplexis uocibus, perfecta constituitur oratio. Atqui huius quoniam nomen & uerbum partes sunt, & hæc ipsa per uocem definiuntur: à uoce haud ab re huius tractatus exordium sumere licebit.

RAIIANVS

Expedita vtcunq;) Voces simplices enunciationem constituunt: explicatis itaq; vocibus simplicibus, de Enunciatione dicẽdum est. Huius tractatus tertij scopus est, naturam propositionis planam facere. Cuius mirifica est vtilitas. Nam in omni controuersia, negotio, oratione, epistola, constituenda est aliqua propositio, in qua eius negotij summam, de qua loquimur, comprehẽdamus. In oratione pro Cęlio: Nemo studiosus est deditus voluptati. In causa Miloniana, Omnis insidiator est iure occidẽdus. Et apud bonos authores sexcenta de eo genere reperire licet. Cæsarius in hac præfatione tres Diale-

ćticæ partes, inuentionem, iudicium, elementariam constituere videtur. Sed elementaria sub inuentione cõtinetur. Nam quinq; vocum tractatus docet, quæ voces cum quibus cognationem habeant: & in syllogismo medius terminus cum subiecto probandæ conclusionis cohæret. Quinque vocum ergo tractatio inuentionem termini medij iuuat.

GLAREANVS.

Atqui huius quoniam nomen & verb.) Quæ sequuntur, ex Petro Hispano sunt, qui propè elegangantiorem dat rationem. Nam vt auditores faceret attẽtos & beneuolos, ponit quid sit Dialectica. Dialectica est, inquit, ars artium, scientia scientiarum, ad omnium methodorum principia viam habens. Sola enim Dialectica probabiliter disputat de principiis omnium aliarum scientiarum: ergo prima debet esse. Verùm quòd disputatio non potest esse absque sermone, & sermo non absque voce, neque vox absque sono, ideò à sono incipiendum. Hæc ille. Cæterùm Aristoteles lib. 2. de Anima, ita definit vocem: Vox est, inquit, repercussio aeris respirati ab anima, ad vocalem arteriam facta, cum imagine significãdi. Est autem hæc Aristotelis definitio causalis, vt illa: Dies est latio Solis super hemisphæriũ: repercussio, causa formalis: aeris respirati, causa materialis: facta ad vocalem arteriam ab anima, causa efficiens: cum imagine significandi, causa finalis.

Quid sit vox, tum etiam quid sonus.

VOx igitur est, ut à nonnullis definitur philosophis, ex ictu aeris elicita qualitas, auribus accidēs. A recētioribus autem, & ijs quidem, qui superioribus aliquot annis circa hanc artem uersati sunt, magis conuenienter accommodatéque ad hunc locum hoc pacto definitur: Vox est sonus, qui ab ore animalis proficiscitur, certis quibusdam naturæ instrumentis formatus. Sonus item ab eisdem quoque definitur, quicquid propriè & per se auditu percipitur. Itaque uox sonus est, non quilibet, sed qui (ut dictum est) ab ore animalis proficiscitur, formatúrque interim certis quibusdam naturæ instrumentis, quæ quidem sunt guttur, lingua, palatum, primores quatuor dentes, & labia duo, quibus à quibusdam additur & pulmo. Nam per guttur uocalis arteria intelligitur, quæ & spiritalis fistula appellatur. Ex quo iam liquidò patet, quòd neque manuum ad se inuicem complosus, neq; pedum strepitus, aut fragor arborum, & in nubibus tonitrus, uoces ullo modo dici debent. Quin & ob eandem fortaßis causam neque tußis, neq; excreatio, & si quid huiusmodi est, uoces propriè dici poßunt, licèt de animantis ore prodeant.

RAIIANVS.

Vox igitur.) Μεθοδικῶς omninò Cæsarius progreditur, quod & scribenti & docēti in primis curę esse debet. Dicturus de nomine, verbo, oratione, quæ voces sunt, prius docet quid vox, & quæ eius diuisio. Quæ omnia, etsi ad naturalem philosophum pertinent potiùs, quàm ad Dialecticum: hîc tamen quatenus huic instituto vtile est, breuiter & in trāscursu

sequentur enarranda sunt. Tria ad vocis finitionem necessaria sunt: Percutiens, scilicet anima: percussum, scilicet aer respiratione attractus: & id ad quod fit percusio, scilicet arteria vocalis. Videndus est Aristoteles octauo cap. 2. libri de Anima: & nono capi. tertij libri de historia Animalium.

Sonus item.) Huius ratio est, quia sonus est proprium obiectum auditus. Vt sonus edatur, tria concurrant necesse est: corpus percutiens, percussum, & aer motus vel collisus.

Nam per guttur.) Arteria vocalis est conceptaculum spiritus naturalis misti: in quo plus spiritus est quam sanguinis: contrà, vena est cōceptaculum sanguinis, quod ἀγγεῖον medici vocant, misti confusique cum spiritu naturali, in quo plus sanguinis est, minus spiritus. Videndus est Aulus Gellius libr. decimooctauo, capite nono.

Debent.) Quia non formantur omnibus naturalibus instrumentis.

Quin &.) Rationē huius reddit Aristoteles: quia omnis vox est sonus significans naturaliter, vel ad placitum.

GLAREANVS.

Vox sonus est non quilibet.) Versus vuulgares sunt de nouem vocis instrumentis,

Instrumenta nouem sunt, guttur, lingua, palatum,
Quattuor & dentes, & duo labra simul.

Sonus item ab eisdem quoque definit.) Omnium sensuū est aliquod obiectum. Visus, color, auditus, sonus, gustus, sapor, olfactus, odor, tactus, quatuor qualitates

qualitates primæ: calor, frigus, humor, siccitas, atque ea quæ eas proximè contingunt: asperum, lęue, molle, durum, &c. Cómunia verò obiecta sunt quinque: Magnitudo, quies, numerus, motus, figura.

De vocis diuisione.

VOcum autem alia quidem significatiua est, alia uerò non significatiua. Porrò significatiua uox ea dicitur, quæ per auditum aliquid intellectui repræsentat. Nō significatiua autem, quæ nihil omninò significat, ut quæ neque naturaliter, neque secundùm placitum apud intellectum quicquam constituit: ut literæ propemodum, & syllabæ. Itaque bifariam uox significare dicitur, tum naturaliter, tum secundum placitum. Naturaliter quidem uox significare dicitur, quæ naturalem duntaxat affectum animi monstrat: ut est dolor, aut gaudium, cuiusmodi sanè uoces sunt gemitus ægrotantium, & lugentium eiulatus, insolentium item cachinnus & risus indecēs, tum bonorum cuiusque animalium uox propria. Secundum placitum autem, quæcunque ex impositione rem aliquam designat, ut sua uniuscuiusque gētis lingua siue loquela, qua quis utitur, quoties alteri indicare uolet, quicquid animo conceperit. Hæc rursus diuiditur: Alia nanque tempus secum ad significationem trahit, ut ambulo: alia præter tempus significat, ut homo. Cæterùm hæc nomen, illa uerò uerbum apud Dialecticos appellatur, ex quorum utriusque debita complexione uox constituitur, quæ oratio dicitur, uox proinde complexa: ut tam nomen quàm uerbum, uox incomplexa. At de nomine quidem primùm hic dicamus oportet.

RAIIANVS.

Vocum autem.) Prima diuiſio vocum: Alia ſignificat determinatũ aliquid, vt virtus, homo: alia nihil determinatè, vt voces infantium, ebrioſorum.

Itaque bifariam.) Secunda diuiſio: Vocum ſignificatiuarum alia ſignificat naturaliter, vt quæ apud omnes homines idem ſignificat, vt gemitus ægroti: alia ex arbitrio imponentis, vt ſcientia.

Hæc rurſus.) Tertia diuiſio: Vocum ſignificatiuarum ex impoſitione alia ſignificat cum tempore, vt lego, alia ſine tempore, vt fortitudo.

GLAREANVS.

Typus

Typus huius capitis.

Sonus est, quicquid propriè ab auditu percipitur: cuius alius est

- *Non vox: est qui generatur ex collisione duorum corporũ inanimatorũ: vt fragor arborũ: strepitus pedũ*
- *Vox est sonus ab oratione animalis prolatus, naturalibus instrumentis formatus: cuius alia*
  - *Non significatiua, quæ auditui nostro nihil repræsentat: vt, Bu, ba, buff.*
  - *Significatiua, quæ auditui nostro aliquid repræsentat. Huius alia est significatiua*
    - *Naturaliter, quæ apud omneis homines idem repræsentat: vt gemitus infirmorum, latratus canum.*
    - *Ad placitum, quæ ad voluntatem primi instituentis aliquid significat. Huius alia est*
      - *Incomplexa. eius duæ partes:*
        - *Nomen*
        - *Verbum.*
      - *Complexa. & vocatur oratio. Et est duplex:*
        - *Perfecta. ea est multiplex:*
          - *Indicatiua. & vocatur propositio. Ea duplex est:*
            - *Categorica: vt, Homo currit.*
            - *Hypothetica: vt si homo currit, homo mouetur.*
          - *Imperat.*
          - *Deprecatiua.*
          - *Optat.*
        - *Imperfecta: vt Albus homo.*

De nomine.

NOmen itaque uox est significatiua, secundum placitum, sine tēpore, cuius nulla pars significatiua est separata, finitum aliquid designans, & casus recti. Sanè in hac definitione uox generis locum obtinet, utpote pluribus communis. Significatiua, deinde adiectum est: nam sunt & uoces, quæ nihil significant. Rursus secundū placitum, quòd sint uoces, quæ naturaliter tantùm significāt. Sine tempore autem, quoniam uerba quoq; uoces sunt significatiuæ secundum placitum: sed distant à nominibus, quòd nomina quidem sine tempore, uerba autem cum tempore significant. Adiectum præterea est, cuius nulla pars significatiua est separata, propter rationem, siquidem huius partes utique & separatæ significāt, ut mox dicetur. Postremò autem adpositæ sunt particulæ duæ, una quidē, nempe finitum aliquid designans, propter nomina infinita: altera uerò quæ quidē est & recti casus, propter nominum obliquos casus: qui quoniam cum EST *uerbo copulati, plenam absolutámque sententiam explicare nō possunt, non nomina, sed casus nominum iure nuncupantur: ut non rectè dixeris, demonstrato quopiam, Catonis est, Catoni est, aut Catonem est: sed Cato est.*

RAIIANVS.

Nomen itaque.) Explicatis communibus, ex quibus colliguntur genus & differentia nominis, integram conficit nominis finitionem. Nobile est caput apud Aristotelem 14.2. libr. posteriorū, quo docet finitionem ex diuisione inuestigādam esse: quod Dialectices candidatis etiam atq; etiam cōmendo.

Cæterùm

Cæterùm vt huic loco lucis aliquid adferamus, ſciendum eſt, authores in diſciplinis tradendis duplicem viam obſeruare conſueuiſſe: aut à toto ad partes progrediuntur, & hæc dicitur reſolutoria, qua Ariſtoteles in libris priorum vſus eſt: aut contrà à partibus ad totum, & eſt compoſitoria, qua Ariſtoteles in libro de Interpretatione vſus eſt. Et eum hîc ſecutus eſt Cæſarius. Ex partibus enim nominis inueſtigauit nominis finitionem. Deinde ex finitione nominis & verbi inquirit orationis finitionem: Cæſarius ſingulas particulas finitionis nominis ſatis accuratè enarrat.

Ait aut ſecundum plac.) Plato in Cratylo exiſtimat, nomina ſimpliciter ſignificare naturaliter, quia ſunt naturales rerum ſimilitudines. Ammonius verò putat nomina eſſe naturalia, quoad etymologiam: Quia nomina à proprietate in re ipſa reperta, impoſita ſunt. Sed ſi ſpectemus ſignificationem, ex inſtitutione ſignificant. Ariſtoteles verò vult, nomina ſignificare ex impoſitione: quia ab arbitrio imponentis ad ſignificandum imponuntur.

Nempe finitum.) Ita colligit: Omne nomen ſignificat rem certam: nomen infinitum non ſignificat rem certam: ergo non eſt nomen.

Altera.) Omne nomen, ſi ei addatur verbum, efficit orationem veram aut falſam: ſed caſus nominis, verbo ei addito, non efficit orationem veram aut falſam: ergo caſus nominis non eſt nomen.

GLAREANVS.

Adiectum præterea eſt, cuius nulla pars.) Quicquid

quid minùs significat quàm dictio, nihil significat: Sed nominis partes minus significant quàm dictio: Ergo nihil significant. Et ratio est, quia dictio primariè posita est, vt aliquid significaret: neque quicquam est quod significat, nisi quod positum est primum ad significandum. Partes itaque compositi, in quantum partes compositi, nihil significant: per se autem, benè significant.

Nota quòd triplex est negatio. Negans, quæ cadit super copulam propositionis, separátque prædicatum à subiecto: vt, Homo non est asinus. de qua dici solet, Negatio est malignantis naturæ: quicquid post se inuenit, hoc totum destruit, & oppositum eius inducit. Negatio priuans est, quæ remouet formam à subiecto apto nato: id est, quæ tollit habitum, & derelinquit subiectum cum aptitudine: dicitúrque tantum de ente, vt cæcus, iniustus. Chimæra enim non dicitur cæca, sed neque lapis. Negatio infinitans est, quæ tollit determinationem, & significare facit communissimum entis conceptum. Significat enim non homo, omne ens quod non est homo, nullum tamen determinatè. Præterea hæc negatio cum coniuncto componitur: id est, cum nomine cui iungitur, fit vna orationis pars (nam non homo, est velut vna dictio) quod non facit negatio negans.

De Verbo.

VErbum autem est uox significatiua secundum placitum, cum tempore, cuius nulla pars significatiua est separata,

separata, finitum aliquid designans, & casus recti. Quæ quidem uerbi definitio, præter particulam, cum tempore, omnia cum nomine habet communia. Siquidem id uerbi proprium est, significare, inquam, cum tempore. Ergo quòd & participium cum tempore significat, hoc à uerbo habet, unde deducitur. Neque uerò mouebit quempiam, quòd ex nominibus quidem ipsis quædam etiam tempus significant, ut annus, mensis, dies: attamen nullum eorum tempus consignificat, quemadmodum Aristoteles ait. Cæterùm ut nomina finita sunt ac infinita, ita ex uerbis quoque alia finita sunt, alia infinita: finita, ut ambulo, disputo: infinita uerò, ut non ambulo, non disputo. Rursus & de casibus uerborum haud secùs ac de casibus nominum dicere par est: quippe ut nominum casus dicuntur, qui ab ipso recto flectuntur: ita casus uerborum appellari possunt, qui à temporis præsentis & modi indicatiui significatione diuariant. Verbum igitur secundum Dialecticos id solum esse dicitur, quod temporis præsentis est, & modi indicatiui.

RAIIANVS.

De verbo.) Aristoteles breuitatis amator, in finitione verbi omisit eas particulas, quæ erant verbo cum nomine communes. Differt verbum à participio, quia verbum semper à parte prædicati intelligitur, participium tam à parte prædicati quàm subiecti.

Neque verò.) Submotio obiectionis. Quædam nomina tempus significant ex primaria significatione, vt annus, dies, mensis: sed non significant cum tempore. Est autem significare cum tempore

præter præcipuam ſignificationem, temporis differentiam ſignificare. Quod verbi proprium eſt: vt ſtudeo, præter actum ſtudendi ſignificat tempus præſens.

Verbum igitur.) Anguſtius hîc ſumitur verbum pro eo, quod modi indicatiui & præſentis eſt temporis: aliquando tamen latiùs etiam ſumitur.

Cæterùm.) Verba quibus extra propoſitionem negatio à fronte additur, vulgò infinita vocantur: vt, non ambulo. Quæ eadem ſi ſumantur in propoſitione, negata dicuntur.

Vtrùm Nomen & Verbum apud Dialecticos ſolæ partes orationis ſint.

EXpoſita eatenus tam nominis, quàm uerbi ratione, quatenus idipſum Dialecticorum uſus poſtulat, occurrit non temerè quæſtio illa, hoc in loco nunc etiam conſideranda, quæ à pleriſque proponi ſolet, Vtrum ſcilicet nomē atque uerbum ſolæ apud Dialecticos orationis partes ſint: cùm tamen ab ipſis Grammaticis octo huiuſmodi conſtituantur partes. Sanè huius quæſtionis nodum D. Seuerinus Boëthius, uir profectò tantus in Latina philoſophia, quantus inter ipſos Latinos in arte oratoria M. Cicero, his uerbis ita diſſoluit breuiſſimè: Grammatici enim (inquit) figuras tantummodo uocum conſiderantes, octo proinde orationis partes connumerant: Philoſophi autem atque Dialectici, quoniam omnis eorum intentio circa ueritatem, falſitatémque locutionis uerſatur, atque ea ex nomine, uerbóque pleniſſimè conſtat, duas tantùm oratio

orationis partes admittunt, eásque nomen & uerbum esse docuerunt. Cætera uerò non partes, sed orationis supplementa, & ueluti colligamenta quædam appellant, quemadmodum in quadrigis fræna & lora, & in nauibus tabulæ & trabes. Non aliter autem de his sentit & Priscianus ille Grammaticus libro 11. de Participio: Quibusdam (inquit) philosophis placuit nomen & uerbum solas esse partes orationis: cætera uerò adminicula & iuncturas earum: quomodo nauium partes sunt tabulæ & trabes. Sed nunc ad orationem transeamus.

RAIIANVS.

Philosophi.) Dissolutio huius quæstionis: Ex nomine & verbo perfecta constituitur oratio, veritatem vel falsitatem significans, quæ duo potissimum proposita sunt Dialectico. Quocirca nomen & verbum solæ habentur partes orationis apud Dialecticos.

GLAREANVS.

Vtrum nomen & verbum.) Vide Laurentium Vallam lib. 2. Dialectices, cap. 1. ex Quintiliani lib. 1. cap. 6. aut septimo. Meminit & Priscianus libro 2. de Oratione & eius partibus. Sed notandum: Quicquid potest esse subiectum aut prædicatum propositionis significantis verum vel falsum, potest esse pars orationis apud Dialecticos.

Duas tantum orationis partes.) Reliquas enim partes consignificatiuas vocat. Sanè pronomen est velut nomen. Aduerbium est verbi determinatio, id est, declaratio. Sic interiectio. Participium, ve-

lut adiectiuum. Præpositiones, velut famuli, aut determinationes aliarum partium. Denique coniunctiones, velut iuncturæ propositionum, maximè hypotheticarum.

De oratione.

Oratio est uox significatiua secundum placitum, cuius partes extra aliquid significant & separatæ. Ad hunc sanè modum à Dialecticis oratio definitur. Cuius quidem definitionis intellectum facilè est ex superioribus colligere. Nam quòd oratio ipsa uox est, quòd significatiua uox, quódque item significatiua secundum placitum, id cum nomine atque uerbo commune habet. Cuius enim partes secundum placitum significant, ipsum quoque secundum placitum significatiuum est. Differt autem ab utroque, quoniam nominis quidem & uerbi partes separatæ nihil significant, ac ne in compositis quidem, ut & Aristoteli placet: quamuis id tamen uideri uelint, ob dictionis figuram. sed tali uoci siue dictioni res ipsa repugnat, nempe suapte natura simdlex & una: ut animalis nomen, quod Græcis τραγέλαφος dicitur, Latinis uerò hircoceruus dici potest, ab hirci ceruique similitudine. Nam cùm cerui speciem habeat, authore Plinio, ab eo tamen barba & armorum uillo distat solùm, in quo cum hirco quadantenus conuenit: unde & nomen ei est ex utroque compositum. At uerò orationis partes multò aliter sese habent: quippe quæ & extra ipsam significare possunt: ut uerbi causa, huius orationis, Plato disputat, tam nomen ipsum, quod quid Plato est, quàm uerbum disputat, partes nimirum seorsum utique & separatim omninò aliquid significant.

RAIIANVS.

Oratio est vox.) Potest nunc quiuis nullo negotio orationis finitionem intelligere. Vnica enim particula distat à nominis & verbi descriptionibus. Orationis partes significant separatæ, nominis & verbi minimè.

Secundum placitum.) Plato in Cratylo sic suadere conatur orationem significare naturaliter: Omne instrumentum quo mentis sensa exprimimus, naturaliter significat: Atqui oratio est instrumentum, quo mentis sensa exprimimus: ergo secundum naturam significat. Hic syllogismus sic est diluendus: Omne instrumentum proximum, quo animi sensum euoluimus, naturaliter significat: sed oratio est instrumentum secundarium & remotum.

Ac ne.) A maiore Aristoteles colligit: Partes nominis compositæ figuræ videntur potiùs significare per se, quàm partes nominis simplicis: sed partes nominis compositæ figuræ per se non significant ergo multo minùs partes nominis simplicis.

GLAREANVS.

Differt autem ab vtroque.) Partes nominis simplicis nihil significant simpliciter: At nominis compositi partes nihil significant secundum quid: nam si capiantur vt partes nominis compositi, nihil significant: quia hoc solum significat, quod institutum est ad significandum. Pars autem, vt pars est, non est instituta ad significandum. At si capiantur, vt dictiones per se, sic etiam significant. Sed

demum inter Latinos præsertim Propositio dicta est, qua etiam appellatione communis Dialecticorum schola nūc paßim utitur.

RAIIANVS.

De orationis diuisione.) Prima diuisio orationis generatim sumptæ.

GLAREANVS.

De diuisione oratio.) Diuisio orationis est in hoc capite plusquàm clarè posita. Vbi notandum, Dialectico nullam orationem esse aptā, nisi quæ sit perfecta: id est, perfectum sensum in animo audientis relinquens.

Qua etiam appellatione communis.) Aulus Gellius lib.16.cap.8. ait Græcos ἀξίωμα vocare; quod Varro proloquium definiuerit, sententiam, in qua nihil desideretur: à Cicerone autem pronunciatum. Hæc Gellius.

De diuisione orationis perfectæ.

ORationum perfectarum alia deprecatiua est: ut, Iupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis. Da deinde auxilium pater, atque hæc omnia firma. Alia imperatiua, ut: Vade agè nate, uoca Zephyros, & labere pēnis. Alia interrogatiua, ut: Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Meliboei? Alia uocatiua, ut: Huc ades ô Melibœe. Alia enunciatiua, ut: Principiò arboribus uaria est natura creandis. Præter has autem quinque perfectæ orationis species, sunt qui duas alias addant, nempe optatiuam & subiunctiuam. Optatiuam, ut: O mihi præteritos referat

si Iuppiter annos. Subiunctiuam, ut, Si fœtura gregē suppleuerit, aureus esto. Verumenimuerò huiuscemodi orationum siue quinque, siue septem species constituas, ea tamen sola, quæ enunciatiua siue indicatiua dicitur, propositio est: quippe quæ uel esse aliquid, uel non esse designet, & in qua aut ueritas, aut falsitas inueniatur. Reliquæ uerò poetis atque oratoribus ad affectus uarios mouendos magis accommodatæ uidentur.

RAIIANVS.

Orationũ perfect.) Secunda diuisio: Oratio perfecta alia est enunciatiua, alia non enunciatiua.

Enunciatiua.) Dicta est oratio enunciatiua vel indicatiua, quia enunciat & indicat veritatem aut falsitatem.

GLAREANVS.

De diuisione orationis perfectę.) Inter orationes omnium modorum, sola oratio per indicatiuũ verbum constituta, Dialectico est vtilis: reliquæ poetis ac oratoribus conueniunt.

De propositione eiúsque secundùm substantiam diuisione: tum quid subiectum, & quid prædicatum.

PRopositio est oratio, uerum uel falsum significans. Eius uerò prima, & quidem secundùm substantiam, diuisio hæc est: Propositionum alia Categorica est, alia Hypothetica. At de hypothetica quidem aliâs, interim de Categorica (ut cœpimus) prosequamur. Hæc autem est, quæ duobus terminis perficitur, subiecto scilicet & prædicato:

dicato: hoc est, quæ simplicißimè constat ex nomine casus recti, eodémque finito, & uerbo modi indicatiui, ut Aristoteles docet. Sunt qui præter duos dictos terminos, tertiam his ueluti partem adijciant, nempe copulam (quam uocant) uerbalem. Et proinde propositionem huiusmodi hoc pacto illi definiunt: Propositio Categorica est, quæ habet subiectum, prædicatũ, & copulam principales partes sui: ut huius propositionis, Aristoteles docet, subiectus quidem terminus est Aristoteles, prædicatus uerò uerbum docet, & quòd alterum cum altero coniungit: copula (ut dictum est) à recentioribus uocatur. Quam ijdem deinde per resolutionem uerbi adiectiui, si quod in huiusmodi propositione prædicatur, ut eius uerbi docet, prodi ac patêre aiunt, si ita ipsam propositionem protuleris, Aristoteles est docens. Huius quippe propositionis Aristoteles subiectum est, docens prædicatum, est uerò uerbum copula: quasi uerò hoc totum est docens, non multò rectiùs prædicatum diceretur. Subiectum porrò id esse dicitur, de quo aliquid prædicatur: prædicatum uerò, quod dicitur de subiecto. Cæterùm quæ Categorica dicta est propositio uoce Græcanica, Latina à prædicando prædicatiua seu prædicatoria dici potest, quando eadem utrobique significatio est: quippe quod Latinis prædico, hoc Græcis est κατηγορέω: quod uerbum etsi aliâs accuso significat Græcis hominibus, apud philosophos tamen pro prædico accipitur. Vnde κατηγορίαι Prædicamenta dicuntur, de quibus tractatu superiori transegimus.

RAIIANVS.

Propositio est oratio.) Appositè aßignauit finitionem

tionem propoſitionis per verũ & falſum, quia ſunt finis propoſitionis. Sæpè autem finitiones conſtant cauſa finali.

Eius verò.) Prima hæc diuiſio vocatur ſecũdum ſubſtantiam, quia in hac diuiſione ſpectamus terminos ſimplices, à quibus totius propoſitionis ſubſtantia (ſi ita loqui liceat) pendet.

Sunt qui.) Cæſarius reprehendit eos, qui exiſtimant verbum ſubſtantiuum eſt, eſſe partem propoſitionis diſtinctam à ſubiecto & prædicato, quod perſpicue falſum eſt. Vt enim compoſitum naturale (ſi liceat magna paruis conferre) componitur ex duabus partibus, ſcilicet materia & forma: ſic propoſitio cõſtat ex ſubiecto tanquam materia, & prædicato tanquam forma.

GLAREANVS.

Propositio trifariam diuiditur, nempe vel secundum

- *Substantiam: ea duplex est*
  - *Categorica, quæ constat ex subiecto & prædicato: vt, Plato disputat.*
  - *Hypothetica, quæ ex duab. cõstituitur Categoricis, adiecta coniunctione. de ea tractatu 4. Et triplex est:*
    - *Conditionalis, quæ duas cõnectit Categoricas per Si: vt, Si Socrates currit, Socrates mouetur.*
    - *Copulatiua, quæ duas connectit Categoricas per Et, vt, Et dies est, & lux est.*
    - *Disiunctiua, quæ duas connectit Categoricas per aut: vt, Aut dies est, aut nox.*
- *Qualitatem: Et ea quoque duplex est:*
- *Quantitatem: ea verò quadruplex est:*
  - *Affirmatiua, in qua prædicatum de subiecto confirmatur: vt Socrates currit, Homo est iustus.*
  - *Negatiua, in qua prædicatũ de subiecto negatur: vt, Socrates non currit, Homo non est iustus.*
  - *Vniuersalis, quæ aut omni, aut nulli inesse dicit: vt, Omnis homo est animal, Nullus homo est lapis.*
  - *Particularis, quæ aut alicui, aut nõ alicui inesse dicit: vt quidam homo est iustus, Quidam homo non est iustus.*
  - *Indefinita, quæ inesse aut non inesse significat, sine signo: vt, Homo est animal, Homo non est lapis.*
  - *Singularis, in qua de indiuiduo aliquid dicitur: vt, Socrates est homo, Socrates non est lapis. Hanc Aristoteles sub indefinita comprehendere videtur.*

Vtrùm

Utrùm non nisi ex nomine & verbo perfecta consistat oratio, an ex solo etiam verbo consistere aliquando possit.

SEd & hoc loco quæstio suboritur non incõmodè, utrũ haud unquam aliter, quàm ex nomine & uerbo, plena & perfecta oratio, cuiusmodi propositio est, constare queat: an ex solo etiam uerbo aliquando? Huic sanè quæstioni ita Martianus Capella occurrit: Quoties (inquit) uerbum primæ uel secũdæ personæ fuerit, quia per ipsum iã aliquid significatur, quod uel negari uel affirmari possit, simul & in hominem tantùm cadat, & hunc quidem certum: utique ex solo ad hunc modum uerbo perfecta oratio & propositio haberi potest: ut, disputo, aut disputas. Quippe ut in horum altero, quod quidem primæ personæ est, subauditur protinus pronomen ego, ac per hoc plenum per se est, atque ueritati aut falsitati æquè obnoxium: ita in altero, quod est personæ secundæ, facile intelligitur tu pronomen. Vnde tantundem penè ualet, cùm dicitur, disputo, uel disputas: quantum si dixeris, ego disputo, uel tu disputas: hoc excepto, quòd quoties istiusmodi pronominum expreßio fit, toties uel emphasis notatur, uel discretio aliqua intelligitur. Tertia uerò uerbi persona, quia non hominis tantùm est, sed aliarum etiam rerum, & simulac dicta fuerit, non continuò intelligitur, de quo dicatur, ita ut aut affirmari, aut negari poßit, idcirco neque ueritati, neque falsitati obnoxia est: quare nec propositio ex ea sola constare unquam potest, nisi fortè de eo dicatur, de quo solo intelligi potest id quod dicitur: ut cùm dicimus, Pluit aut ningit, hoc quod dicitur, pluit aut ningit,

utrūque aut uerum eſſe poteſt, aut falſum, & per hoc negari aut affirmari, licet nihil addamus, quia notum eſt, qui pluat aut ningat, nempe Deus aut natura. Cùm uerò dicimus, diſputat, aut legit, aut loquitur, in nullo horum certum aliquid intelligitur. Quapropter nec uerum, nec falſum dici poteſt, quamuis etiam de homine intelligi poßit quod dicitur, diſputat: aut legit, aut loquitur: quia tamen non de uno certo aliquo dici poteſt, idcirco ſubdendum eſt nomen alicuius hominis, ut plenum ſit quod dicitur. Prima igitur & ſecunda uerbi perſona, quia de homine tantùm etiam certo intelliguntur, idcirco ſolæ dictæ poſſunt aut uerū aut falſum ſignificare. Tertia uerò perſona uerbi, ut nec de ſolo intelligitur homine, ita nec ſola dici poteſt: ac per hoc nec ex ſola, niſi admodum rarenter (ut dictum eſt) propoſitio conſtitui poteſt.

RAIIANVS.

Sed & hôc loco.) Hæc quæſtio ex ſuperioribus naſcitur: dictum eſt enim, ex nomine & verbo perfectam conſtare orationem.

Vt diſputo, aut diſputas.) Huic loco ex perpendiculo repugnare videtur Ariſtoteles quarto cap. 1. lib. de interpretatione. Quo loco ſcribit, nomen & verbum dictionem eſſe ſolùm. Quocirca ex hoc verbo, diſputo, oratio conſtitui non poteſt. Id ſic diſſoluitur: Nomen aut verbum vt per ſe inſpicitur, & nihil intelligitur, eſt tanquam dictio: ſed vt aliquid ſubauditur, oratio eſſe poteſt. Quemadmodū Quintilianus libr. 1. capi. de virtutibus & vitiis orationis ait: Solœciſmus conſtat vno verbo, non tamen ſolo verbo, niſi ad aliud referatur.

Idcirco

Idcirco ſubdendum.) Mea quidem ſententia, locus hic non eſt ita ſtrictim intelligendus: vt in verbis ſecundæ & tertiæ perſonæ, quorum actio ſoli vni conuenit, neceſſe ſit certum & ſingulare ſubiectum exprimere, vt perfecta conſtituatur oratio. Quinimò exiſtimo hanc eſſe perfectam orationem, legis, legit, ſine vlla hominis expreſsione. Niſi enim hoc fateamur, nõ ſibi conſtabit Cæſarius: hoc enim eodem capite dixit, diſputo, diſputas, eſſe perfectam orationem.

GLAREANVS.

Vtrum non niſi ex nomine.) Eadem dubitatio eſt de illis propoſitionibus, Deus eſt, homo eſt: quas noſtri vocant de Eſt ſecundo adiacente, quando nullum ſequitur nomen poſt eſt. Verùm quia ſignificãt verum & falſum, igitur ſunt propoſitiones. De tertio autem adiacente vocant propoſitiones, in quibus poſt Eſt ſequitur nomen: vt, Homo eſt animal.

Vtrùm quoties ex nomine & verbo propoſitio conſtituitur, ipſum nomen non alterius quàm recti caſus eſſe poſſit.

Rurſus & alia nunc quæſtio emergit: præcedẽti haud multũ abſimilis, quæ huiuſmodi eſt: Vtrùm nomen, ex quo cum uerbo propoſitio conficitur, ſolùm recti caſus eſſe debeat, an alterius quoque cuiuslibet obliqui caſus eſſe poßit. Huic quoque dubitationi idem Martianus ſubtiliter obueniens, ad hunc modũ reſpõdet breuißimè: Vbi uerò uerba (inquit) illa ſunt, quæ imperſonalia dicũtur, nõ iam ex recto caſu ſententia impletur, fitq́; propoſitio, ſed alios

alios casus recipit: ut disputatur, cùm dicitur, ut est impersonale uerbum, plena omninò sententia est: si ablatiuum adiungas, & per hoc affirmari aut negari potest: ut est, à Cicerone disputatur, à Cicerone non disputatur. Et pœnitet cùm dicitur, plena quoque sententia est: si accusatiuum iungas, ut est, Ciceronem pœnitet: atque de alijs quoque impersonalibus uerbis, quæ uel cum eisdem, uel cum alijs construuntur casibus, ad hunc modum dicendum est. Vt igitur quoties personale uerbum est, ex quo cum nomine propositio constituitur, ipsum nomen recti casus esse oportet: ita non minùs necesse est, quoties uerbum impersonale fuerit, ut sit nomen casus obliqui, natura uerbi id ita exigente. Sed iam ad institutum reuertamur, & quónam modo propositio secundùm qualitatem diuidatur, deinceps dicamus.

RAIIANVS.

Rursus & alia.) Quæstio hæc per distinctionem dissoluitur: Cùm verbo impersonali vtimur, nomen obliqui casus esse potest: cùm personali, nomen recti casus erit.

De diuisione propositionis secundùm qualitatem.

PRopositionum itaque Categoricarum aliæ quidem qualitate, aliæ uerò quantitate differentes inueniuntur. Porrò secundùm qualitatem differunt, quorum altera affirmatiua est, altera negatiua. Affirmatiua quidem propositio est, in qua aliquid de aliquo prædicatione enunciatur. Vel, in qua prædicatum affirmatur de subiecto:

k ut,

ut, Plato philoſophus eſt. Negatiua uerò, in qua aliquid ab aliquo prædicatione ſeiungitur. Vel, in qua prædicatum negatur de ſubiecto: ut, Plato philoſophus non eſt. Hîc nanque de Platone negatur philoſophus, ut prædicatum de ſubiecto, adpoſito ad uerbum ſubſtantiuum (quæ utique potior pars prædicati eſt) negandi aduerbio: cuius quidem hæc uis eſſe perhibetur, ut quicquid poſt ſe inuenit, tollat prorſus, & eius oppoſitum reponat.

RAIIANVS.

Propoſitionum.) Secunda hæc diuiſio propoſitionis dicitur ſecundum qualitatem, quia affirmatio & negatio ad qualitatem pertinent propoſitionis. Nam ſecundum uariam verbi diſpoſitionem, varius eſt modus enunciandi.

Affirmatiua prop.) Ariſtoteles primo de interpretatione tenui admodum diſcrimine affirmationem & negationem ſeparauit: *κατάφασις δέ ἐστιν, ἀπόφανσίς τινος κατά τινος, ἀπόφασίς ἐστι ἀπόφανσίς τινος ἀπὸ τινος.* Affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo. Negatio eſt enunciatio alicuius ab aliquo. Vt enim in affirmatione prędicatum affirmatur de ſubiecto, ita in negatione prædicatum remouetur à ſubiecto. Interim tamen obſeruandum, eam eſſe negatiuam propoſitionem, in qua verbum principale negatur. Quare hæc non eſt negatiua, Homo eſt non iuſtus: ſed affirmatiua, habens prædicatum negatum.

De diuiſione propoſitionis Categoricæ ſecundùm quantitatem.

At

At uerò secundùm quantitatem differentiæ huiusmodi propositionum hoc modo sumũtur, quòd aliæ quidem sunt uniuersales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ, aliæ uerò singulares. Sed harum uniuscuiusque uim propria descriptione hinc iam explicemus oportet. Vniuersalis igitur propositio est, quæ tum affirmando, tum negando uniuersaliter proponit: uel in qua subijcitur terminus communis signo uniuersali determinatus: ut, Omnis homo sapiens est, Nullus homo sapiens est. Particularis uerò, quæ siue affirmet, siue neget, particulariter tantùm proponit, quam & alij ita describunt: Particularis propositio est, in qua subijcitur terminus communis signo particulari determinatus: ut, Quidam homo sapiens est, Quidam homo sapiens non est. Indefinita uerò est, quæ absque uniuersalitatis particularitatisúe nota, tam affirmando quàm negando profertur. Vel, cuius subiectus terminus absque ullo signo sumitur: ut, Homo sapiens est, Homo sapiens non est. Singularis porrò propositio est, in qua de indiuiduo & singulari quicquam prædicatur, idq; tum affirmatiuè, tum negatiuè: ut, Socrates ambulat, Socrates non ambulat. Eandem autem nonnulli hoc pacto describunt: Propositio singularis est, in qua subijcitur terminus singularis, aut certè communis, qui tamen singulariter teneatur accipiatúrque: ut, Socrates, uel hic homo sapiens est.

RAIIANVS.

At verò.) Tertia diuisio propositionis, quæ dicitur secundùm quantitatem, quia à notis vniuersalibus aut particularibus propositionis pendet quantitas.

Vniuersalis.) Breuiùs Aristoteles 1. capite 1. libri priorum: Propositio vniuersalis est, quæ significat omni, aut nulli inesse. Nam per hanc significamus aliquid ad vniuersos vel nullos pertinere: vt, Omnes homines sunt probi, Nulli homines sunt probi.

Particularis.) Sic Aristoteles: Particularis propositio est, quæ significat alicui aut non alicui inesse: vt, Quædam voluptas est bona, Quædam voluptas non est bona.

Indefinita.) Propositio indefinita sic dicta est, quia nullam habet certam quantitatem: sed quandoque pro vniuersali, quandoque pro particulari accipitur. Est igitur hæc constituenda regula: Quando prædicatum necessariò cum subiecto cohæret, propositio indefinita pro vniuersali sumitur: vt, iustitia est virtus. huic æquippollet, Omnis iustitia est virtus. Sed quando prædicatum per accidens, & non necessariò dicitur de subiecto, æquipollet particulari vel indefinitæ: vt, Homo est iustus: est eadem cum ista, Aliquis homo est iustus.

GLAREANVS.

De diuisione propositionis.) Vt in rebus, quantitas extentio quædam est rei: ita propositionis quantitas, dicitur extentio subiecti, pro pluribus vel paucis. Nascitur autem quantitas per solum signum, quod præcedit verbum. Nam hæc propositio, Homo est omne animal, non est vniuersalis, etiamsi in ea ponitur signum vniuersale: quia id non pręcedit copulam siue verbum, sed sequitur.

De

De tribus signis quæsitiuis, quibus de vnaquaque propositione quærere contingat.

CVm igitur tres sint propositionum differentiæ, ut dictum est, quæ quidem sumuntur aut secundùm substantiam, aut secundùm qualitatem, aut secundùm quantitatem, tria quoque par est quæsitiua signa accommodari, quibus aptè eliciatur responsio ab eo, qui de illis interrogatus fuerit. Itaque interrogatus quispiam, quæ sit hæc aut illa propositio: aptè conuenienterque respondebit, quòd sit Categorica, uel Hypothetica. Si uerò idem deinde interrogatus fuerit, qualis sit: tum quoque aptè respondebit, quòd sit affirmatiua, uel negatiua. Rursus autem si interrogetur, quanta sit: rectè nimirum & hæc interrogati responsio quadrabit, si dixerit, aut uniuersalis, aut particularis, aut indefinita, aut singularis. Atque hæc quidem, quanquam fortaßis non tanti habentur, ut negocium facessere debeant: eò tamen pertinere uidentur, ut exercitati istis interrogatiunculis nouitij huius artis, ueluti tyrones, assuescant paulatim propositionum differentias internoscere: quod utique momenti nonnihil habet ad ea, quæ deinceps sequuntur, planiùs percipienda.

RAIIANVS.

Cùm igitur.) Quemadmodum propositio tribus modis diuiditur, sic etiam tres sunt notæ quærendi. Quod, est pronunciatum prædicatorium vel conditionale: Quale, affirmatiuum, vel negatiuum: Quantum, vniuersale vel particulare, indefinitum aut singulare.

GLAREANVS.

Cùm igitur tres sint propositionum differentiæ)

Categorica	*Hypothetica*	*Negatiua*	*Affirmatiua*
Quæ Ca.	*uel* Hyp.	*Qualis* Ne.	*uel* Aff.
Vniuersalis	*Particularis*	*Indefinita*	*Singularis.*
V. *Quanta.*	*Par.*	*In.*	*Sing.*

Quæ propositiones suis terminis conueniant, & quæ non.

HActenus de propositione quæ Categorica dicitur, eiúsque partibus atque differentijs quibusdam: restat, ut quibus ipsa sit prædita affectionibus (quas paßiones iuniores uocant) ostendamus, idque hac præmissa diuisione: Propositionum aliæ sunt, quæ nulla terminorum participatione conueniunt: aliæ sunt, quæ conueniunt quidem, at non ex æquo. Nempe ex his aliæ utroque termino participant: ut, Plato philosophus est, Plato philosophus non est. Aliæ uerò altero tantùm, quòd nimirum tribus modis fieri constat: quippe cùm uel communis ille terminus in una propositionum subijcitur, & prædicatur in altera: uel prædicatur in utraque, uel utraque subijcitur. Communem autem terminũ hic nunc uoco, non eum qui de pluribus prædicari poßit, sed qui in singulis hoc pacto participantibus propositionibus reperiatur. Verumenimuero de his propositionibus, quæ altero termino, uel neutro participant, nihil ad præsens: cùm de his solùm hoc loco agatur propositionibus, quæ utroque termino conueniunt. id quod duobus fit modis; aut enim ordine eodem aut per ordinis commutationem. Eodem quidem ordine participant suis terminis, quæ de eodem subiecto idem pronunciant prædica-

tum.

tum. Per ordinis uerò commutationem, quoties qui in una subiectus est terminus, in altera fit terminus prædicatus: ut, Omne iustum est bonum; & quoddam bonum est iustum. Cæterùm ut ex ordinis quidem commutatione conuersio propositionum colligitur, de qua non multo pòst dicetur: ita ex constantia ordinis propositionum sumitur oppositio, de qua primùm hic nunc dicamus.

RAIIANVS.

Hactenus de propositione.) Cæsarius examinaturus propositionum oppositionem triplicem, proponit aliam diuisionem. Propositionum quædam vtroque termino participant: vt, Temperantia est virtus, Temperantia non est virtus, & secundùm hanc speciem vera sumitur oppositio propositionũ. Quædam neutro termino participant: vt, Iustitia est virtus, Temperantia non est vituperanda. Quædam altero termino conueniunt tantùm: vt, Virtus est laudanda, Virtus non est vituperanda. Secundùm hæc duo vltima membra nulla sumitur propositionum oppositio.

GLAREANVS.

Quo facilius passiones Categoricarum propositionum memoriæ iuniorum infigi possent, typum hunc subiicere voluimus.

- Propositionũ Categoricarum aliæ participãt
  - Vtroque termino ex qb. aliquæ participant
    - Secundum eundem ordinem, ut
      - Homo currit
      - Homo non currit.
      - Et de his est oppositio & æquipollentia.
    - Ordine conuerso, ut
      - Homo est animal
      - Animal est homo.
      - Et de his est cõuersio.
    - In utraque prædicato, ut
      - Homo currit
      - Homo disputat.
  - Altero termino idq; trifariam. uel mutato
    - In altera prædicato, in altera subiecto, ut
      - Homo est animal
      - Socrates est homo.
    - In utraque prædicato, ut
      - Animal est substantia.
      - Corpus est substantia.
  - Nullo termino, ut
    - Homo currit
    - Equus mouetur.


Et de his nihil ad propositum.

De

De oppositione propositionum Categoricarum, & quid sit.

PRopositionum igitur Categoricarum utroque termino eodem ordine participantium, aliæ quidem cõtrariæ sunt, aliæ subcontrariæ, aliæ contradictoriæ, aliæ uerò subalternæ. Contrariæ sunt duæ propositiones uniuersales, alia quidem affirmatiua, alia uerò negatiua, eiusdẽ subiecti pariter & prædicati, ut omnis homo iustus est, nullus homo iustus est. Subcontrariæ uerò propositiones duæ particulares, altera quidem affirmatiua, altera uerò negatiua, eiusdem subiecti pariter & prædicati: ut quidam homo iustus est, quidam homo iustus non est. Contradictoriæ autem propositiones duæ, uniuersalis & particularis: uniuersalis quidẽ affirmatiua, particularis uerò negatiua: uel uniuersalis quidem negatiua, particularis uerò affirmatiua, eiusdem subiecti pariter & prædicati, ut omnis homo iustus est, quidã homo iustus non est: uel, nullus homo iustus est, quidam homo iustus est. Subalternæ porrò sunt propositiones duæ, ambæ quidem aut affirmatiuæ, aut negatiuæ: sed ex his altera quidem uniuersalis est, altera uerò particularis, eiusdem subiecti pariter & prædicati, ut omnis homo iustus est, quidam homo iustus est: uel, nullus homo iustus est, quidam homo iustus non est. Oppositio igitur est, ut ex prædictis patet, duarum propositionum Categoricarum repugnantia quædam, uel qualitate tantùm, uel quãtitate tantùm, uel qualitate simul & quantitate. Toties enim sibi inuicẽ aduersantur dictæ Categoricæ propositiones. Quarum quidem oppositio,

ut ueluti oculis exposita habeatur, figuram ex quatuor angulis constitutam subijcere non grauabor.



RAIIANVS.

Propositionum.) Diuidit eas propositiones, quæ consentiunt in vtroque termino, in contrarias, contradictorias, subalternas, & subcontrarias. Finitiones harum ex finitionibus propositionis vniuersalis, particularis, indefinitæ, perspicuæ sunt.

Toties enim.) Cæsarius hoc loco communẽ Philosophorum scholam secutus est. Aristoteles autem decimoquinto capit. 2. priorum constituit quatuor oppositiones secundum locutionem & vocem, secundum veritatem duas tantum, contrarias & contradict

tradictorias. Subcontrariæ enim & subalternæ non sunt propriæ oppositæ, quia possunt simul esse veræ. Præcedens figura propositionum oppositarum pugnam in quantitate & in qualitate perspicuè ostendit.

De triplici propositionum materia.

SEd priusquam harum inter se oppositarum propositionum leges (quas uocant) exponamus, commonendus interim probus lector est, ipsius uidelicet propositionis triplicem esse materiam, naturalem, contingentem, & remotam. Voco autem materiam propositionum hoc loco, earum utrũque terminum, subiectum, inquam, & prædicatum. Quidam uerò definiunt habitudinem; quæ est prædicati, ad subiectum. Naturalem igitur materiam esse dicunt, quoties prædicatum est de essentia subiecti, aut certè proprium eius, ut homo est animal, homo est risibilis. Contingentem uerò quoties prædicatum subiecto aut adesse, aut abesse potest præter subiecti corruptionem, ut Socrates ambulat. Remotam autem, quando prædicatum ipsi subiecto nullo modo conuenire potest, ut homo est lapis. Itaque sciendum, quòd iuxta primam quidem habitudinem necessariæ propositiones dicuntur: quarum ut affirmationes semper ueræ sunt, ita negationes perpetuò falsæ. Iuxta secundam autem contingentes seu accidentariæ: quarum proinde tam affirmationes quàm negationes incertæ sunt tum ueritatis, tum falsitatis, nisi suppositione facta, aut quod prædicatur accidẽs sit inseparabile. Iuxta tertiam uerò impoßibiles: quarum ut affirmationes quidem falsæ semper, ita negationes semper ueræ.

RAIIANVS.

De triplici.) Quoniam Cæsarius dicturus est, propositiones contrarias posse simul esse falsas, & subcontrarias simul esse veras, ideo distinguit multiplicem propositionis materiam. Est autem materia hoc loco, habitudo prędicati ad subiectum. Aristoteles octauo cap. 1. libri priorum, & vltimo capi. primi libri de interpretatione, ex triplici rerum natura triplicem constituit propositionem. Omnis enim res aut est necessaria, aut contingens, aut impossibilis. Tres igitur regulas constituemus. Prima, Omnis propositio in qua genus, species, differentia, proprium, accidens perpetuùm prædicatur, est necessaria. Nam hæc vniuersalia necessariò cohærent cum suis subiectis, vt Marcellus est homo, homo est animal, homo est particeps rationis, homo est disciplinæ capax, ignis est calidus. Secunda, Omnis propositio, in qua accidens non perpetuùm dicitur de subiecto, est contingens. Ea enim est accidentis natura, vt & adesse subiecto, & ab eo emigrare possit, vt homo est studiosus. Tertia, Omnis propositio, in qua id quod repugnat cum subiecto, de eo affirmatiuè effertur, est impossibilis, vt homo est lapis, calidum est frigidum, humidum est siccum. Vt igitur in prima propositionis specie connexa est necessaria, in secunda fortuita: ita in tertia remota & aliena.

De legibus oppositarum inter se propositionum.

ERgo ut id quod hoc loco instituimus, commodiùs fieri poßit, operæpretium fuerit hasce leges per certas

quasdam regulas digerere atque distribuere. Itaque cùm quatuor sint inter se oppositarũ propositionum differentiæ, consentaneum erit, quatuor quoque regulas de ipsis cõstituere, ut unicuique differẽtiæ sua respondeat regula. Prima igitur regula erit de lege & natura cõtrariarum: secunda de lege & natura subcontrariarum: tertia de lege & natura contradictoriarum: quarta uerò atque ultima de lege & natura subalternarum. Sed & illud obiter occurrit admonendum, non esse harum regularum ullam exactam demonstrationem hìc exigendam, ut nec in sequentibus usquam, ubicunque regulæ propositæ fuerint: quippe quòd id supra uires prorsus captúmque esset eorũ, qui primis adhuc huius disciplinæ rudimentis imbuendi sunt atque formandi. Satis autem fuerit, si idoneis tantùm exemplis utcunque declarentur. Quod profectò si ubique obseruetur, non paruum ex eo (ni fallor) sentient profectum tum auditores, tum etiam lectores, nõ modò ad eruditionem ipsam, uerumetiam ad sermonis facultatem: tum & releuabuntur interim & hi, qui docent artem, & qui eam docentur.

GLAREANVS.

Ergo vt id.) In hoc capite nihil dicit ad rem propositam: sed quid dicturus sit, in posterioribus quatuor capitibus innuit: & quòd oporteat addiscentẽ credere, donec melius sapiat.

SEQVVNTVR REGVLAE.

Prima regula de lege & natura contrariarum.

SI duarum contrariarum una uera est, reliquã esse falsam est necesse: at id quidem conuertitur minimè. Nã possunt

possunt duæ huiusmodi propositiones simul esse falsæ, ut in materia contingenti: proinde si hæc est uera, omnis homo iustus est. falsa erit ea quæ proponit, nullus homo iustus est. Sed illud, ut dictum est, non conuertitur. Nō enim si falsa est, quæ dicit, omnis homo iustus est, uera iam erit de necessitate ea, quæ dicit, nullus homo iustus est. Fieri nanque potest, ut utraque sit falsa. Esto igitur disciplinæ gratia, ut aliquis homo sedeat, tunc falsa erit hæc quæ dicit, nullus homo sedet. Esto rursus, ut per idem tempus aliquis homo non sedeat, tunc hæc quoque falsa erit, quæ dicit, omnis homo sedet. Hac itaque concessa hypothesi, falsa erit hæc, omnis homo sedet, falsa itidem ea quæ dicit, nullus homo sedet. Et sunt hæ quidē per definitionem inter se contrariæ. Quapropter contrarias propositiones aliquando quidem falsas simul esse nihil prohibet, esse autem simul ueras est impossibile.

RAIIANVS.

Si duarum contrariarū.) Duæ propositiones cōtrariæ non possunt simul esse veræ, sed possunt simul esse falsæ. Ratio primæ partis est (etsi hoc quidam vt principium ponunt) quia si duæ propositiones contrariæ essent simul veræ, duæ subcontrariæ essent simul falsæ, quod Dialectici pro incommodo habent. Id ego exempli causa sic doceo: Sit hæc vera (vt est) omnis homo sentit, oportet ergo illius contradictoriam esse falsam, quæ est, quidam homo non sentit. Sit item hæc vera, nullus homo sentit, eius contradictoria erit falsa, quę est, quidam homo sentit. At hæ, quidam homo sentit, quidam homo non sentit, sunt subcontrariæ: ergo subcontrariæ sunt simul falsæ.

Fieri

Fieri enim poteſt.) Demonſtrat Cæſarius, duas contrarias propoſitiones poſſe ſimul eſſe falſas, hac ratione: Duæ ſubcontrariæ poſſunt conſentire in veritate, ergo duæ contrariæ poſſunt conſentire in falſitate. Antecedens ita docet: Particularis adfirmatiua poteſt eſſe vera, igitur vniuerſalis negatiua eius contradictoria erit falſa: particularis negatiua poteſt eſſe vera, ergo vniuerſalis affirmatiua erit falſa. Quocirca duæ contrariæ poſſunt ſimul eſſe falſæ. Conficiendum eſt itaque ex hac regula, cōtrarias propoſitiones pugnare in veritate.

Secunda regula de lege & natura ſubcontrariarum.

SI duarum ſubcontrariarum una falſa eſt, reliquam ueram eſſe neceſſe eſt. Verùm nec id unquam recurrit. Quandoquidem duæ ſubcontrariæ ſimul ueræ eſſe poſſunt, ut in materia contingenti. Quocirca ſi hæc falſa eſt, quidam homo eſt iuſtus, uera protinus erit ea, quæ dicit, quidam homo non eſt iuſtus. Atqui id (ut dictum eſt) non recurrit. Nam non oportet, ſi uera eſt quæ dicit, quidam homo eſt iuſtus, falſam continuò eam eſſe quæ dicit, quidam homo non eſt iuſtus. Siquidem utraque uera eſſe poteſt. Eſto igitur, falſa ſit ea quæ dicit, nullus homo ſedet: mox iā uera erit ea quæ dicit, aliquis homo ſedet. Similiter autem ac per idē tēpus falſa ſit ea, quæ dicit, omnis homo ſedet: iam tum uera erit hæc, quidā homo non ſedet. Erunt igitur iuxta datā hypotheſim ambæ ſimul ueræ: & hæc quæ dicit, quidā homo ſedet, & quæ dicit, quidā homo nō ſedet, & ſunt inter ſe ſubcontrariæ. Quocirca ſubcontrarias

contrarias propoſitiones ſimul quidem ueras eſſe poßibile eſt,atqui ſimul eſſe falſas,eſt impoßibile.

RAIIANVS.

Si duarum.) Propoſitiones ſubcontrariæ verę ſimul,falſæ autem eſſe non poſſunt. Pugnant itaque falſitate,non autem veritate.

Eſto igitur.) Docet duas ſubcōtrarias ſimul eſſe veras. Duæ contrariæ poſſunt ſimul eſſe falſæ, ergo duæ ſubcontrariæ poſſunt ſimul eſſe veræ. Nam ſi vniuerſalis affirmatiua eſt falſa,particularis negatiua erit vera:& ſi vniuerſalis negatiua eſt falſa, particularis affirmatiua ſimiliter erit vera:quo fit vt duæ ſubcontrariæ poſsint ſimul eſſe veræ.

Tertia regula de lege & natura contradictoriarum.

SI duarum contradictoriarum una eſt uera, reliquam eſſe falſam eſt neceſſe: & contrà,ſi una falſa eſt, reliquam protinus ueram eſſe oportet. Nō enim ſimul aut ueræ unquam, aut falſæ eſſe poſſunt. Quæ quidē regula, quoniam per totā artem logicam principij loco habetur, uix ullis uel exemplis eſt comprobanda. Si cui tamē hoc etiam in animo ſederit,ut exempla omnino ſubijciantur,poterit hic per ſe haud difficulter ea ex duabus ſuperioribus mutuari commodißime. Nam hæc ipſa regula cū duabus illis, quæ diuerſas alioqui naturas inter ſe habēt,cōuenit quoquo modo,partibus uidelicet hincinde ſuis,quæ duæ ſunt, quarū quidem una eſt,quòd cōtradictoriæ inter ſe propoſitiones nunquā ſimul eſſe ueræ poſſunt,qua certè lege cōtrariæ etiam tenentur. Altera uerò,quòd duæ cōtradicto-

riæ nunquam possunt simul esse falsæ, quam legem profectò subeunt & subcontrariæ. Vnde hæc etiam regula primo utique loco collocanda erat, ut qua niterentur reliquæ, ueluti in ædificio tectum & parietes basi & fundamento. Verùm enimuero eum nunc ordinem tenere in his libuit, quem paßim in gymnasijs literarijs obseruant: id quod & in alijs quoque haud inuitè facimus, quantum quidem rei ratio ferat permittátue: nisi quòd, quàm maximè possumus, barbariem ubique uitare studemus, quod & alios plerosque facere uideo, sed multò fœliciùs, in bonis literis iuuandis. Hæc siquidem ut semel introducta, causa proculdubio fuit abolitionis penè omnium bonorum studiorum: ita explosa demum efficiet, ut omnia illa pristino suo nitori restituantur.

RAIIANVS.

Si duarum.) Lex propositionum contradictoriarum ex duabus prioribus colligitur. Contradicentes propositiones nec in veritate, nec falsitate consentiunt vnquam. Hæc lex in tota Philosophia principij loco est. Quare auditor naturæ bonitate, sine vlla probatione ei assentiri debet. Cæterùm hìc notare oportet, Aristotelem sexto capite primi libri de interpretatione triplices propositiones contradictorias constituere, vniuersales vniuersaliter, vt omnis homo studiosus est, quidam homo studiosus non est. Singulares, vt Cicero est eloquens, Cicero non est eloquens, & de his hæc regula est intelligenda. Sunt etiam contradictoriæ indefinitæ, vt homo est albus, homo non est albus. Et hæ, vt Aristoteles docet, possunt simul esse veræ. Quod intel-

ligendum est, cùm in vtraque propositione diuersum subiectum intelligitur. Nam si idem subiectum intelligatur, nunquam possunt simul esse veræ.

Quæ quidem regula.) Quemadmodum hoc est primum pronũciatum in prima Philosophia, Idem non potest esse, & non esse: ita duæ propositiones contradicentes non possunt simul esse veræ aut falsæ. Qua de re copiose disserit Aristoteles libro 4. primæ Philosophiæ.

Quarta regula.

SI propositionum subalternarum uniuersalis siue affirmatiua, siue negatiua uera est, uera erit & eius particularis. at non contrà. Siquidem nonoportet, si uera est particularis, ueram esse & eius uniuersalem: ut si hæc uera est, omnis homo est iustus, & hæc quoque uera erit, quidam homo est iustus. Rursus, si hæc est uera, nullus homo est lapis, uera etiam erit ea quæ dicit, quidam homo non est lapis. Si uerò uniuersalis fuerit falsa, iam necesse non est eius particularem esse falsam: tametsi contrà, si particularis falsa est, necesse est uniuersalem quoque falsam esse: ut si falsa est, quidam homo lapis est, falsa quoque erit hæc, omnis homo lapis est. Tum etiam si falsa est quæ dicit, quidam homo non est risibilis, falsa erit & hæc, nullus homo est risibilis.

RAIIANVS.

Si propositionum subalternarum.) Huius loci ratio est, quia ex veritate propositionis vniuersalis affirmatiuæ vel negatiuæ sequitur veritas particularis.

Sin verò.) Propositio vniuersalis falsa non colligit necessariò particularem esse falsam, sed particularis falsa colligit vniuersalem esse falsam.

De propositionum æquipollentia.

Exigit hîc ratio ordinis, ut post oppositas inter se propositiones à nobis hactenus expositas, de earum æquipollentia protinus institutum prosequamur. Quandoquidem hæc facit, ut oppositæ alioqui propositiones, atque inter se tum ueritate falsitatéue, tum aut qualitate aut quantitate dissentientes, rursus his ipsis, ueritate dico & falsitate, aut qualitate etiam & quantitate conueniant, consentiántque inuicem. Ac proinde nonnulli eam definiunt, duarum propositionum Categoricarum formalem & necessariam consequentiam, idq; propter negationem, uel præpositam uel postpositam, uel præpositam simul & postpositam. Cuius insuper tres regulas constituunt, ex quarum prima deinde atque secunda quartam eliciunt, quæ sit ad eas perinde atque corollarium quoddam.

RAIIANVS.

Quandoquidem.) Ea est natura æquipollentiæ, vt propositiones priùs oppositas consentientes reddat.

Ac proinde.) Spectamus hoc loco propositiones æquipollentes non ex termino subiecto vel prædicato, vt cùm dicimus, Marcus loquitur, Tullius dicit: sed ex natura signorum vniuersalium aut particularium. Idque his verbis sermone tritis ex-

 plicatur:

plicatur: Præ. contradic. post. contra. præ póstque subalter.

GLAREANVS.

De propositionum æquipollentia, &c.) Hæc est secunda passio propositionis, valde necessaria ad sacras literas, & ad optimos quosque autores intelligendos. Negotium eius maxime vertitur in monosyllabo, Non.

SEQVVNTVR REGVLAE.

Prima regula de Aequipollentia propositionum inter se contradictoriarum.

QVoties negatio præponitur signo siue uniuersali, siue particulari, ipsa æquipollere facit propositiones inter se alioqui contradictorias: ut cùm sint contradictoriæ hæ duæ, omnis homo iustus est, & quidam homo iustus non est: si earum uni præponas negationem, ut exempli causa uniuersali, ac dicas, non omnis homo iustus est, protinus hæ duæ, non omnis homo iustus est, & quidam homo iustus non est, ueritate inter se aut falsitate consentiunt, ac per hoc, ut regula ipsa proponit, inuicem æquipollent. Eodem quoque modo si particulari præponatur negatio, nempe huic, quidam homo non est iustus, ac proinde ita dicatur, non quidam homo non est iustus, erúntque hoc pacto simul ueræ aut falsæ, omnis homo iustus est, & non quidam homo iustus non est: quæ aliàs ueritatem inter se falsitatémque diuidebant. Quod quidem

dem & in altera contradictionis parte ita euenire certum est.

RAIIANVS.

Quoties.) Huius regulæ hic est sensus: datis duabus propositionibus contradictoriis, si vni earum negatio præponatur, illa habens negationem præpositam, redditur æquipollens ei quam priùs habebat contradictoriam, vt constat exemplo textus.

GLAREANVS.

Quoties negatio.) Ratio huius regulæ est, quia contradictoriæ repugnant in quatuor: in Quantitate, Qualitate, Veritate & Falsitate. Sed negatio præposita, omnia hæc destruit, & oppositum inducit: ergo facit contradictorias æquipollere. Loquimur autem hìc de Negatione negante, non infinitante, vel priuante.

Vtrum iuxta primam hanc regulam de æquipollentijs perpetuò id ita eueniat, quod illa præscribit, vt negatio præposita signo siue vniuersali, siue particulari faciat contradictorias inter se propositiones æquipollere.

SEd hìc iam quæstio oritur, fortaßis neque friuola adeò, neque omnino indigna, quæ hoc loco proponatur, examinanda tamen discutiendáque iudicio lectorum: éstque

huiusmodi: An hæc propositio (exempli gratia) Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum, iuxta præsentem regulam suæ tantùm contradictoriæ æquipolleat, quæ quidē est, Aliquis qui dicit mihi domine domine, nō intrabit in regnū cœlorū: An potius suæ contrariæ, nempe huic, Nullus qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum. Siquidem hunc mihi sensum (nisi tamen fallor) ipse dominus in sacro Euangelio, ut est apud Matthæum cap. 7. suis illis uerbis innuere & proferre uidetur, quibus dicit, non omnis qui dicit mihi, &c. quasi qui ita dicere uideatur, Nullus qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum, nisi idem fecerit uoluntatem patris mei. Neque uerò id quod hîc nūc à me proponitur, & in dubium reuocatur, prorsus exemplo caret. Nam ad eundem planè modum Aurelius Augu. in 6. de ciuitate Dei lib. capite 4. contra Varronem disputat, ostendere inibi uolens, illum de nulla deorum natura scripsisse, cùm tamen ille dixerit libros à se scriptos de natura deorum, etsi non omni. Vnde & ita tandem idem Augustinus infert atque concludit: Restat ergo (inquiens) ut de nulla deorum natura libros scripsisse intelligatur, neque hoc apertè dicere uoluisse, sed intelligentibus reliquisse. Vbi enim dicitur, non omnis, usitatè quidem intelligitur aliqua non, sed potest intelligi & nulla: quoniam quæ nulla est, nec omnis est, nec aliqua est. Hæc ille libro & capite paulò suprà citatis. Quo in loco Ludouicus Viues, uir profectò ut uariæ lectionis, ita exacti iudicij, in scholis suis in eundem locum hoc de suo addit, Non omne (inquiens) nihil affirmat, sed siue aliquid sit, modò aliquid non sit, siue nihil, non omne uerum efficitur. Sanè hæc nobis ideò hoc loco adijcere placuit, ut studiosi artium triuialium

lium intelligant earum leges non esse immutabili neceßitate (ut Quintiliani uerbis utar) astrictas. Quod tamen ita esse citiùs in hac arte, quàm uel in Grammatica, uel Rhetorica deprehendas, quas etiam artes tres idcirco, quòd sermonum præcipuam curam agant, lacteus ille Lactantius tertio Diuinarum institutionum libro, uno nomine Logicam appellari indicat, eámque tertiam esse philosophiæ partem dicit, cuius hæc uerba sunt: Superest illa pars tertia philosophiæ quam Logicam uocant, id est, rationalem, in qua tota Dialectica, & omnis loquendi ratio continentur.

RAIIANVS.

Sed hic.) Hoc docet, non omnes propositiones esse primæ regulæ adstrictas.

GLAREANVS.

Quibus dicit, Non omnis.) De hac regula prima hoc haud dubiè verum est, si de proprietate sermonis loquamur, quæ ex rebus ipsis nascitur, eam non deficere: sed vsu loquentium hercle nonnunquam aliter reperitur, maximè in sacris literis, quæ huic sermonis rigori non subiiciuntur: ídque fortassis, quòd vel ex Hebræo, vt in antiquo, vel ex Græco, vt in nouo Testamento, ita traductæ sunt. Inueniuntur tamen huiusmodi propositiones vniuersales, cum negatione præposita, quæ biparticularem (est autem biparticularis authore Valla, propositio per Omnis ac Totus negatione præposita) non faciunt: vt, Non omnis homo volat: non valet, Quidam volat, quidam non volat. Valla vult

priorem falſam, Quidam homo volat: reliquam veram, Quidam homo non volat: quæ potius videtur vana ac falſa. Porrò nimis ambitioſe Cæſarius hîc Viuetem adducere videtur, quaſi non antea hæc tractata ſint à Laurentio Valla, & argutiùs, & elegantiùs, denique copioſiùs: cuius tamen ne vno quidem verbo hoc loco mentionem facere dignatus eſt: imò ne Viues quidem, vt videtur. Ingrati hercle homines in virum optimè de omni diſciplinæ & honeſtis ſtudiis meritum. Sed ita fit: pudet nos profiteri, per quos profecerimus. Non eſt vetuſtus author Valla, ſed qui cum vetuſtis conferri queat. De Petro Hiſpano idem docent omnes noſtræ ætatis Dialectices profeſſores. Quin abſtinent à vocabulis artis, ab hoc, vt creditur, inuentis? Quæ ſi abſtuleris ab editis illorum libris, reliquum (Dij boni) quale futurum opus? Sed nunc gloriolæ agitant doctorum hominum turbam, vt quiduis malint, quàm videri in benè meritos grati.

Secunda regula de Aequipollentia propoſitionum inter ſe contrariarum.

Quoties negatio poſtponitur ſigno, præſertim uniuerſali, ipſa æquipollere facit propoſitiones inter ſe alioqui contrarias: ut quoniam contrariæ inter ſe ſunt hæ duæ, Omnis homo iuſtus eſt, *&* Nullus homo iuſtus eſt, *ſi uni earum poſtponas negationem, ut (exempli gratia) huic,* Omnis homo iuſtus eſt, *& idcirco dixeris,* Omnis homo iuſtus non eſt: *tum quæ priùs ueritate ipſa haud-*

quæ

quaquam conuenire poterant, utpote contrariæ, ambæ simul ueræ esse possunt. Haud aliter eueniet, si etiamnum alteri negationem postponas, nempe huic, Nullus homo est iustus. Aequiualent ergo inter se, Omnis homo non est iustus, & , Nullus homo est iustus. Item, Omnis homo iustus est, &, Nullus homo non est iustus. Quarum proinde si una uera est, & altera: & si falsa una, altera quoque falsa est.

RAIIANVS.

Quoties negatio.) Secundæ regulæ hic est sensus: Datis duabus propositionibus contrariis, fiunt inter se æquipollentes: si signo vniuersali affirmatiuo vel negatiuo postponatur negatio. Ait Cæsarius: Præsertim, quia si signo particulari postponatur negatio: specialis nulla sumitur æquipollentia.

GLAREANVS.

Quoties negatio postponi.) Et in hac regula secunda habet Valla, quod iure reprehendat. Negatio, inquit, postposita, facit vniuersalem biparticularem sæpissimè, sicut præposita. Vt in hoc exemplo, Omnes diuites esse non possunt: quod est perinde ac si dicas, Nō omnes diuites esse possunt, quia quidam sunt diuites, quidam non sunt diuites. Quintilian. libr. 7. capit. vltim. Tradi enim omnia, quæ ars efficit, non possunt. quasi dicat: Non omnia quæ ars efficit, tradi possunt: sed quædam possunt, quædam non possunt. Idem in 12. At cùm protinus dicendum est, omnia parari non possunt. Ita dicimus: Oratores & Philosophi multa de memoria tradunt: sed, vtut sit, omnium meminisse certe non possumus. Omnium nō, id est, aliquorum possumus

meminiſſe:aliquorum non poſſumus. Non poſſunt omnia ſimul dici,aut,omnia ſimul dici nõ poſſunt. id eſt,quædam dici poſſunt,quædam non poſſunt.

Tertia regula de æquipollentia propoſitionum ſubalternarum.

QVoties **negatio tam** *præponitur quàm poſtponitur ſigno ſiue* **uniuer**ſ*ali,ſiue particulari,ipſa æquipollere facit propoſitiones ſibi inuicem ſubalternas : ut cùm ſint hæ duæ ſibi ſubalternæ, Omnis homo iuſtus eſt,&, Quidam homo iuſtus eſt:item & hæ duæ:Nullus homo iuſtus eſt,&,Quidam homo iuſtus non eſt,utpote quantitate ſolùm differentes:ſi de quolibet pari,& præponendo & poſtponendo alterutri earũ negationem,ita dixeris: Non omnis homo non eſt iuſtus,& Quidam homo eſt iuſtus:uel, Omnis homo eſt iuſtus, &, Non quidam homo non eſt iuſtus. Similiter, Non nullus homo non eſt iuſtus, &,Quidam homo non eſt iuſtus. Vel, Non quidam homo haudquaquam non eſt iuſtus, &, Nullus homo eſt iuſtus: Vbique ſanè inuenies binas atque binas ita conſtitutas propoſitiones,quæ inter ſe priùs quantitate differebant, ut ſubalternæ, ſecundum eandem rurſus quantitatem inter ſe conuenire, ac per hoc ueritate ſimul aut falſitate conſentire.*

RAIIANVS.

Quoties negatio tam.)Hęc regula ſic eſt accipiẽda:aſsignatis duabus propoſitionibus ſubalternis,ſi vni earum & præponatur & poſtponatur negatio, fiunt propoſitiones æquipollentes.

Quarta

Quarta regula.

QVoties in aliqua propositione duo signa uniuersalia negatiua ponuntur, alterum quidē quod ad subiectum, alterum uerò quod ad prædicatum referatur: ex his duobus id quod subiectum respicit, cōtrario: quod uerò ipsum concernit prædicatum, suo æquipollet cōtradictorio. Huius quidem regulæ huiusmodi dant exempla: Nihil nihil est: Ex nihilo nihil fit: quorum primum iuxta regulæ præscriptum huic æquipollet propositioni. Quodlibet est aliquid. Secundum uerò huic, Ex quolibet fit aliquid. Talia sunt & hæc, Nullus homo nullum animal est, Nusquam nullum corpus est, Nunquam nihil mouetur, & his similia. Verùm quoniam talia apud idoneos & probatos authores aut rari usus sunt, aut certè momenti nō admodum magni: ea in præsentia missa facere consultum uidetur, & ad propositionum cōuersionem potiùs transire, quippe cuius maior usus in syllogismorum præsertim demonstratione habeatur.

RAIIANVS.

Quoties in aliqua.) Si duo signa vniuersalia ponantur in eadem propositione, alterum ad subiectum, alterum ad prædicatum: priùs æquipollet suo contrario iuxta secundam regulam, posterius suo contradictorio iuxta primam regulam.

GLAREANVS.

Quarta regula.) Hæc quarta regula nō est à prima & secunda distincta, sed ab illis est velut corollarium.

Nihil nihil est.) Nihil capitur dupliciter. Vno modo, vt includit vniuersalitatem, & velut concretiuè

cretiuè ſumitur pro nullum Ens. Et ſic procedit hęc expoſitio, Nihil eſt nihil: pro, Quodlibet eſt aliquid: id eſt, Nullũ ens eſt, quin ſit aliquid. Altero modo velut abſtractiuè, pro re non exiſtente: de qua tamen ita loquimur, perinde atque eſſet res. Et eſt prædicatio Identica: ſicut illa, Socrates eſt Socrates.

De propoſitionum conuerſione.

His igitur, quæ talia ſunt, utpote uulgaria propemodum, poſthabitis, de propoſitionum conuerſione, quæ reſtat adhuc, potiùs dicamus, ob eam cauſam quæ dicta eſt. Hæc autem à Trapezuntio hoc pacto definitur: Conuerſio eſt, quoties propoſitionis ſubiectus terminus in prædicatum, & prædicatus in ſubiectum conuertitur. Hanc bifariam diſtingui uel ex eo patere poteſt, quòd aut in ſeſe cõuertuntur propoſitiones, aut in alias. Itaque cũ quatuor ſint propoſitionum genera, iuxta quatuor uidelicet ſupraſcriptæ figuræ angulos, ex his in ſe quidem conuertuntur uniuerſales negatiuæ, & particulares affirmatiuæ: in alias autem, uniuerſales tum affirmatiuæ, tum negatiuæ. At uerò particulares negatiuæ nec hoc, nec illo conuertuntur modo, ſed per aliam quandam conuerſionis formam, quæ per cõtrapoſitionem conuerſio dicitur. Ex quo iam colligere quoque licet, triplicem eſſe propoſitionum conuerſionem: Simplicem, qua in ſe propoſitiones conuertuntur: Per accidens, qua in alias: Per cõtrapoſitionem, qua in ſe quoque conuęrtuntur quidem ipſæ, ſed non niſi mutatis earum terminis, ut mox dicetur.

RAIIANVS.

His igitur.) Conuerſionis multiplex eſt vſus. Quandoq

Quandoque enim nobis inseruit, vt syllogismos diuersarum figurarum ad se inuicem reducamus, & bene nos collegisse ostendamus. Aliquando conuersio argumenti loco est: vt, Nemo stultus est beatus, nemo ergo beatus est stultus. Subinde etiam côuersio adhibetur propositioni illustrandæ: vt, Nemo in calamitate constitutus, est felix: felices ergo in calamitate constitutos putas?

In se conuertuntur propositiones.) Hoc est, eiusdem quantitatis, vniuersalis in vniuersalem: particularis in particularem.

Aut in alias.) Scilicet diuersæ quâtitatis, vniuersalis in particularem.

Quatuor propositionũ genera.) Propositio vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, particularis negatiua.

GLAREANVS.

Simplicem, qua in se. Aristoteles in priorib. Analyticis libr. 1. quamlibet seorsum vertit propositionem: Vniuersalis affirmatiua vertitur in suam particularem: Si omnis homo est animal, aliquod animal est homo. Vniuersalis negatiua in seipsa: Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo. Particularis affirmatiua in seipsa, Quidam homo est animal, quoddam animal est homo. Particularis autem negatiua non conuertitur: neque enim si aliquod animal non est homo, idcirco aliquis homo non erit animal. Hæc ille. Vniuersalis tamen negatiua etiam verti potest in suam particularem: sicut vniuersalis affirmatiua.

De

De conuersione simplici.

DIcimus ergo, quòd simplex quidem cõuersio est, quoties conuertendæ propositionis subiectus terminus in prædicatum eius, in quam conuertitur, & prædicatus in subiectum transponitur, seruata utriusque propositionis eadem tum qualitate, tum quantitate. Quo quidem conuersionis modo duæ tantùm conuertuntur propositionum formæ, nempe uniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua. Vniuersalis quidem negatiua: ut, Si nullum iustum malum est, nullum malum iustum est. Particularis autem affirmatiua: ut, Si quoddam iustum bonum est, quoddam bonum iustum est. Neque uerò nos conturbet, quòd quædam uniuersales affirmationes, & quædam etiã particulares negationes isto modo conuerti possunt, ut in quibus id quod proprium cuiusque est, prædicatur, aut quod nullo modo ei potest inesse de quo prædicatur. Veruenimuerò quia non fit illud uniuersaliter, nec ubique eandem uim retinet, idcirco à simplici cõuersione haud temerè excludũtur, reijciuntúrque. Siquidem propositionum quamlibet in se, ut in aliam conuerti, est ad eam necessariò consequi aliam, ut per quam fit conuersio.

RAIIANVS.

Dicimus ergo.) Dicta est hæc conuersio simplex, quia propositio conuertens colligitur immediatè ex conuersa, non ob aliquam intermediam propositionem: vt, Nullum vitium est virtus, ergo nulla virtus est vitium.

Neque verò.) Remouet tacitam obiectionẽ: Propositio vniuersalis affirmatiua terminorum gratia simpliciter

ſimpliciter conuertitur, vt, Omnis homo eſt capax diſciplinæ, ergo omne id quod eſt capax diſciplinę, eſt homo. Sed huiuſmodi collectiones fallaces sūt, nec in omnibus veræ materiales vulgò vocantur conſequentiæ, non formales.

De conuerſione per accidens.

PEr accidens autem conuerſio dicitur, quoties propoſitionis ſubiectus terminus in prædicatum, & prædicatus in ſubiectum tranſponitur, eadem utriuſque propoſitionis qualitate quidem ſeruata, ſed mutata quantitate. Sanè hoc modo duæ itidem propoſitionū differentiæ conuertuntur ſolùm, nempe uniuerſalis affirmatiua, & uniuerſalis negatiua, utraque uidelicet in particularem ſuæ qualitatis. Vniuerſalis quidem affirmatiua: ut, Si omne iuſtum bonum eſt, quoddam bonum iuſtum eſt. Etenim ſi uera eſt quæ dicit: Omne iuſtum bonū eſt: uera eſt ea quæ dicit, Quoddam iuſtū bonum eſt: ad quam quia ſequitur per cōuerſionem ſimplicem, Quoddam bonum iuſtum eſt, hæc ipſa nimirum & ad prioré ſequetur, eritque perinde uera. Itaque rectè ſequitur, Omne iuſtum bonum eſt, ergo quoddam bonum iuſtum eſt: quod erat oſtēdendum. Vniuerſalis uerò negatiua tametſi ſimpliciter (ut ſuprà dictum eſt) conuertitur, ipſa tamen non minùs & in particularem negatiuam cōuerti poteſt: ut, Si nullum iuſtum malum eſt, quoddam malum non eſt iuſtum: quoniam uidelicet nullum malum iuſtum eſt. Atque hoc ipſum profectò eſt, quod per accidens conuerti dicitur, ſecundo ſcilicet loco, & per aliud: ſicut ſimpliciter conuerti, cùm nihil aliunde petitur, aut mutatur quicquam.

RAIIANVS.

Per accidens.) Hæc conuersio dicta est per accidens, quia noua accedit propositioni quantitas, seruata eadem qualitate. Nam vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam, & vniuersalis negatiua in particularem negatiuam conuertitur.

GLAREANVS.

De conuersione.) Vt propositiones veræ vertantur, cautiones sunt aliquot. Prima: Si ponatur verbū actiuū, id necesse est resolui, ac postea vertenda propositio: vt, Homo currit, id est, homo est currens: vel quod est aptius, ergo quod currit est homo. Secūda: Si obliqui sequantur verbum substantiuum, addendū est ad intellectū, ens, aut, Id quod est. Panis est in fornace, ergo ens in fornace est panis. Tertia: Vt Latinitas seruetur. Nullum animal est lapis, ergo nullus lapis est animal: non, nullum. Quarta: Vt nō mutetur genus acceptionis, quam suppositionē vocāt: nec ampliatio, nec restrictio. Propterea illę propositiones, Nullus senex erit puer, Nulla meretrix erit virgo, non cōuertuntur, inquantum huiusmodi: vel conuertuntur: sed vt conuersa falsa est, ita & cōuertens, imò vtraque. Quod probatur illo syllogismo: Nullus senex erit puer: sed infans cras nascendus, erit senex: ergo non erit puer. Conclusio falsa est: ergo falsa aliqua præmissarum: sed non minor ex hypothesi, ergo maior: ídque per tertiā restrictionum regulam de verbis. Posset etiam dici, quòd sint veræ in sensu composito. sed falsæ in sensu diuiso. Nullus enim senex, inquātum senex, erit puer: sed puer cras nascendus, senex futurus, etiam erit puer.

De

De conuersione per contrapositionem.

Conuersio per contrapositionem est, quoties propositionis conuertendæ terminus subiectus transit in prædicatum eius, in quam uertitur; atque interim in huius subiectum illius transit terminus prædicatus, seruata quidem utriusque propositionis eadem & qualitate & quantitate, sed mutatis terminis finitis in terminos infinitos. Ad hunc certe modum duæ similiter propositionum formæ conuertuntur solum, nempe uniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua. Vniuersalis quidē affirmatiua: ut, Si omne iustum bonum est, omne non bonum non est iustum. Particularis uerò negatiua: ut, Si quoddam album non est dulce, quoddam non dulce non est non album. Hinc illa conuersio per contrapositionem dicta est, ut sit perinde atque per terminorum oppositionem.

RAIIANVS.

Conuersio per contraposit.) Hæc conuersio per contrapositionem dicta est, quia fit per terminos oppositos & contradictorios. Nam terminus finitus opponitur infinito. Huius conuersionis apud bonos authores, quorum intelligendorum gratia hæc traduntur præcepta, nullus aut rarus est vsus.

GLAREANVS.

De conuersione per contrapositionem.) Hanc etiam habet Boëthius lib. 1. de Syllogismo Categorico, non ita longè à fine. Quòd autem vniuersa-

lis affirmatiua rectè conuertatur per contrapositionem, patet ordine tali propositionum per tres consequentias.



In

In prima ac tertia probatione, est lex contrariarum in æquipollentia: in secunda, conuersio simplex. Vbi notandum: Quandocunque negatio additur superiori, tunc de superiore facit inferius.

Cùm igitur homo sit inferius ad animal, Non homo erit superis ad Non animal: ac de eo vniuersaliter prædicabitur, vt animal de homine: Omne non animal est non homo.

IN TRACTATVM QVARTVM DE PROPOSITIONE HYPOTHETICA & MODALI

PRAEFATIO.



Ost Categoricam hactenus expositam, alteram dehinc propositionis partem aggrediamur oportet: nempe eam, quæ Categoricæ è regione respondet, constituitúrque. Hæc autem est, quæ Græco quidem nomine Hypothetica dicta est, Latinè uerò Conditionalem non ineptè appellaueris: quanquam Græci nominis crebrior usus est etiam apud Latinos. Tum etiam & de Modali agendum in hoc ipso tractatu est, sed quàm fieri poterit breuißimè. Verùm hæc à Categorica non distinguitur, nisi fortè secundùm accidens aliquod, quo differt ab ea Categorica, quæ simpliciter quicquam inesse significat. Tamen quia plus habet fortaßis difficultatis, quàm utilitatis, ut cuius non sit admodum frequens usus in syllogismorum contextu, quamuis & in hac quoque parte plus satis Aristoteles occupatus fuerit; seorsim de ea, quod restare adhuc uideretur, statim post Hypotheticam tractare libuit, tum ut illorum consuleremus capacitati, qui rudes adhuc huius artis huc accedunt, eius iam primum præceptis initiandi: tum uerò, ut eorum occurreremus mordacitati, qui nihil non improbare soleant, nisi quod ab ipsis proficiscitur, insulsum planè ac barbarum. Sed nunc propositum exequamur.

RAIIANVS.

Post Categoricam.) Omnis propositio aut est prædicatoria, aut conditionalis. Dictum est de prædicatoria, nunc differere incipit de conditionali. Vtraque hæc propositionum genera aliò referenda sunt. Vt enim ex prædicatoria syllogismus Categoricus: ita ex conditionali syllogismus constituitur Conditionalis.

De propositione Hypothetica, quid sit, & unde dicta sit.

DE Hypothetica quidem propositione tametsi nullus ab Aristotele tractatus relictus est, id quod & Boëthius ingenuè liberéque fatetur: eam tamen ipse à Categorica ita distinguit in libro, quem περὶ ἑρμηνείας *inscripsit, ut illam quidem appellet simplicem & unam, hanc autem compositam & coniunctione unam, ut quæ ex pluribus Categoricis (hoc est, simplicibus) coalescat. Vnde & à quibusdam ita definitur: Hypothetica propositio est, quæ ex pluribus Categoricis, coniunctione omninò aliqua, aut aliquo æquiualente compositis constat. Sunt qui & ita definiant: Propositio Hypothetica est, quæ plures habet Categoricas, principales sui partes simul iunctas: ut, Si dies est, lux est. Hanc idcirco diximus Latino nomine Conditionalem appellari, quam tamen uerbum uerbo reddentes, Suppositoriam fortaßis rectiùs appellaremus. Nam quod Græcis hypothesis est, hoc Latinis est suppositio. Verùm quia hypothesis præter cætera significata,*

apud Græcos nonnunquam uim habet cõditionis, & item causæ, ut hoc loco: placuit Latinis hominibus Conditionalem potiùs dici, quàm Suppositoriam, propterea quòd huiusmodi propositio sub conditione aliquid proponit: ut, Si hoc est, illud est: uel si hoc est, illud non est.

RAIIANVS.

Propositio hypothetica.) Quemadmodum ergo propositio simplex ex subiecto & prædicato constituitur: ita hypothetica ex duabus simplicibus componitur.

GLAREANVS.

Sunt qui ita definiunt.) Boëthius lib. 1. de Syllogismo hypothetico: Propositio hypothetica est, quæ cum quadam conditione denunciat esse aliquid, si fuerit aliud: vt, Si dies est, lux est.

De tribus propositionis hypotheticæ speciebus.

HVius autem propositionis tres esse species, inter omnes ferè conuenit huius artis professores: quas & Seuerinus Boëthius ad hunc modum colligit: Omnis (inquit) hypothetica propositio constituitur uel per cõnexionem, uel per disiunctionem. Per connexionem rursus, aut per copulationem, aut per conditionem. Per copulationem quidem, ut ea quæ copulatiua coniunctione connectitur, unde & nomen habet: ut, Et dies est, & lux est. Per conditionem uerò, ut quæ coniunctione quadam partibus interposita, ad consequentiam conditionémque ducitur: quæ idcirco

idcirco nomine peculiari Conditionalis appellatur. Per disiunctionem autem, ut in qua disiunctiua coniunctio interueniens, ambas prædicatiuas (hoc est, Categoricas) coniungit, & per hoc disiunctiua propositio dicitur: ut, Aut dies est, aut nox est.

RAIIANVS.

Huius autem.) Distinctio harum specierum à diuersis coniunctionibus sumitur.

GLAREANVS.

De tribus propositionis hypotheticæ.) Gellius libr. 16. capi. 8. Quod Græci συνημμένον ἀξίωμα dicunt, id alij nostrorum adiunctum, alij connexum dixere. Id connexum tale est: Si Plato ambulat, Plato mouetur: Si dies est, sol super terram est. Item quod illi συμπεπλεγμένον, nos vel coniunctum, vel copulatum dicimus. Quod est eiusmodo: P. Scipio Pauli filius, & bis consul fuit, & triumphauit, & censura functus est. Est item aliud, quod Græci διεζευγμένον, nos disiunctum dicimus. Id huiuscemodi est: Aut malum est voluptas, aut bonum. Hæc ille.

De qualitate propositionum hypotheticarum.

CAeterùm quoniam omnis propositio aut uerum aut falsum significat, & quemadmodum Aristoteles docet, quicquid contingit affirmare, contingit & negare: inquirendum & illud nunc est, quónam pacto hypotheticæ propositiones, cùm affirmationem recipiant, admittāt

simul & negationem. Illud certè à nonnullis dubitatur. Itaque dicimus, quòd hypotheticæ propositiones ut affirmatiuæ sunt, quarum principalis copula non negatur, etsi inter partes ipsas nonnunquam negatio ponitur: ut, Si homo est, animal est: item, Si non est animal, non est homo. Ita negatiuæ dicuntur, quarum copula principalis negatur. Principalem autem copulam uoco, quæ partes simul iungit, & certam hypotheticæ propositionis speciem constituit: cuiusmodi sunt cõiunctiones copulatiuæ, disiunctiuæ, & rationales seu conditionales, tum & aliæ quædam orationis partes, illis tamen æquiualentes. Igitur cùm quis uolet ex hypotheticis affirmatiuis easdem facere negatiuas, is toti propositioni negationem præponet, quæ tamen supra copulam principalem ferri intelligatur: ut, Non si homo ambulat, homo mouetur: Non & dies est, & lux est: Non aut dies est, aut nox est. Atque ita in his propositionibus præter contradictionem, nulla alia inuenitur oppositio, quæ à Cicerone & Boëthio repugnantia appellatur.

RAIIANVS.

Aristoteles docet.) Locus est 3. cap. 2. lib. de interpretatione.

Itaque dicimus.) In propositionibus conditionalibus affirmatio & negatio à coniunctione sumitur: vt enim se habet verbum in propositionibus categoricis, ita coniunctio in conditionalibus: sed in categoricis à verbo sumitur affirmatio vel negatio: ergo in conditionalibus à coniunctione.

Atque ita.) Contradictio hoc loco pro affirmatione & negatione sumitur, quæ sola oppositio

in

in propositionibus conditionalibus inuenitur. Hîc enim nullam habemus rationem signorum vniuersalium vel particularium: à quibus variæ formæ oppositionis sumuntur.

GLAREANVS.

De qualitate propositionum.) In hoc capite nihil de veritate & falsitate, sed duntaxat de qualitate propositionum hypotheticarum disputatur.

Igitur cùm quis volet.) Horatius lib. 4. Carminum,

Non si priores Maonius tenet,
Sed eis Homerus, Pindarica latent,
Caæque, & Alcæi minaces,
Stesichorique graues camœnæ.

Affirmatiua falsa: Si Homerus habet primas partes, alij poetæ obscuri sunt. Negatiua vera: Non si Homerus primas partes tenet, alij poetę latent, & in obscuro sunt.

De quatuor Hypotheticarum propositionum differentijs.

CVm ergo affirmatio & negatio in his propositionibus non secundum partes sumantur, uidendum etiãnum est, quot modis partes ipsas uariari contingat penes affirmationem & negationem. Vnde & tot earum differẽtiæ constituendæ sunt. Itaq; cõstant hypotheticæ aut ex duabus affirmatiuis: ut, si cœlum rotundum est, cœlum est uolubile: aut ex duabus negatiuis, ut si cœlum rotundum non est, cœlum non est uolubile: aut ex affirmatiua & negatiua: ut, si cœlum quadratum est, cœlum uolubile nõ est: aut ex negatiua & affirmatiua, ut si cœlum rotũdum non

 est,

est, cœlum stabile est. Quatuor igitur sunt istarum propositionum differentiæ, secundum partium uariationem penes affirmationem & negationem: & ut in conditionalibus id iam monstratum est, ita & in copulatiuis & disiunctiuis sese habet, quod dictum est.

RAIIANVS.

Cùm ergo.) Diuisio quadrimembris: quam Boethius in libris differentiarum topicarum examinat.

GLAREANVS.

Præter hæc autem in conditionalibus.) In conditionali coniunctio præcedit totam hypotheticã, in qua prior categorica, quæ coniunctioni proximè apponitur, dicitur antecedens, altera autem consequẽs. Fieri autẽ potest: vt & antecedens & cõsequẽs sint falsæ: & tamen cõsequentia sit vera, & aliis modis variegata, vt habetur Tractatu 6. cã. 16. copiosè. est enim consequentia, necessaria habitudo antecedentis ad consequens.

Breuis de hisce propositionibus admonitio.

SEd priùs quàm hinc iam de ueritate & falsitate harum propositionum agamus, illud tantùm præmonendum duximus, quòd ex his singulæ duas habent partes: unam, quæ coniunctionem ipsas coniungentem (quam principalem copulam iuniores uocant) præcedit: alteram, quæ cõiunctionem ipsam subsequitur. Atque ex his rursus interdum prior pars uera est, sequens falsa: interdum contrà. Nonnunquam etiam ambæ aut ueræ, aut falsæ. Præter hæc autem & in conditionalibus ipsis hoc amplius præmonendum subit, quod ex illis duabus partibus

ea quidem quæ prior est, & cõiunctioni, Si proximè præponitur, antecedẽs dicitur: quæ uerò priorem deinde partem subsequitur, ac posterior proinde pars est, Consequẽs appellatur.

RAIIANVS.

Duas habent.) Vt in propositionibus simplicibus duæ partes sunt, subiectum & prædicatum: ita in conditionalibus duæ partes sunt, antecedens & consequens. Antecedens est ea propositio prædicatoria, quę sequitur immediatè coniunctionem. Consequens est ea propositio simplex: quæ coniunctionem sequitur mediatè. Id exempli appositione doceo. Si iustitia est, virtus est: antecedẽs est hæc propositio, iustitia est, consequens hęc, virtus est. Id planè intelligere necessarium est, & multis in locis vsui.

De veritate & falsitate Conditionalis.

ITaque breuiter nunc repetamus harum propositionum definitiones, simúlque ostendamus quemadmodum sese habeant singulæ secundum ueritatem, falsitatémque: Conditionalem igitur propositionem esse dicimus: quæ ex duabus constat Categoricis: Si coniunctione simul iunctis: ut si Socrates ambulat, Socrates mouetur. Conditionalium autem quoniam alia quidem affirmatiua est, alia negatiua: affirmatiua quidem uera esse cognoscitur, si oppositum consequentis antecedenti repugnat: falsa autem, si non repugnat. Ergo quidem uera est, quæ dicit, si homo est, animal est: quandoquidem huius oppositũ quod est: nõ est animal, ei planè repugnat, quod dicit homo est: falsa autem hæc, si homo est, album est. Nam nõ albũ esse, haudq

haudquaquam ei repugnat, quod est, hominem esse. At uerò si negatiua fuerit, uerâne an falsa sit, ex affirmatiua facile deprehenditur negatione remota: id quod & in copulatiua & in disiunctiua, cùm negatiuæ sunt, ita quoque euenire certum est. Quocirca uera hæc esse iudicatur, quæ ita proponitur, non si homo est, quadrupes est: quoniam eius affirmatiua falsa est. Sunt tamen qui aliter harũ propositionum ueritatẽ & falsitatem discutiant: sed nos Trapezuntium in hoc sequi maluimus. Verùm quia tota huiuscemodi propositionum uis in consequentia atque conditione cõsistat, ijdem hoc addunt amplius, atque idcirco, ut omnem conditionalem ueram necessariam esse dicunt, ita falsam impoßibilem. Itaque uera simul & necessaria hæc est, quæ dicit Si dies est, lux est: siquidem diem esse non contingit, nisi lux sit. Nec minùs si ita proponas, Si uolat quispiam, alas habet. Atqui hæc quæ dicit, Si dies est, terra mouetur, ut falsa est, ita & impoßibilis, quando non ideo terra mouetur unquam, quòd dies sit, aut si dies est: sed est alia tum ratio, tum causa, cur terremotus fiat, quemadmodum in Physicis id proditur.

RAIIANVS.

Affirmatiua verò.) Regula hæc ex Trapezuntio sumpta est, ex qua constat in propositionibus cõditionalibus veritatem & falsitatem non sumi à partium veritate aut falsitate. Hæc enim cõditionalis vera est, si homo est equus, homo est irrationalis: & tamen vtraque pars est falsa. Vnde illud tritum & peruagatum in scholis Dialecticorum est: Propositio conditionalis nihil ponit esse, quia nullã partem verãm

veram aut falsam esse indicat, sed tantùm consequentiæ rationem ostendit.

Sed est alia tum.) Exhalationes terræ visceribus inclusæ. Hac de re Aristoteles, Plinius, & Gellius disserunt.

GLAREANVS.

De veritate & falsitate.) Duo dicit in hoc Capite: quid sit conditionalis, & quando vera. siue affirmatiua, siue negatiua. Consimiliter procedit duobus capitibus sequētibus, de copulatiuis & disiunctiuis.

De veritate & falsitate propositionis Copulatiuæ.

Copulatiua præpositio est, quæ ex duabus pluribúsue Categoricis constat, copulatiua coniunctione, aut æquiualente aliquo simul iunctis: ut, Socrates ambulat, & Plato disputat. Copulatiua uera quidem ést, cùm utraque pars uera est: falsa autem, cùm uel alterutra pars falsa est. Ceterū in definitione copulatiuæ particula quæ erat, aut æquiualente aliquo, innuit plerasque haberi copulatiuas propositiones: in quibus tamen non copulatiua coniunctio partes connectit, sed áduerbium aut temporis, aut loci, aut similitudinis. Vnde & tales propositiones ab his aduerbijs nomina sæpenumerò sortiuntur, ut aliæ quidem temporales, aliæ locales, aliæ uerò similitudinis propositiones dicantur: quas tamen sub copulatiua comprehendere licet, quemadmodū sub eadē quidem etiam cōprehendi putant propositionem rationalem: ut, Quia sol lucet, dies est: quam proinde ita explicant, Sol lucet, & ideo dies est. Alij autem sub conditionali eam comprehendere malunt,

lunt, propter uim cõsequentiæ, quæ eadem est in utraque.

RAIIANVS.

Copulatiua propositio.) Copulatiuæ propositionis veritatem eleganter docet Gellius 8. capit. 16. libri his verbis: In omni coniuncto si vnum est mendacium, etiamsi cætera vera sint, totum est mendacium. Quibus verbis indicat, ad veritatem copulatiuæ vtranque partem esse veram oportere, vt hæc est vera: Scipio & bis consul fuit & triumphauit.

De veritate, & falsitate Disiunctiuæ propositionis.

Disiunctiua propositio est, quæ ex duabus pluribúsue constat Categoricis, coniunctione disiunctiua simul iunctis, ut Socrates ambulat, uel Plato disputat: quamueram quidem iuniores esse dicunt, si alterutra tantummodo pars uera fuerit: falsam autem, si pars utraque fuerit falsa. Et ad hunc quidem modum de Disiunctiua propositione loquuntur hi maximè, qui hac tempestate Dialecticam docent: cùm tamen Boethius, & ante hunc M. Cicero aliam huius propositionis significationem esse tradant, atque eam esse dicant, quæ ex repugnantibus inter se Categoricis constituta sit, cuius proinde posita pars una interimit alteram, & interempta una, alterã ponit: ut, Aut dies est, aut nox est.

RAIIANVS.

Quam veram.) Vnde hoc iactatum in scholis est, Propositio disiunctiua est vera, cuius altera pars est vera.

Quæ

Quæ ex repugnantibus.) Repugnantia dicuntur quæ eidem competere non possunt, ex quibus oportet omnem propositionem disiunctiuam propriam constare: nam disiunctiua si verbi vim spectes, sic dicta est, quasi veritatem & falsitatem disiungat. Quocirca hæc non est propriè disiunctiua, aut homo est, aut ambulat.

GLAREANVS.

De veritate & falsitate.) in disiunctiua non puto vbique necesse esse duo immediata contraria, vt ægrotum & sanum: sed hoc necesse esse, nempe sufficientem partium enumerationem. Ideóque in pluribus si vna est vera, tota erit vera: vt, Aut agere aliquid, aut pati, aut neutrum significans. Claues hodie vel domi, vel in templo, vel in itinere amisi: nã manè habui, nec vsquam interim fui, quàm vel in templo, vel domi. In omni igitur diuisione iusta & perfecta, locum habet hæc propositio, etiam multarum partium. Sed ita nudè, Socrates disputat, vel Plato ambulat: vel, Tu probus es vel Deus est, vt vulgus loquitur, vbi nulla est connexio totius per partes, vbi neutiquam puto esse propositionem disiunctiuam. Nam vnio aliqua debet esse, etiamsi partes disiungantur.

De propositione Modali, sed priùs quid sit Modus, à quo dicta videtur huiusmodi propositio.

SEquitur propositio modalis, quæ ut nomine ipso patet, à modo dicta est. Porrò modus à quibusdam definitur, adiacens,

adiacens rei determinatio. Quæ modi definitio hunc præ se ferre uidetur intellectum: Modus (ut hoc loco accipitur) dictio est adiectitia, quæ rem quampiam determinat. Rem, inquam, hoc est, uocem quæ rei alicuius significatiua est. Verbum autem Determinat positum est, ut sit idem quod explanat, aut certè distinguit: quod nimirum faciũt tam aduerbia ipsa, quàm nomina adiectiua. Nam, ut Priscianus ait, hoc est aduerbium uerbis, quod adiectiua nomina appellatiuis nominibus adiuncta: ut cùm dico, prudens homo, hominem quidem aliquem designo, non tamen quemlibet, sed eum qui prudentia præditus est. Sic etiam cùm dico, prudenter agit, agere quidem aliquem innuo, at cùm hoc simul explano atque distinguo, agere uidelicet non utcunque: sed prudenter. Itaque modus hoc loco nihil aliud est, quàm aut adiectiuum nomẽ, aut aduerbium. Itaque & hîc nunc priùs quàm ad reliqua pergamus, operæpretium fortaßis fuerit, adijcere ex Diomede Grammatico, quòd Scaurus uetus author ipsum aduerbium non alio pacto (quàm nos paulò suprà modum) definiat. Aduerbiũ est (inquit) modus rei adiectus, ipsam pronunciatione definiens, hoc est, terminãs, uelut rectè, diligẽter, optimè.

RAIIANVS.

Sequitur.) In modalibus propositionibus præclara ingenia remorãda nõ sunt. Plus enim habent ostentationis quàm vtilitatis, cuius permulti auditores auidiores quàm veritatis sunt. Sat igitur fuerit iuuenem, qui ad sublimiores properat facultates, prioribus (vt aiunt) labris has degustare.

Qui modi propriè modales efficiant.

CAeterum cùm aduerbium ipsum uerbum determinat, id facit aliquoties quidem ratione rei, hoc est, significati

significati ipsius uerbi, quod per eius participium explicatur. Aliquãdo ratione tẽporis, quod uerbũ cõsignificat. Aliquoties ratione modi uerbi, quo scilicet uaria in nobis designatur affectio, prout animus noster nũc ad hoc, nũc ad illud se inclinat, quã Græci proinde multò significantiùs ἔγκλισιν, id est, inclinationem, nos modum appellamus: ut cùm optamus quippiam, aut aliquem hortamur. Aliquoties uerò ratione compositionis uerbi, quæ quidem in ipso uerbo intelligitur, quatenùs uerbum substantiuum intra se concludit: de quo ita Aristoteles in principio ferè eius operis, quod περὶ ἑρμηνείας, id est, de interpretatione inscribitur: Nam si ipsum, inquit, est, uerbum purum dixeris, nihil quidem est: significat autem compositionem quandam, quam sine compositis, hoc est, extremis, non est intelligere. Quo fit, ut ex hac multiplici aduerbij determinatiõne multiplices quoque modi colligantur. Attamen ex omnibus his nulli tales sunt, qui modales propositiones efficere constituereque poßint præter quatuor, siue aduerbialiter eos, siue nominaliter expresseris: qui sunt poßibile, impoßibile, contingens, & necessarium. Nam cùm dicit quispiam: Plato grauiter disputat, aut homo albus currit, modus quidem in utraque propositione ponitur, neutra tamen ex ipsis modalis dici debet: quoniam non tota utriusque propositionis compositio determinata est, sed pars tantùm altera, unius quidem subiectum, alterius uerò prædicatum. Quare quicunque modi partem propositionis aliquam, non totam eius compositionem determinant, nullo pacto eiusmodi censeri debent, ut ab his modales propositiones dicantur. Sed neque uerum & falsum, tales habentur modi, licet ipsarum propositionum compositionem determinent: quoniam in his

propositionibus, quæ modis illis determinantur, oppositio & æquipollentia haud aliter sumuntur, quàm in his quæ simpliciter inesse significant, uel ideo fortaßis, quòd communes omnium propositionum affectiones siue passiones sint. Omnis quippe propositio aut uera, aut falsa esse perhibetur.

RAIIANVS.

Sed neque.) Etsi Aristoteles 3. cap. 2. libri de interpretatione, verum & falsum inter modos enumerat: tamen non constituunt modales propriè propositiones, propter eas rationes, quas Cæsarius affert.

GLAREANVS.

Nam si ipsum (inquit) Est verbum purum dixeris.) In Græcis non legitur τό ἐστι, sed τὸ ὄν, id est, Ens. Nisi quis dicat, etiam hoc apud Græcos corruptũ. Beatus Thomas tamen legit τὸ ὄν, vt est in Græcis. Ens enim non dicit actualitatem essendi, vt est. Mirari tamen quis iure possit, cur hæc Aristotelis verba huc adducat, cùm hîc de determinatione aduerbiorum fiat mentio, apud Aristotelem verò dicto loco de verbi significatione.

Nam cùm dicit quispiam, &c.) Verus modus debet determinare totam ipsius propositionis compositionem, & in quantum compositio: & aliquid addere vltra simplicem propositionem, quæ modi signum non habet.

Quid

Quid sit propositio Modalis, & quomodo secundum quosdam diuidatur.

Modalis igitur propositio est, quæ modo ex his quatuor aliquo determinatur, cuiusmodi sunt poßibile, impoßibile, contingens, & necessarium. Sanè hanc ipsam, quæ iam definita est, Modalem compositam quidam appellant, quam & ita definiunt, ut sit, cuius dictum aliquo modorum determinatur: dictum quidem intelligentes id, quod ex casu accusatiuo & uerbo infinito constructum est, quale est cùm dico, Socratem currere. Cum igitur dictum tale determinatur, huiusmodi propositio Modalis composita appellatur, út cuius alterum extremorum est dictum, alterum modus ex his aliquis, qui dicti sunt: ut, Socratem currere est poßibile. Idem huic quasi ex aduerso aliam ponunt Modalem, quam diuisam appellant, & ita definiunt: Modalis diuisa est, cuius copula modo aliquo determinatur: ut, sedentem poßibile est ambulare: quales etiamnum propositiones simpliciter & propriè modales esse dicunt, illas autem non simpliciter, sed compositas. Verùm non ita Aristoteles & Boëthius, quorum uterque de his propositionibus, hoc est, compositis, si tamen ita appellare libet, & grauiter & subtiliter suum instituit tractatum, de quibus etiam nos hoc ipso tractatu agemus, ut qui Aristotelem potius & Boëthium, authores haud dubiè grauißimos imitari uolumus, quàm leuiusculos & clamosos sophistas.

RAIIANVS.

Sanè.) Modalis composita est, quæ habet partes

dicti coniunctas, & modum ſeparatim poſitum: vt Cęſarem eſſe clementem eſt poſsibile. Et in his propoſitionibus poſsibile ita explicatur, vt propoſitio poſsibilis: impoſsibile, vt propoſitio impoſsibilis.

Modalis diuiſa.) Modalis diuiſa eſt, quoties inter partes modus aliquis ponitur: vt Philoſophum neceſſe eſſe ſapientem. Neque leue eſt diſcrimen, ſi quis dumeta & ſpineta garrulorum Sophiſtarum inſpicere velit, inter propoſitionem compoſitam & diuiſam modalē. Nam poteſt (inquiũt) modalis eſſe vera, & compoſita ex eiſdem terminis conſtans, eſſe falſa: vt hęc eſt vera, album poſsibile eſt eſſe nigrum: hæc tamen falſa, album eſſe nigrum eſt poſsibile. Hæc eſt compoſita, illa diuiſa. Sed hæc miſſa faciamus: ſunt enim pluſquam Cimeriis inuoluta tenebris, & fęlicia ingenia à diſciplinis reiiciunt.

Quæ ſit horum quatuor modorum ad ſigna tum uniuerſalia, tum particularia proportio, ſiue conuenientia.

SEd ut harum deinceps propoſitionum inueſtigemus qualitatem ſimul & quantitatem, unde & earum deinde oppoſitio intelligi poßit, ſcire operæpretium eſt, hos quatuor modos ſæpè dictos magnam cum ſignis tum uniuerſalibus, tum particularibus habere conuenientiam, affinitatémque: ut exempli gratia, neceſſe, cum ſigno uniuerſali affirmatiuo: impoßibile cum ſigno uniuerſali negatiuo: porrò poßibile & contingens (qui duo modi hac in parte pro eodem paßim accipiuntur) cum ſignis particulari

cularibus affirmatiuis. Vnde ut signa illa aliarum huius generis propositionum subiecta tantum determinant, ita hi quatuor modi totam istiusmodi propositionum compositionem, quæ (ut iam suprà dictum est) dicti nomine intelligitur.

RAIIANVS.

Sed vt harum.) Docet modales propositiones habere quandam similitudinem cum simplicibus. Nam vt in simplicibus ex signis vniuersalibus & particularibus quantitatem metimur: sic in modalibus à modis quatuor, quorum impossibile & necesse modales propositiones vniuersales constituunt, possibile & contingens particulares. Istud iam doctrinæ causa admittamus, est tantum, si verum fateri volumus, neotericorum coniunctum. Nihil enim tale ab Aristotele traditum legimus.

GLAREANVS.

Quæ sit horum modorum, &c.) Differunt possibile & contingens. Possibile ampliat compositionem non essendi, sed mobilem ad esse: vt, Socratem currere est possibile, significatur occulte, cursum non inesse Socrati, sed posse inesse: vtpote si iam sedeat, postea posit currere. Cõtingens ampliat compositionem essendi, sed mobilem ad non esse: vt, Socratem currere est contingens: significatur ibi Socrati cursum inesse, sed posse sibi non inesse.

Omne Necesse valet, valet Impossibile Nullus:
Possibile, Quidam: Quidam non, possibile non.

Sedentem currere eſt poſsibile. }
Poſsibile eſt ſedentem currere. } Compoſitæ.
Sedentem poſsibile eſt currere. Diuiſa.

De qualitate ſimul, & quantitate modalium propoſitionum.

Ex his igitur etſi facilè iam quiuis uideatur intelligere poſſe, unde in his propoſitionibus tum qualitas, tum quãtitas ſumenda ſit: tamen haud ſuperuacuum erit, interim & illud admonere, quòd in modalibus, tum affirmatio, tum negatio ſecundum modum ſumenda eſt, quemadmodum in his, quæ ſine modo proferuntur, atque ineſſe ſimpliciter ſignificant, ſecundum uerbum, hoc eſt, copulam uerbalem: id quod & his penè uerbis (ita ut ſolet omnia) grauißimè ſecundum Ariſtotelis *rationem* Boëthius *annotauit.* Quemadmodum *enim (inquit) in his, quæ preter modum quicquam eſſe uel non eſſe proponunt, eſſe quidem & non eſſe oppoſitiones quædam (id eſt, prædicationes) ſunt: res uerò eſt quæ ſubijcitur; ut in eo quod dicitur, homo eſt, uel homo non eſt, homo quidem quatenus rem ſignificat, ſubiectum eſt, oppoſitiones autem & prædicationes ſunt, eſt & non eſt.* Ita *quoque in his quæ ſecundum modum aliquem dicuntur, eſſe quidem ſubiectum eſt, uelutires quædam: modus autem, qui de ipſo eſſe prædicatur.* Nam *cùm dicimus, hodie pluuiam eſſe eſt poßibile: eſſe quidẽ iam ſubiecimus, poßibile autem prædicamus.* Sicut *igitur in illis, quæ præter modum dicuntur, uerbum totam uim prædicationis habet: ita in his quæ cum modo proferuntur, ipſe modus.* Et *per hoc ut negatio*

in illis

in illis ad uerbum fertur, ita in his ad modum ferenda est. Sed hinc ad earum transeamus oppositionem.

RAIIANVS.

Quemadmodum.) Aristo.3.ca.2.lib.de interpretatione sic colligit: vt se habet verbum in simplicibus propositionibus, ita modus in modalibus: at in simplicibus à verbo sumitur affirmatio & negatio: ergo etiam in modalibus à modo. Et hæc est plena huius capitis sententia.

De oppositione propositionum modalium.

OPponuntur autem & hæ quidem inter se quatuor modis. Siquidem aut contrariæ inter se sunt, aut subcontrariæ, aut contradictoriæ, aut subalternæ. Enim*uerò ut harum oppositionem planius quisque discernere queat, conuenientius erit hoc pacto eas disponere, ut modus ipse subiecti, uerbum autem siue dictum (quod uocatur) prædicati locum interim teneat, tametsi perinde est, hoc uel illo ordine disponantur.* Contrariæ *igitur sunt, ut necesse est hominem spirare, necesse est hominem non spirare.* Subcontrariæ*, ut poßibile est hominem spirare, poßibile est hominem non spirare.* Contradictoriæ *uerò, ut necesse est hominem spirare, non necesse est hominem spirare.* Subalternæ *uerò, ut necesse est hominem spirare, non necesse est hominem non spirare.* Quæ *omnia ut digesta sunt, ita sese habere subscripta figura monstrat luculentißimè, licet modis in ipsis propositionibus ubique ferè uariatis, idque haud temerè: quippe iuxta signorum respondentiam: cùm tamen, si libeat, ex eisdem ubique modis eas describere poßis, suo uidelicet quamque loco.*

RAIIANVS.

Opponuntur.) Suprà admonui ex sententia Aristotel. 3. 2. cap. lib. de interpretat. in modalibus esse contradictorias oppositas propositiones. Boëthius cæteras effinxit species.

Contrariæ.) Hæc propositio, necesse est hominẽ non spirare, huic æquipollet, impossibile est hominem spirare. Quare hæ etiam contrariæ sunt: necesse est hominem spirare, necesse est hominem non spirare. Modò id doctrinæ causa admittamus, necesse & impossibile signis vniuersalibus æquipollere. Sed dixerit aliquis: necesse est hominem spirare, & impossibile est hominem spirare, contrariæ non sunt: nam ambæ affirmatiuæ sunt. Aristoteles enim docet, impossibile affirmatiuum esse modum. Hæc obiectio eodem modo diluenda est. Nam secũdum doctrinam Aristotelis contrariæ non sunt. Sed hoc loco impossibile sumitur pro signo vniuersali negatiuo, & sic negatiuam efficit propositionem.

De consequentijs siue equipollentijs propositionum modalium.

Hinc iam ad consequentias, siue (ut iuniores dicunt) æquipollentias harum propositionum transeamus. Ad quas quidem intelligendas, duæ regulæ ab Iacobo *Fabro Stapulensi traditæ, plurimum nobis adiumenti præstare poterunt, si eas animo perpendamus, simúlq; memoriæ commendemus, quas proinde hoc loco adijcere placuit. Ad idem quoque haud dubiè faciet subiecta figura, quatuor angulis per binos diametros descripta, appositis insuper*

insuper quatuor ad hunc usum inuentis uocabulis, unicuique angulo singulis, quæ ob id ipsum artis uocabula haud iniuria dici possunt. Quibus tum ita dispositis, scire licet omnes uniuscuiusque anguli propositiones inter se æquipollere, ac per hoc consequi sese. Cæterùm ut nihil quod ad hanc rem attinet, non intelligatur planè: horum quatuor uocabulorum ars etiamnum aperiēda est. Sciendum itaque, quòd per a uocalem intelligere debemus negationem in his propositionibus neque ad dictum, neque ad modum ferendam esse. Et ut per e ad dictū tantùm, ita per i solùm ferenda est ad modum: per u uerò ad utrūque. Sed nunc tandem ad ipsas regulas ueniamus. Quarū prima est: Si est aliqua propositio poßibilis, eadem est contingens, atque eadem non est impoßibilis, & eius contradictoria non est necessaria. Secunda: Si non est aliqua propositio poßibilis, eadem non est contingens, eadem autem est impoßibilis, & eius contradictoria est necessaria. Postremò autem exempla sumantur ex his propositionibus, quarum dicta æquiualent propositionibus uel singularibus, uel communibus: hoc est, quarum subiecti termini sunt aut singulares, aut communes. Verùm quoties ex communibus terminis huiusmodi constiterint propositiones, tūc si tres præcedentes, utpote de poßibili, contigenti, & impoßibili, fuerint uniuersales, quarta de necessario erit particularis: at contrà, si præcedentes tres fuerint particulares, aut certè indefinitæ, quarta erit uniuersalis: atque id quidem est, quod ambæ innuunt regulæ, cùm in utraque dicitur, & eius contradictoria est, uel non est necessaria.

RAIIANVS.

Sciendum itaq;.) Proponit certa certis vocabu-

RAIIANVS.

Opponuntur.) Suprà admonui ex ſententia Ariſtotel.3.2.cap.lib.de interpretat. in modalibus eſſe contradictorias oppoſitas propoſitiones. Boëthius cæteras effinxit ſpecies.

Contrariæ.) Hæc propoſitio, neceſſe eſt hominẽ non ſpirare, huic æquipollet, impoſſibile eſt hominem ſpirare. Quare hæ etiam contrariæ ſunt: neceſſe eſt hominem ſpirare, neceſſe eſt hominem non ſpirare. Modò id doctrinæ cauſa admittamus, neceſſe & impoſsibile ſignis vniuerſalibus æquipollere. Sed dixerit aliquis: neceſſe eſt hominem ſpirare, & impoſsibile eſt hominem ſpirare, contrariæ non ſunt: nam ambæ affirmatiuæ ſunt. Ariſtoteles enim docet, impoſsibile affirmatiuum eſſe modum. Hæc obiectio eodem modo diluenda eſt. Nam ſecũdum doctrinam Ariſtotelis contrariæ non ſunt. Sed hoc loco impoſsibile ſumitur pro ſigno vniuerſali negatiuo, & ſic negatiuam efficit propoſitionem.

De conſequentijs ſiue equipollentijs propoſitionum modalium.

Hinc iam ad conſequentias, ſiue (ut iuniores dicunt) æquipollentias harum propoſitionum tranſeamus. Ad quas quidem intelligendas, duæ regulæ ab Iacobo Fabro Stapulenſi traditæ, plurimum nobis adiumenti præſtare poterunt, ſi eas animo perpendamus, ſimúlq; memoriæ commendemus, quas proinde hoc loco adijcere placuit. Ad idem quoque haud dubiè faciet ſubiecta figura, quatuor angulis per binos diametros deſcripta, appoſitis

inſuper

insuper quatuor ad hunc usum inuentis uocabulis, unicuique angulo singulis, quæ ob id ipsum artis uocabula haud iniuria dici possunt. Quibus tum ita dispositis, scire licet omnes uniuscuiusque anguli propositiones inter se æquipollere, ac per hoc consequi sese. Cæterùm ut nihil quod ad hanc rem attinet, non intelligatur planè: horum quatuor uocabulorum ars etiamnum aperiēda est. Sciendum itaque, quòd per a uocalem intelligere debemus negationem in his propositionibus neque ad dictum, neque ad modum ferendam esse. Et ut per e ad dictū tantùm, ita per i solùm ferenda est ad modum: per u uerò ad utrūque. Sed nunc tandem ad ipsas regulas ueniamus. Quarū prima est: Si est aliqua propositio poßibilis, eadem est contingens, atque eadem non est impoßibilis, & eius contradictoria non est necessaria. Secunda: Si non est aliqua propositio poßibilis, eadem non est contingens, eadem autem est impoßibilis, & eius contradictoria est necessaria. Postremò autem exempla sumantur ex his propositionibus, quarum dicta æquiualent propositionibus uel singularibus, uel communibus: hoc est, quarum subiecti termini sunt aut singulares, aut communes. Verùm quoties ex communibus terminis huiusmodi constiterint propositiones, tūc si tres præcedentes, utpote de poßibili, contigenti, & impoßibili, fuerint uniuersales, quarta de necessario erit particularis: at contrà, si præcedentes tres fuerint particulares, aut certè indefinitæ, quarta erit uniuersalis: atque id quidem est, quod ambæ innuunt regulæ, cùm in utraque dicitur, & eius contradictoria est, uel non est necessaria.

RAIIANVS.

Sciendum itaq;.) Proponit certa certis vocabu-

la,quibus æquipollentias modalium cognoſcimus. A ſignificat propoſitionem omninò affirmatiuam. E negatiuam de dicto. I negatiuam de modo. V totã negatiuam, & ſecundum dictum & modum propoſitionem ſignificat.

Si eſt aliqua.) Ratio huius eſt, quia poſsibile, & contingens inter ſe æquipollent.

Atque eadem.) Ratio huius eſt, quia poſsibile ſiue contingens, & impoſsibile præpoſita negatione alteri modorum, fiunt æquipollentes. Vt rectè ſequitur: Poſsibile eſt eſſe, ergo non impoſsibile eſt eſſe.

Et eius contradictoria.) Huius ratio: Si contradictoria propoſitionis poſsibilis eſſet neceſſaria, duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ. Nam poſsibilis poteſt eſſe vera, & etiã neceſſaria eſt vera. Quare conficitur, duas contradictorias ſimul eſſe veras.

Eadem autem.) Quia poſsibile & impoſsibile æquipollent, ſi alteri modorum negatio præponatur.

Et eius contradictoriæ.) Huius loci ratio eſt: Si propoſitio aliqua non eſt poſsibilis, contradictoria eius eſt neceſſaria. Nam ſi eius contradictoria non eſſet neceſſaria, poſſet eſſe falſa: & non poſsibilis poteſt eſſe falſa: ergo duæ contradictoriæ erunt ſimul falſæ. Sequitur figura ex propoſitionibus ſingularibus: In quolibet artis vocabulo quatuor cõſtituuntur propoſitiones, quarum prima eſt poſsibilis, ſecunda contingens, tertia impoſsibilis, quarta neceſſaria: quæ omnes inter ſe æquipollent, & mutuò ſe inferunt. In figura quæ ex propoſitionibus communibus conſtat, in duobus vltimis ordinibus, ſcilicet

ſub

ſubcõtrariis,in quibuſdam exemplaribus vocabula artis tranſpoſita ſunt.Nam in hoc ordine, Omnẽ hominem currere eſt poſsibile,notandum eſt vocabulum artis,Amabimus.In eo verò, Omnem hominem non currere:notandum Edentuli.

GLAREANVS.


De conſequentiis,ſiue æquipol.) Sciẽdum, quòd ſinguli iſtorum quatuor modorum, ſecundum quatuor angulos quaternas habẽt propoſitiones modales:ita ſexdecim erunt in vniuerſum propoſitiones. Verbi gratia,iſte modus qui eſt poſsibile,ſi ſumatur ſine negatione,facit vnam propoſitionem modalẽ: vt, Socratem currere eſt poſsibile. Si ſumatur cum negatione,poſita ante verbum,facit ſecundam:vt, Socratem nõ currere eſt poſsibile. Si ſumatur cum negatione, poſita ad modum, facit tertiam poſitionem:vt,Socratem currere non eſt poſsibile. Deniq; ſi ſumatur cum negatione duplici,altera ad modũ, altera ad verbum poſita,facit quartam propoſitionem:Socratem non currere , non eſt poſsibile. Pro his quatuor angulis ſiue ordinibus,ſunt quatuor vocabula artis:Amabimus,Edentuli,Iliace, Purpurea. in quibus totum negotium eſt in quatuor vocalibus,a,e,i,v. A,nihil negat,neque dictum,neque modum:v,vtrunque: i,modum tantùm:e,dictum tantùm.Vnde eſt verſus:

E,dictum negat, Iq; modum,nihil A ,ſed V totum.

Sequitur

Sequitur figura ex propositionibus singularibus.


Pur	Socratem non currere non est poßib.		Socratem currere non est poßibile.	I
pu	Socratem non currere non est cõtingens.	Con	Socratem currere non est contingens.	li
re	Socratem non currere est impoßibile.	tra	Socratem currere est impoßibile.	a
a	Socratem currere est necesse.	riæ	Socratem non currere est necesse.	ce



A	Socratem currere est poßibile.		Socratem non currere est poßibile.	E
ma	Socratem currere est contingens.	Sub	Socratem non currere est contingens.	den
bi	Socratem currere non est impoßib.	con tra	Socratem non currere non est impoßib.	tu
mus	Socratẽ non currere non est necesse.	riæ	Socratem currere non est necesse.	li

Sequitur figura ex propositionibus communibus.

Pur	Omnem hominem non currere nõ est poßib.		Omnem hominem currere non est poßib.	I
pu	Omnẽ hominẽ nõ currere nõ est conting.	Con tra	Omnẽ hominẽ currere non est conting.	li
re	Omnẽ hominẽ nõ currere est impoßib.	riæ	Omnẽ hominem currere est impoßib.	a
a	Quendam hominem currere est necesse.		Aliquem hominem nõ currere est necesse.	ce



A	Omnem hominem currere est poßib.		Omnem hominẽ nõ currere est poßibile.	E
ma	Omnẽ hominẽ currere est conting.	Sub	Omnẽ hominẽ non currere est contingens.	den
bi	Omnem hominẽ currere nõ est impos.	con tra	Omnẽ hominẽ nõ currere nõ est impoßib.	tu
mus	Aliquem hominem non currere non est est necesse.	riæ	Quendam hominem currere non est necesse.	li

De conuersione modalium.

SEd & de conuersione harũ propositionum iuxta seruatum priùs ordinem, dicendũ deinceps. In quo quidē paulò liberiùs expatiari liceat propter eos, qui hac in parte omnes eiusdem ordinis propositiones, ut æquipollere inter se ubiq;, ita & cõuerti dicunt, ipsum rectène an perperàm, ipsi uiderint: nos uerò Aristotelē in primis ipsum, & post hunc Boethium, & post utrunq; Iacobum Fabrum Stapulens. sequentes, non per omnia id ita se habere, uel exemplis idoneis ostendemus. Insuper autem & illud nũc etiam mirari subit, quòd pleriq; in re planè perspicua, uel acta omnino agũt: ut in prouerbio est: uel certè nimia interdum prolixitate usque adeò laborant, ut eãdem rem nõ modò luce sua priuent, sed & obscuriorem relinquant, quàm inuenerint. Contrà uerò, in re quæ expositione aliqua indiget, uel tempus in ea prorsus malè collocãt: uel ita re illã oculis (ut uidetur) conniuentibus prætereunt, ut nõ tam negligere, quàm ignorare uideãtur. Quid enim refert dicere, omnes propositiones in suo ordine æquipollere inter se, & conuerti perinde, cùm tamen hæ propositiones, quæ de impoßibili sunt, id nequaquam admittant, uidelicet ut conuertantur? Nã cùm uera sit quæ dicit, omnē substantiam esse hominē est poßibile: falsa tamen erit hæc, Quendam hominē esse substantiã est impoßibile. Quocirca nec Aristoteles ipse de modaliũ conuersione tractãs, meminit usquã de propositione impoßibili. Quod profectò & Iacobus Faber Stapulensis animaduertens, tales regulas de huiusmodi propositionũ cõuersione posuit: Si conuersa, inquit, impoßibilis est, nõ oportet conuertentē eius esse impoßibilē. Item si conuersa fuerit poßibilis, cõtingens, aut necessaria, & eius conuertens poßibilis, cõtingẽs, aut necessaria

cessaria erit. Vnde rectè fit conuersio in ea, quæ de possibili aut contingenti existit, si dicamus, omnem hominē esse album est possibile siue cōtingens, ergo quoddam album esse hominem est possibile, siue contingens. Et in ea similiter id accidet, quæ est de necessario: ut, omnem hominē esse mortalem est necesse: ergo quoddā mortale esse hominē est necesse. Quod quidem & alijs quoq; generibus propositionum ita eueniet, secundū duplicis conuersionis regulas suprà positas. Atq; hoc ipsum est, quod & Aristoteles ad hunc modū proponit, ubi de istarū propositionū conuersione agit. Eodē autē modo, inquit, & de necessarijs propositionibus se habet, & in cōtingētibus, quomodo in his, quæ absolute dicūtur, hoc est, simpliciter inesse significāt.

RAIIANVS.

Quid enim.) Propositiones vnius ordinis inter se æquipollēt, & de mutuo se trahūt consequio, sed nō necessariò inter se conuertūtur. Quia in conuersione necesse est terminū subiectum transponi in prædicatū, & prædicatum in subiectum, in ęquipollētia autē satis est consequens rectè colligi ex antecedēte.

Si conuersa.) Vt ista, Omnem substātiam esse hominem est impossibile.

Vnde rectè.) Hic locus est apud Aristotelem 3. capite primi libri priorū: Propositiones de cōtingenti, necessario, possibili, eodem modo conuertuntur, vt propositiones simplices.

GLAREANVS.

Nam cùm vera sit quæ dicit, omnem sub.) Cæsarius non attēdit, quòd in Iliace affirmatiua vniuersalis, Omnem hominem currere est impossibile, æquipollet illi, Aliquem hominem non currere est necesse.

necesse. Atqui illa, Aliquem hominem non currere est necesse: est particularis negatiua, saltem ex parte dicti: itaq; ex parte dicti conuerti non potest. Quare nihil hîc agit. Nam illa, Omnem substantiam esse hominem est impossibile, æquiualet illi, Quandam substantiam non esse hominem est necesse, per illatæ. Sed hæc cùm sit particularis negatiua de dicto, non potest conuerti ex parte dicti, eadem ratione, qua particularis negatiua superius negatur côuerti posse. Et nota, quòd impossibile negat pro omni tempore dictum, quod determinat: ideóque ponit, contradictorium esse verum, & necessarium. Propter quod omnis propositio de impossibili ęquipollet illi de necesse esse, quæ est de dicto contradictorio: vt, Hominem currere est impossibile, Hominem non currere est necesse.

Quot modis contingens dicatur.

QVoniam autem contingens, quod dicitur, eandem ubique in his propositionibus cum poßibili significationem habere constat: haud abs re fuerit, antequam huic tractatui finem imponamus, eius nominis multiplicem significationem breuiter exponere. Itaque sciendum, quòd contingens tribus dicitur modis. Dicitur nanque contingens & quod necessarium est, & quod non necessarium, & quod poßibile est. Primo igitur modo contingens & necessarium idem sunt. Secundò contingens & nõ necessarium. Tertio contingens & poßibile. Rursus autem contingens, quod secundo modo dictum est, deducitur deinde in contigens ut plurimum, siue quod frequentius est, & contingens rarum, & in contigens utrumlibet. Cõtingẽs ut plurimum est, quod in alteram partem plus uergit: est

ut hominem in senectute canescere. Nam id quidem frequenter accidit: potest tamen etiam non canescere iam senex quispiam factus. Vnde & contingens natum idem appellatur. Contingens rarum est, ut fodientem reperire thesaurum. Id enim si aliquando contingat, rarissimum tamen est. Contingens uero utrumlibet, quod & indifferens dicitur, id est, cùm dicimus sedere quempiam, aut uigilare, quod proinde ita definitur: Vtrumlibet est, cuius indiscretus euentus est, hoc est, quod æqualiter euenire uel non euenire potest. Et de modalibus quidem hactenus.

RAIIANVS.

Itaque sciendum.) Tres hi modi contingentis sunt apud Aristotelem duodecimo cap. primi libri priorum. Hi modi adferuntur hoc loco, vt secundum diuersum modum contingentis, propositiones diuerso modo conuertantur.

IN TRACTATVM QVINTVM DE SYLLOgismo Categorico

PRAEFATIO.



Vperest ut ad eam tandem perueniamus huius artis partem, in qua tota uis artis sita est: nempe inueniendi & iudicandi. Nam si Dialectica (ut à M. Cicerone non tam eleganter breuitérq;, quàm grauiter & uerè definitur) diligens disserendi ratio est: fieri profectò non potest, ut ab inuentione ipsa sit separata. Siquidem disserere (hoc est, disputare) diligenter nemo poterit unquam de re quapiam, nisi inuentis à se priùs argumentis, quibus disputatio ipsa fulciatur, procedátq; legitimè. Rursus autem & ob id ipsum à iudicio abesse nequit, quo is qui disserit, perpendat examinétque tum inuentum nuper argumentum, tum ipsius disputationis instrumentum, nempe argumentationem: quod certè nisi ritè formatum fuerit, parùm aptum idoneúmue ad disputandum adhibebitur. Porrò pars illa quæ de inuentione tractat, Topicè Græcè, Latinè localis dici potest. Ea uerò pars, quæ in iudicando posita est, & quasdam discernendi regulas subministrat, Analytice à Græcis dicitur, à nostris resolutoria. Huius rursus duplex ab Aristotele partitio traditur. Siquidem ea pars, quæ de propositionum iunctura considerat, & formam duntaxat syllogismi molitur, docens interim præmißis, quas uocant, ritè dispositis, necessariò ex his conclusionem sequi, prior Analytice dicitur. Quæ uerò de ipsis

de ipsis inuentis iudicium fert, hoc est, ostendit, utrùm quæ inuenta sunt, conueniant nécne rei in disputatione propositæ, posterior Analytice nuncupatur. Quod nimirum tribus fit modis: quippe hæc ipsa uel de necessarijs iudicat, & Demonstratio appellatur: uel de uerisimilibus & probabilibus, & peculiari nomine Dialectice dicitur: uel de falsis & cauillatorijs, & Sophistica nuncupatur. De quibus omnibus singulatim per ordinem deinceps tractabitur, & primò quidem de Syllogismo formáq; argumentationis, cuius etiam præter syllogismum aliæ tres traduntur species, Enthymema, Inductio, Exemplum: quæ tamen ad syllogismum ipsum, ueluti ad quandam mensuram reduci solent. Quoniam autem omnis argumentatio omnisque syllogismus propositionibus struitur, atque hæ terminis perficiuntur: à propositionibus & terminis hunc tractatum inchoandum esse statuimus, idque etiam non absque exemplo.

RAIIANVS.

In tractatum quint.) Hic tractatus iudicio meo omnium est vtilissimus: continet enim præcipuam Dialectices partem, nimirum ratiocinationẽ. Nam cùm tria sint Dialectices instrumenta, finitio, diuisio, ratiocinatio: hæc est, circa quam omnis labor & industria differẽtis versatur. hunc finem & scopum semper spectamus, vt aliud ex alio conficiamus. Etsi enim Dialectica docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare finiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, deinde distinguere: tamen illud multo maximum est, quòd tradat regulam, qua vera & falsa iudican-

tur, & quæ quibus sint vel non sint consentanea. Cæsarius in hac præfatione inuentionem & iudicium ad Dialecticã pertinere docet. Inuentio certos locos ostendit, è quibus argumenta in rem quãque probandam aut refellendam promimus. Iudicium est, quod præcepta quædam argumẽtandi tradit, vnde cognoscimus, an inuenta themati conueniant, necne, Cæterùm Cæsarius ordinem naturalem turbare videtur. Inuentio est prior ordine naturæ iudicio, vt Cicero initio Topicorum ad Trebatium docet: ergo etiam prius tractanda erat. hîc autem Cesarius pertractat iudicium, & tractatu nono inuentionem. Sinuosa & perplexa hæc est obiectio, in qua diluenda magnorum philosophorum magna ingenia impedita fuerũt. Post omnium opiniones excussas & examinatas, cogitabam aliquando, an eam obiectionẽ hunc in modum diluere possem: Inuẽtio ordine naturæ prior est iudicio (priùs enim inuenire oportet, deinde iudicare de inuẽtis.) Iudicium autem ordine doctrinæ, commoditatis, facilitatis, est prius inuentione, Hanc rem planiùs & apertiùs in gratiam iuniorum explico, Postquam Cæsarius exposuit voces simplices & propositiones, ordo doctrinæ & methodica ratio efflagitabat, vt argumentationem & eius formas, quæ ex propositionibus constant, pertractaret. & eodem modo intelligendus est Aristoteles eo in ordine, in quo libros priorum & posteriorum (in quibus de iudicio agit) præposuit libris Topicorum, in quibus inuentio continetur. Scio tamen à quibusdam ingeniosam adferri ad illum Aristotelis locum solutionem.

Aristoteles

Aristoteles in libris priorum & posteriorum, non solùm docet iudicium, sed etiam inuentionem termini medij in syllogismo generatim sumpti: sed in libris Topicorum docet inuentionem syllogismi dialectici: at syllogismus generaliter sumptus, est prior syllogismo dialectico: ergo etiam inuentio syllogismi generatim sumpti est prior inuentione syllogismi dialectici. Res igitur eò recidit, vt duplicem constituere cogamur inuentionem: alteram pertinétem ad genus, scilicet syllogismum: alteram ad speciem, scilicet syllogismum dialecticum. Sic etiam libri posteriorum, vt hæc de abundanti adijciam, optimo ordine præponuntur libris Topicorum. Nam in libris posteriorum Aristoteles disserit de syllogismo demõstratiuo, qui longè est nobilior syllogismo dialectico. Ad eundem modum inuentio syllogismi demonstratiui est præstantior inuentione syllogismi dialectici. His ita præpositis, ad rem redeamus.

Nam si.) Probat inuentionem pertinere ad dialecticam, argumento sumpto à finitione dialecticæ: quo argumento Trapezuntius initiò suæ dialecticæ vsus est.

Ea verò pars.) Docet iudicium ad Dialecticum pertinere.

Huius rursus.) Cæsarius eruditè & ingeniosè (vt mihi videtur) separat argumentum librorum priorum à libris posteriorum. Nam in libris priorum structuram propositionum & formam syllogismi edocet, & quomodo ex his conclusio conficiatur: at in libris posteriorum docet, quomodo iudicandum

dum sit de inuentis, an themati proposito conueniant. Etsi non sum nescius, quid scriptum hac de re sit à numerosa interpretum turba, Thoma, Burano, Nipho: mirificè tamen mihi placet hæc erudita & ingeniosa Cæsarij sententia.

GLAREANVS.

Quadruplex syllogismus:

- *Simpliciter dictus, ad nullã cõtractus materiam: Si omne b est a, & omne c est b: igitur omne c est a. Et de hoc est hic tractatus, & duo libri priorum Analytic. Arist.*
- *Demonstratiuus, de materia necessaria: Omne animal rationale est risibile, Omnis homo est animal rationale, Ergo omnis homo est risibilis. De eo est tractatus 7. & libri duo posteriorum Analyticorum.* — Iudicatiua.
- *Dialecticus, de materia probabili: Mater est, ergo amat puerum suum. Et de eo sunt Topica Ciceronis, & octo libri Aristot. & nonus hic tractatus.*
- *Sophisticus, de materia apparẽter probabili: Crispos habet crines, ergo adulter est. De eo tractatus 10. & libri Elench. Aristot.* — Inuentiua.

De

De propositione, materiali syllogismi principio.

PRopositio igitur est oratio affirmatiua uel negatiua alicuius de aliquo: hoc est, oratio in qua aliquid de aliquo aut affirmatur, aut negatur. Cuiusmodi sanè sunt propositiones in primis Categoricæ, quarum quidem hæc uniuersalis est, hæc particularis, illa uerò indefinita. Vniuersalis quidem, quæ aut omni, aut nulli inesse quippiam significat. Particularis uerò, quæ alicui, aut alicui non, aut non omni. Indefinita uerò, quæ inesse quidem, uel non inesse significat, sed absque uniuersalitatis particularitatisue nota.

RAIIANVS.

Propositio igitur.) Propositio hic finitur per affirmationem & negationẽ, quia hîc spectamus propositionem, vt pars est syllogismi, quem necesse est affirmatiuum aut negatiuum esse: nec hoc loco veritatem aut falsitatem anxiè obseruamus: at in libris de interpretatione, propositio finitur quatenus vera aut falsa est. Nec incommodum est genus finiri per species, quando nobis propriæ desunt differentiæ.

De terminis.

TErminos hac in parte Aristoteles primũ definit, in quos propositio resoluitur, ut prædicatũ, & de quo ipsum dicitur, quod proinde subiectum propositionis appellatur: ut huius propositionis, Omnis homo est animal, termini sunt, homo atq; animal, idcirco quòd in eos prin-

cipaliter ipsa resoluatur. Et termini quidem dicti sunt, ueluti in agro limites: nam ut his ager finitus designatur, ita terminis propositio (ut dictum est) perficitur. Cuiusmodi sunt simplices in primis, & significatiuæ uoces, inter quas præcipuæ habentur nomen & uerbum. Itaque in has propositio rectè resoluitur, ut ex quibus composita est. Fieri enim non potest, ut ulteriùs resolutio procedat, utpote in literas, aut in syllabas: quoniam hæ, ut alibi dictum est significatiuæ non sunt.

RAIIANVS.

Terminos.) Locus hic est apud Aristotelem primo cap. primi libri priorum. Aristoteles breuitatis studiosus, finitionem & diuisionem termini simul complexus est; terminorum enim alius subiectus, de quo aliquid dicitur: alius prædicatus, qui de alio dicitur.

Et termini quidem.) Terminus propositionis dictus est per translationem à limitibus agrorum: & ab eadem similitudine Aristoteles 4. cap. 1. lib. Topicorum, finitionem terminum vocat. Hunc terminum Ouidius lib. 2. Fast. eleganter describit:

Termine siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

De syllogismorum principijs regulatiuis.

CAeterùm ut ad rectam syllogismorum formationem connexionémq; nosse oportet, quid propositio, quid item termini, quæ ipsius syllogismi materialia principia sunt:

ſunt:ita quoque ſcire operæpretium eſt, quid ſit omni aut nulli ineſſe: ſiue in toto eſſe, & non eſſe, quæ regulatiua principia ſyllogiſmi à quibuſdam appellantur. Definitur igitur ab Ariſtotele in toto eſſe, ſiue de omni prædicari: quoties nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo non dicatur prædicatum: ut cùm ita proponitur, omnis homo eſt animal, ipſius hominis nihil inueniri poteſt, de quo non dicatur animal. Ergo quia de omni homine animal prædicatur, & de Socrate & Platone, imò uerò & de quolibet particulari homine prædicari poteſt. Ab eodem item definitur in toto non eſſe, ſiue de nullo prædicari, quoties nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo dicatur prædicatum, hoc eſt, à quo prædicatum non remoueatur: ut in hac propoſitione, nullus homo eſt lapis, quia de omni homine negatur lapis, & de Socrate & Platone, & de alijs item omnibus particularibus hominibus negatur. Sanè ſciendum quòd in toto eſſe, & dici de omni, uerſa uice ſe habẽt. Nam ſi quid de omni aliquo prædicatur, id de quo illud prædicatur, in toto eo eſt quod prædicatur, ut de omni homine animal. In toto ergo animali homo eſt, ueluti pars quædam intra ſuum totum latens quodammodo. Hactenus de principijs ſyllogiſmi, tam materialibus, quàm regulatiuis: nunc ad ſyllogiſmum tranſeamus.

RAIIANVS.

Definitur.) Ex hac finitione dici de omni, ſumitur hæc regula: quicquid de ſubiecto quopiam dicitur, etiam de quolibet contento ſuo ſubiecto. Per hoc principiũ confirmantur ſyllogiſmi affirmatiui.

Ab eodem.) Ex hac finitione dici de nullo, hæc regula colligitur: quicquid de ſubiecto aliquo dicitur, vt de nullo, remouetur etiam ab omni eo quod

sub subiecto continetur, hoc principio confirmantur syllogismi negatiui.

De syllogismo quid sit.

SYllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eò quòd hæc sunt. Sane hoc pacto ab Aristotele ipso definitur syllogismus, cuius definitioni Boethius adijcit particulam, & concessis, ut sit quasi explanatio eius, quod Aristoteles dicit, positis, id quod coniunctio, &, innuere uidetur, quæ expositiua interdum coniunctio habetur. Boethius igitur uolens Aristotelis definitionem quodammodo explanare, syllogismum ita definit: Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis & concessis, aliud quiddam præter ea quæ posita & concessa sunt, necessariò euenit, propter ea quæ posita & concessa sunt. Porrò per hoc quod ab utroque dicitur, aliud quiddam ex necessitate accidit ab his, quæ posita sunt & concessa, significatur nobis, planè eos non esse syllogismos, qui ab aliquibus fiunt, hoc modo: Quicquid homo est, homo est: homo autem est homo: igitur homo est homo. Item, omne animal est substantia, & omnis homo est animal, ergo omne animal est substantia. Huiusmodi sanè syllogismi ridiculi prorsus sunt, ob id quòd in his conclusio non sit aliud à præmissis. Adiectum præterea est & illud non temerè, eo quòd hæc sunt, propter eos, qui plerunque syllogismos faciunt, in quibus aut minus, aut plus, aut aliud quippiam propositum est, quàm proponi debuerat.

RAIIANVS.

Syllogismus est orat.) Huius finitionis hic est sensus: syllogismus est argumentatio, in qua si quædam

propositiones concedantur,& in modo & figura disponantur,consequitur conclusio, quæ est altera à præmisis,secundum formam, non secundum materiam,ex necessitate consequentiæ, non autem rei siue conclusionis. Particula, positis, non est sic intelligenda,concessis,etsi eam Gellius & Boethius addiderunt:nam sic syllogismus falsum assumens, & bene concludens non esset syllogismus, quia falsa non conceduntur. Aristoteles autem 1.cap.primi libri Topicorum docet, syllogismum assumentē falsum & bene concludentem esse syllogismum: eum autem qui verum assumit & malè colligit, non esse syllogismum.

De multiplici syllogismorum differentia.

Syllogismorum autem alius Categoricus est,alius hypotheticus. Et *Categoricus quidem est, cuius utraque sumptarum propositionum,pariter conclusio Categorica est.* Hypotheticus *uerò,cuius uel altera tantùm,aut cōclusio hypothetica est.* At *de hoc postea proprio quodam tractatu.* Rursus *Categoricorum syllogismorum alius communis est,alius qui expositorius dicitur.* Communis *quidem est, cuius medium quod dicitur, est terminus communis.* Expositorius *uerò, cuius medius terminus est singularis: hoc nomine fortaßis dictus, quòd* per *ipsum quasi expositio designatióque fiat propositionum ad demonstrationē sumptarum.* Ex *Categoricis item, & his quidem qui cōmunes dicti sunt,alij sunt perfecti,alij imperfecti.* Perfectus *quidē syllogismus is dicitur,qui nullius alterius indiget,præter ea quæ posita sunt,ut appareat necessariū,hoc est,ut cōclusio ex neceßitate sequatur.* Imperfectus *uerò qui*

De conuersione modalium.

SEd & de conuersione harũ propositionum iuxta seruatum prius ordinem, dicendũ deinceps. In quo quidẽ paulò liberius expatiari liceat propter eos, qui hac in parte omnes eiusdem ordinis propositiones, ut æquipollere inter se ubiq;, ita & cõuerti dicunt, ipsum rectene an perperàm, ipsi uiderint: nos uerò Aristotelẽ in primis ipsum, & post hunc Boethium, & post utrunq; Iacobum Fabrum Stapulens. sequentes, non per omnia id ita se habere, uel exemplis idoneis ostendemus. Insuper autem & illud nũc etiam mirari subit, quòd pleriq; in re planè perspicua, uel acta omnino agũt: ut in prouerbio est: uel certè nimia interdum prolixitate usque adeò laborant, ut eãdem rem nõ modò luce sua priuent, sed & obscuriorem relinquant, quàm inuenerint. Contrà uerò, in re quæ expositione aliqua indiget, uel tempus in ea prorsus malè collocãt: uel ita re illã oculis (ut uidetur) conniuentibus prætereunt, ut nõ tam negligere, quàm ignorare uideãtur. Quid enim refert dicere, omnes propositiones in suo ordine æquipollere inter se, & conuerti perinde, cùm tamen hæ propositiones, quæ de impoßibili sunt, id nequaquam admittant, uidelicet ut conuertantur? Nã cùm uera sit quæ dicit, omnẽ substantiam esse hominẽ est poßibile: falsa tamen erit hæc, Quendam hominẽ esse substantiã est impoßibile. Quocirca nec Aristoteles ipse de modaliũ conuersione tractãs, meminit usquã de propositione impoßibili. Quod profectò & Iacobus Faber Stapulensis animaduertens, tales regulas de huiusmodi propositionũ cõuersione posuit: Si conuersa, inquit, impoßibilis est, nõ oportet conuertentẽ eius esse impoßibilẽ. Item si conuersa fuerit poßibilis, cõtingens, aut necessaria, & eius conuertens poßibilis, cõtingẽs, aut necessaria

cessaria erit. Vnde rectè fit conuersio in ea, quæ de possibili aut contingenti existit, si dicamus, omnem hominē esse album est possibile siue cōtingens, ergo quoddam album esse hominem est possibile, siue contingens. Et in ea similiter id accidet, quæ est de necessario: ut, omnem hominē esse mortalem est necesse: ergo quoddā mortale esse hominē est necesse. Quod quidem & alijs quoq; generibus propositionum ita eueniet, secundū duplicis conuersionis regulas suprà positas. Atq; hoc ipsum est, quod & Aristoteles ad hunc modū proponit ubi de istarū propositionū conuersione agit. Eodē autē modo, inquit, & de necessarijs propositionibus se habet, & in cōtingētibus, quomodo in his, quæ absolutè dicūtur, hoc est, simpliciter inesse significāt.

RAIIANVS.

Quid enim.) Propositiones vnius ordinis inter se æquipollēt, & de mutuo se trahūt consequio, sed nō necessariò inter se conuertūtur. Quia in conuersione necesse est terminū subiectum transponi in prædicatū, & prædicatum in subiectum, in ęquipollētia autē satis est consequens rectè colligi ex antecedēte.

Si conuersa.) Vt ista, Omnem substātiam esse hominem est impossibile.

Vnde rectè.) Hic locus est apud Aristotelem 3. capite primi libri priorū: Propositiones de cōtingenti, necessario, possibili, eodem modo conuertuntur, vt propositiones simplices.

GLAREANVS.

Nam cùm vera sit quæ dicit, omnem sub.) Cæsarius non attēdit, quòd in Iliace affirmatiua vniuersalis, Omnem hominem currere est impossibile, æquipollet illi, Aliquem hominem non currere est necesse.

necesse. Atqui illa, Aliquem hominem non currere est necesse: est particularis negatiua, saltem ex parte dicti: itaq; ex parte dicti conuerti non potest. Quare nihil hîc agit. Nam illa, Omnem substantiam esse hominem est impossibile, æquiualet illi, Quandam substantiam non esse hominem est necesse, per illatice. Sed hæc cùm sit particularis negatiua de dicto, non potest conuerti ex parte dicti, eadem ratione, qua particularis negatiua superius negatur côuerti posse. Et nota, quod impossibile negat pro omni tempore dictum, quod determinat: ideóque ponit, contradictorium esse verum, & necessarium. Propter quod omnis propositio de impossibili ęquipollet illi de necesse esse, quæ est de dicto contradictorio: vt, Hominem currere est impossibile, Hominem non currere est necesse.

Quot modis contingens dicatur.

QVoniam autem contingens, quod dicitur, eandem ubique in his propositionibus cum poßibili significationem habere constat: haud abs re fuerit, antequam huic tractatui finem imponamus, eius nominis multiplicem significationem breuiter exponere. Itaque sciendum, quòd contingens tribus dicitur modis. Dicitur nanque contingens & quod necessarium est, & quod non necessarium, & quod poßibile est. Primo igitur modo contingens & necessarium idem sunt. Secundò contingens & nō necessarium. Tertio contingens & poßibile. Rursus autem contingens, quod secundo modo dictum est, deducitur deinde in contigens ut plurimum, siue quod frequentius est, & contingens rarum, & in contigens utrumlibet. Cōtingēs ut plurimum est, quod in alteram partem plus uergit:

est

ut hominem in senectute canescere. Nam id quidem frequenter accidit: potest tamen etiam non canescere iam senex quispiam factus. Vnde & contingens natum idem appellatur. Contingens rarum est, ut fodientem reperire thesaurum. Id enim si aliquando contingat, rarissimum tamen est. Contingens uero utrumlibet, quod & indifferens dicitur, id est, cùm dicimus sedere quempiam, aut uigilare, quod proinde ita definitur: Vtrumlibet est, cuius indiscretus euentus est, hoc est, quod æqualiter euenire uel non euenire potest. Et de modalibus quidem hactenus.

RAIIANVS.

Itaque sciendum.) Tres hi modi contingentis sunt apud Aristotelem duodecimo cap. primi libri priorum. Hi modi adferuntur hoc loco, vt secundum diuersum modum contingentis, propositiones diuerso modo conuertantur.

IN TRACTATVM QVINTVM DE SYLLOgismo Categorico

PRAEFATIO.



Vperest ut ad eam tandem perueniamus huius artis partem, in qua tota uis artis sita est: nempe inueniendi & iudicandi. Nam si Dialectica (ut à M. Cicerone non tam eleganter breuitérq;, quàm grauiter & uerè definitur) diligens disserendi ratio est: fieri profectò non potest, ut ab inuentione ipsa sit separata. Siquidem disserere (hoc est, disputare) diligenter nemo poterit unquam de re quapiam, nisi inuentis à se priùs argumentis, quibus disputatio ipsa fulciatur, procedátq; legitimè. Rursus autem & ob id ipsum à iudicio abesse nequit, quo is qui disserit, perpendat examinétque tum inuentum nuper argumentum, tum ipsius disputationis instrumentum, nempe argumentationem: quod certè nisi ritè formatum fuerit, parùm aptum idoneúmue ad disputandum adhibebitur. Porrò pars illa quæ de inuentione tractat, Topicè Græcè, Latinè localis dici potest. Ea uerò pars, quæ in iudicando posita est, & quasdam discernendi regulas subministrat, Analytice à Græcis dicitur, à nostris resolutoria. Huius rursus duplex ab Aristotele partitio traditur. Siquidem ea pars, quæ de propositionum iunctura considerat, & formam duntaxat syllogismi molitur, docens interim præmißis, quas uocant, ritè dispositis, necessariò ex his conclusionem sequi, prior Analytice dicitur. Quæ uerò de ipsis

de ipsis inuentis iudicium fert, hoc est, ostendit, utrùmque inuenta sunt, conueniant nécne rei in disputatione propositæ, posterior Analytice nuncupatur. Quod nimirum tribus fit modis: quippe hæc ipsa uel de necessarijs iudicat, & Demonstratio appellatur: uel de uerisimilibus & probabilibus, & peculiari nomine Dialectice dicitur: uel de falsis & cauillatorijs, & Sophistica nuncupatur. De quibus omnibus singulatim per ordinem deinceps tractabitur, & primò quidem de Syllogismo formáq; argumentationis, cuius etiam præter syllogismum aliæ tres traduntur species, Enthymema, Inductio, Exemplum: quæ tamen ad syllogismum ipsum, ueluti ad quandam mensuram reduci solent. Quoniam autem omnis argumentatio omnisque syllogismus propositionibus struitur, atque hæ terminis perficiuntur: à propositionibus & terminis hunc tractatum inchoandum esse statuimus, idque etiam non absque exemplo.

RAIIANVS.

In tractatum quint.) Hic tractatus iudicio meo omnium est vtilissimus: continet enim præcipuam Dialectices partem, nimirum ratiocinationẽ. Nam cùm tria sint Dialectices instrumenta, finitio, diuisio, ratiocinatio: hæc est, circa quam omnis labor & industria dissererẽtis versatur. hunc finem & scopum semper spectamus, vt aliud ex alio conficiamus. Etsi enim Dialectica docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare finiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, deinde distinguere: tamen illud multo maximum est, quòd tradat regulam, qua vera & falsa iudican-

tur, & quæ quibus ſint vel non ſint conſentanea. Cæſarius in hac præfatione inuentionem & iudicium ad Dialecticā pertinere docet. Inuentio certos locos oſtendit, è quibus argumenta in rem quāque probandam aut refellendam promimus. Iudicium eſt, quod præcepta quædam argumētandi tradit, vnde cognoſcimus, an inuenta themati conueniant, necne. Cæterùm Cæſarius ordinem naturalem turbare videtur. Inuentio eſt prior ordine naturæ iudicio, vt Cicero initio Topicorum ad Trebatium docet: ergo etiam prius tractanda erat. hîc autem Cæſarius pertractat iudicium, & tractatu nono inuentionem. Sinuoſa & perplexa hæc eſt obiectio, in qua diluenda magnorum philoſophorum magna ingenia impedita fuerūt. Poſt omnium opiniones excuſſas & examinatas, cogitabam aliquando, an eam obiectionē hunc in modum diluere poſſem: Inuētio ordine naturæ prior eſt iudicio (priùs enim inuenire oportet, deinde iudicare de inuētis.) Iudicium autem ordine doctrinæ, commoditatis, facilitatis, eſt prius inuentione. Hanc rem planiùs & apertiùs in gratiam iuniorum explico. Poſtquam Cæſarius expoſuit voces ſimplices & propoſitiones, ordo doctrinæ & methodica ratio efflagitabat, vt argumentationem & eius formas, quæ ex propoſitionibus conſtant, pertractaret. & eodem modo intelligendus eſt Ariſtoteles eo in ordine, in quo libros priorum & poſteriorum (in quibus de iudicio agit) præpoſuit libris Topicorum, in quibus inuentio continetur. Scio tamen à quibuſdam ingenioſam adferri ad illum Ariſtotelis locum ſolutionem.

Aristoteles in libris priorum & posteriorum, non solùm docet iudicium, sed etiam inuentionem termini medij in syllogismo generatim sumpti: sed in libris Topicorum docet inuentionem syllogismi dialectici: at syllogismus generaliter sumptus, est prior syllogismo dialectico: ergo etiam inuentio syllogismi generatim sumpti est prior inuentione syllogismi dialectici. Res igitur eò recidit, vt duplicem constituere cogamur inuentionem: alteram pertinẽtem ad genus, scilicet syllogismum: alteram ad speciem, scilicet syllogismum dialecticum. Sic etiam libri posteriorũ, vt hæc de abundanti adijciam, optimo ordine præponuntur libris Topicorum. Nam in libris posteriorum Aristoteles disserit de syllogismo demõstratiuo, qui longè est nobilior syllogismo dialectico. Ad eundem modum inuentio syllogismi demonstratiui est præstantior inuentione syllogismi dialectici. His ita præpositis, ad rem redeamus.

Nam si.) Probat inuentionem pertinere ad dialecticam, argumento sumpto à finitione dialecticæ: quo argumento Trapezuntius initio suæ dialecticæ vsus est.

Ea verò pars.) Docet iudicium ad Dialecticum pertinere.

Huius rursus.) Cæsarius eruditè & ingeniosè (vt mihi videtur) separat argumentum librorum priorum à libris posteriorum. Nam in libris priorum structuram propositionum & formam syllogismi edocet, & quomodo ex his conclusio conficiatur: at in libris posteriorum docet, quomodo iudicandum

dum sit de inuentis, an themati proposito conueniant. Etsi non sum nescius, quid scriptum hac de re sit à numerosa interpretum turba, Thoma, Burano, Nipho: mirificè tamen mihi placet hæc erudita & ingeniosa Cæsarij sententia.

GLAREANVS.

Quadruplex syllogismus:

- *Simpliciter dictus, ad nullã cõtractus materiam: Si omne b est a, & omne c est b: igitur omne c est a. Et de hoc est hic tractatus, & duo libri priorum Analytic. Arist.*
- *Demonstratiuus, de materia necessaria: Omne animal rationale est risibile, Omnis homo est animal rationale, Ergo omnis homo est risibilis. De eo est tractatus 7. & libri duo posteriorum Analyticorum.*

} Iudicatiua.

- *Dialecticus, de materia probabili: Mater est, ergo amat puerum suum. Et de eo sunt Topica Ciceronis, & octo libri Aristot. & nonus hic tractatus.*
- *Sophisticus, de materia apparẽter probabili: Crispos habet crines, ergo adulter est. De eo tractatus 10. & libri Elench. Aristot.*

} Inuentiua.

De

De propositione, materiali syllogismi principio.

PRopositio igitur est oratio affirmatiua uel negatiua alicuius de aliquo: hoc est, oratio in qua aliquid de aliquo aut affirmatur, aut negatur. Cuiusmodi sanè sunt propositiones in primis Categoricæ, quarum quidem hæc uniuersalis est, hæc particularis, illa uerò indefinita. Vniuersalis quidem, quæ aut omni, aut nulli inesse quippiam significat. Particularis uerò, quæ alicui, aut alicui non, aut non omni. Indefinita uerò, quæ inesse quidem, uel non inesse significat, sed absque uniuersalitatis particularitatisue notæ.

RAIIANVS.

Propositio igitur.) Propositio hîc finitur per affirmationem & negationẽ, quia hîc spectamus propositionem, vt pars est syllogismi, quem necesse est affirmatiuum aut negatiuum esse: nec hoc loco veritatem aut falsitatem anxiè obseruamus: at in libris de interpretatione, propositio finitur quatenus vera aut falsa est. Nec incommodum est genus finiri per species, quando nobis propriæ desunt differentiæ.

De terminis.

TErminos hac in parte Aristoteles primũ definit, in quos propositio resoluitur, ut prædicatũ, & de quo ipsum dicitur, quod proinde subiectum propositionis appellatur: ut huius propositionis, Omnis homo est animal, termini sunt, homo atq; animal, idcirco quòd in eos prin-

cipaliter ipsa resoluatur. Et termini quidem dicti sunt, ueluti in agro limites: nam ut his ager finitus designatur, ita terminis propositio (ut dictum est) perficitur. Cuiusmodi sunt simplices in primis, & significatiuæ uoces, inter quas præcipuæ habentur nomen & uerbum. Itaque in has propositio rectè resoluitur, ut ex quibus composita est. Fieri enim non potest, ut ulteriùs resolutio procedat, utpote in literas, aut in syllabas: quoniam hæ, ut alibi dictum est significatiuæ non sunt.

RAIIANVS.

Terminos.) Locus hic est apud Aristotelem primo cap. primi libri priorum. Aristoteles breuitatis studiosus, finitionem & diuisionem termini simul complexus est; terminorum enim alius subiectus, de quo aliquid dicitur: alius prædicatus, qui de alio dicitur.

Et termini quidem.) Terminus propositionis dictus est per translationem à limitibus agrorum: & ab eadem similitudine Aristoteles 4. cap. 1. lib. Topicorum, finitionem terminum vocat. Hunc terminum Ouidius lib. 2. Fast. eleganter describit:

Termine siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

De syllogismorum principijs regulatiuis.

CAeterùm ut ad rectam syllogismorum formationem connexionémq; nosse oportet, quid propositio, quid item termini, quæ ipsius syllogismi materialia principia sunt:

ſunt: ita quoque ſcire operæpretium eſt, quid ſit omni aut nulli ineſſe: ſiue in toto eſſe, & non eſſe, quæ regulatiua principia ſyllogiſmi à quibuſdam appellantur. Definitur igitur ab Ariſtotele in toto eſſe, ſiue de omni prædicari: quoties nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo non dicatur prædicatum: ut cùm ita proponitur, omnis homo eſt animal, ipſius hominis nihil inueniri poteſt, de quo non dicatur animal. Ergo quia de omni homine animal prædicatur, & de Socrate & Platone, imò uerò & de quolibet particulari homine prædicari poteſt. Ab eodem item definitur in toto non eſſe, ſiue de nullo prædicari, quoties nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo dicatur prædicatum, hoc eſt, à quo prædicatum non remoueatur: ut in hac propoſitione, nullus homo eſt lapis, quia de omni homine negatur lapis, & de Socrate & Platone, & de alijs item omnibus particularibus hominibus negatur. Sanè ſciendum quòd in toto eſſe, & dici de omni, uerſa uice ſe habēt. Nam ſi quid de omni aliquo prædicatur, id de quo illud prædicatur, in toto eo eſt quod prædicatur, ut de omni homine animal. In toto ergo animali homo eſt, ueluti pars quædam intra ſuum totum latens quodammodo. Hactenus de principijs ſyllogiſmi, tam materialibus, quàm regulatiuis: nunc ad ſyllogiſmum tranſeamus.

RAIIANVS.

Definitur.) Ex hac finitione dici de omni, ſumitur hæc regula: quicquid de ſubiecto quopiam dicitur, etiam de quolibet contento ſuo ſubiecto. Per hoc principiū confirmantur ſyllogiſmi affirmatiui.

Ab eodem.) Ex hac finitione dici de nullo, hæc regula colligitur: quicquid de ſubiecto aliquo dicitur, vt de nullo, remouetur etiam ab omni eo quod

ſub ſubiecto continetur, hoc principio confirmantur ſyllogiſmi negatiui.

De ſyllogiſmo quid ſit.

SYllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceßitate accidit, eò quòd hæc ſunt. Sanè hoc pacto ab Ariſtotele *ipſo definitur ſyllogiſmus, cuius definitioni* Boethius *adijcit particulam, & conceßis, ut ſit quaſi explanatio eius, quod* Ariſtoteles *dicit, poſitis, id quod coniunctio, &, innuere uidetur, quæ expoſitiua interdum coniunctio habetur.* Boethius *igitur uolens* Ariſtotelis *definitionem quodammodo explanare, ſyllogiſmum ita definit:* Syllogiſmus *eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis & conceßis, aliud quiddam præter ea quæ poſita & conceſſa ſunt, neceſſariò euenit, propter ea quæ poſita & conceſſa ſunt.* Porrò *per hoc quod ab utroque dicitur, aliud quiddam ex neceßitate accidit ab his, quæ poſita ſunt & conceſſa, ſignificatur nobis, planè eos non eſſe ſyllogiſmos, qui ab aliquibus fiunt, hoc modo:* Quicquid *homo eſt, homo eſt: homo autem eſt homo: igitur homo eſt homo.* Item, *omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt ſubſtantia.* Huiuſmodi *ſanè ſyllogiſmi ridiculi prorſus ſunt, ob id quòd in his concluſio non ſit aliud à præmißis.* Adiectum *præterea eſt & illud non temerè, eo quòd hæc ſunt, propter eos, qui plerunque ſyllogiſmos faciunt, in quibus aut minus, aut plus, aut aliud quippiam propoſitum eſt, quàm proponi debuerat.*

RAIIANVS.

Syllogiſmus eſt orat.) Huius finitionis hic eſt ſenſus: ſyllogiſmus eſt argumentatio, in qua ſi quædam

prop

propositiones concedantur,& in modo & figura di sponantur, consequitur conclusio, quæ est altera à præmissis, secundum formam, non secundum materiam, ex necessitate consequentiæ, non autem rei siue conclusionis. Particula, positis, non est sic intelligenda, concessis, etsi eam Gellius & Boethius addiderunt: nam sic syllogismus falsum assumens, & bene concludens non esset syllogismus, quia falsa non conceduntur. Aristoteles autem 1. cap. primi libri Topicorum docet, syllogismum assumentẽ falsum & bene concludentem esse syllogismum: eum autem qui verum assumit & malè colligit, non esse syllogismum.

De multiplici syllogismorum differentia.

Syllogismorum autem alius Categoricus est, alius hypotheticus. Et Categoricus quidem est, cuius utraque sumptarum propositionum, pariter conclusio Categorica est. Hypotheticus uerò, cuius uel altera tantùm, aut cõclusio hypothetica est. At de hoc postea proprio quodam tractatu. Rursus Categoricorum syllogismorum alius commu nis est, alius qui expositorius dicitur. Communis quidem est; cuius medium quod dicitur, est terminus communis. Expositorius uerò, cuius medius terminus est singularis: hoc nomine fortaßis dictus, quòd per ipsum quasi expositio designatióque fiat propositionum ad demonstrationẽ sumptarum. Ex Categoricis item, & his quidem qui cõmunes dicti sunt, alij sunt perfecti, alij imperfecti. Perfectus quidẽ syllogismus is dicitur, qui nullius alterius indiget, præter ea quæ posita sunt, ut appareat necessariũ, hoc est, ut cõclusio ex neceßitate sequatur. Imperfectus uerò qui

aut

aut unius, aut plurium indiget ad hoc, ut necessarium appareat ex his quæ posita sunt. Vnius quidem, uerbi causa, aut conuersionis tantum, aut præmissarum trãspositionis, aut reductionis ad impoßibile. Plurium uerò, cùm ex his tribus perficiendi syllogismi instrumentis duo necessariò requiruntur. Id autem quónam fiat pacto, postea, ubi de modis syllogisticis tractabitur, perpicuum euadet.

RAIIANVS.

Syllogismorum.) Prima diuisio syllogismorum quæ à diuersis propositionibus sumitur.

Rursus.) Secunda diuisio quæ à terminis pendet.

Ex categoticis.) Tertia diuisio quæ à figura syllogismi sumitur. Syllogismus tam perfectus quàm imperfectus recipit syllogismi finitionem, & conclusio necessariò sequitur: tamen id nõ est nobis manifestum in syllogismis secundæ & tertiæ figuræ, propterea indigent reductione, vt nos bene collegisse planum fiat.

GLAREANVS.

De multiplici syllogismorum differẽtia.) In hoc capite de quatuor principiis syllogismi perfectiuis tractat, quæ sunt: Expositio, conuersio, transpositio & reductio.

Aut reductionis.) Reducere syllogismum imperfectum ad perfectum, nihil aliud est, quàm manifestare necessitatem consequentiæ syllogismi nó euidentis, per necessitatem alterius syllogismi euidentis. Quare Aristoteles ait syllogismorum reductionem

nem fieri ad hoc, vt appareat necessarium, πρὸς τὸ φανῆναι τὸ ἀναγκαῖον.

Ex quibus & quot propositionibus syllogismus constet, & de terminorum secundum propositionem differentia, tum de triplici figurarum distinctione.

OMnis porrò syllogismus ut ex tribus terminis, ita ex tribus quoque constat propositionibus. Quarũ quidem prima, maior propositio, secunda minor, tertia conclusio appellatur. Maior item & minor communi nomine præmissæ quoque dicuntur. Cæterùm ex tribus terminis neutiquã tres propositiones fieri possunt, imò ne duæ quidem, nisi singuli bis sumantur. Ex his igitur, qui bis sumitur ante conclusionem, ipsam non ingrediens, medium dicitur, ut per quem extrema in conclusione connectuntur. Aliorũ autem alter maior extremitas, alter minor extremitas. Et maior quidem extremitas is terminus est, qui in maiori propositione cum medio sumptus, in cõclusione de minori extremitate prædicatur, Minor uerò, qui in minore propositione cum medio sumptus, maiori extremitati in conclusione subijcitur. Atque id quidem ita se habet in his syllogismis siue modis, qui directim concludere dignoscũtur, quos & ab Aristotele accepimus numero quatuordecim: quibus quinque indirectim concludentes Boethius autumat, uel à Thephrasto, uel ab Eudemo adiectos, atque ita in summa esse decem & nouem modos. Vt ergo definitiones illorum terminorum omnibus illis modis ex æquo conueniant, dicamus maiorem quidem extremitatẽ eum esse terminum, qui cũ medio in maiori sumitur propositione: minorem uerò, qui in minore. Cæterùm is terminus

minus qui bis sumitur ante conclusionem, & medium uocatur, siquidem subijcitur in una sumptarum propositionum, & in altera prædicatur, primam fecit figuram: si in utraque prædicatur, secundam: sin uerò in utraque subijcitur, tertiam.

RAIIANVS.

Omnis porrò.) Cum hoc loco pugnare videtur id quod Aristoteles docet 26. capi. primi libri priorum. Omnis, inquit, syllogismus constat ex duabus propositionibus & non pluribus. Hoc sic diluitur, Aristoteles sumpsit eo loco propositionẽ strictiùs, pro ea quæ conclusionem probat: & hoc sensu conclusio non est propositio. Hîc autem propositio latiùs sumitur, pro ea quæ actu vel potentia conclusionem probat.

Ex his igitur.) Terminus medius est neruus, vinculum, & (vt ita dicam) anima syllogismi, quo inuento facile est aliud ex alio colligere.

Indirectim concludentes.) Indirectim concludere est, quando minor extremitas de maiore in cõclusione dicitur. Directim concludere est quando terminus maior dicitur de minore.

Quid sit figura, & quot vnaquaque figura modos sub se contineat.

QVòd uerò tres sint syllogismorum figuræ, trium dispositio terminorum paulò antè facta plane indicare potest. Vnde & ita figura à nonnullis definitur: Figura est trium terminorum secundum debitam subiectionem prædicationémque ordinata dispositio. Harũ autem unaquæque plures, & hos quidem certos sub se modos habet,

bet, ita ut modi ipsi sub figuris sint, perinde atque species sub suis generibus. Habet igitur prima figura sub se, authore Aristotele, modos quatuor, tertia uerò sex. Sed ut paulò suprà meminimus, quatuor illis primæ figuræ modis adiecti sunt alij quinque, ut essent illius figuræ nouem modi. In summa igitur modi sunt (ut dictum est) undeuiginti, ex quibus omnibus priores quatuor primæ figuræ modi perfectos nobis subministrant syllogismos, reliqui omnes imperfectos.

RAIIANVS.

Figura est.) Figura in syllogismo est varia termini medij dispositio. Nã si terminus medius subiiciatur in maiore, & prædicetur in minore, prima constituitur figura, si bis prædicetur, secunda: si bis subiiciatur, tertia.

Perfectos.) Aristoteles duos tantùm perfectos modos constituit. Nam & reliqui omnes ad duos priores modos primæ figurę reducuntur. author Aristoteles 6. cap. primi libri priorum.

Quid sit modus: & de quibusdam regulis.

HInc iam ad modos ipsos paulatim ueniendum est. Vnde etiam quid sit modus definiendum priùs, tùm uerò & certæ quædam regulæ subijciendæ, quippe quæ modis omnibus generatim inseruire dignoscatur. Itaque modum hoc pacto definiunt quidam: Modus est ordinatio duarum propositionum in debita qualitate & quantitate. Potest quidẽ & ita definiri, & fortaßis rectiùs: Modus est tum sumptarum propositionum, tum ipsius cõclusionis secundum qualitatem & quantitatem cõueniens ordinatio.

Porrò

& artis uocabula appellari solent, ut alibi quoque annotauimus. Sciendum itaq; quòd post priores quatuor primæ figuræ modos, qui perfecti euidentésque sunt, quicunque ex sequentibus ab aliqua harum quatuor consonantium b,c,d,f, incipit, is reduci habet, ut euidens scilicet & ipse habeatur, ad eum ex illis quatuor superioribus modum, cum quo principali litera conuenit. Verumenimuero ut hæc ipsa reductio facilius percipiatur, adiunctæ sunt aliæ consonantes quatuor, c, m, p, s, quibus intelligi planè possit, quomodo reductio illa fieri debeat, utrum uidelicet alicuius propositionis conuersione, aut sumptarum propositionum transpositione, aut syllogismo ad impossibile ducente, qui conuersiuus à quibusdam esse creditur, id quod c litera ab his posita innuit: quemadmodum m præmissarum indicat transpositionem, p & s, propositionum conuersionem: p quidem, si per accidens conuertenda est propositio aliqua: s uerò si simpliciter. Porrò per quatuor uocales his consonantibus passim interpositas, quatuor propositionum genera accipere debemus, uidelicet per a uniuersalem affirmatiuam, per e uniuersalem negatiuam, per i particularem affirmatiuam, per o particularem negatiuam. Quibus iam expeditis modos tandem ipsos aggrediamur.

RAIIANVS.

Sciendum) Hæc vocabula etsi barbariem quandam redolere videntur, tamen rem totam ob oculos ponunt & apertiùs declarant,

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Canestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.
A, vniuersalis propositio affirmatiua.
E, vniuersalis propositio negatiua.
I, particularis propositio affirmatiua.
O, particularis propositio negatiua.

S litera in vocabulo artis posita, significat propositionem immediatè præcedentem, & per vocalem denotatam, esse simpliciter conuertendam, vt syllogismus reducatur. P denotat eandem propositionem per accidens esse conuertendam. Vnde versus:

Simpliciter verti vult S. P. verò per acci.

M, significat præmissarum transpositionem, hoc est, maioris in loco minoris, & contrà. C significat totum modum posse per impossibile reduci ad perfectum syllogismum. Hinc versus:

Simpliciter verti vult S, P verò per acci.

Reductio verò ad impossibile quomodo fiat ex his versibus constat:

Seruat maiorem, variátque secunda minorem:
Tertia maiorem variat, seruátque minorem.

His breuiter obseruatis ars nullo negotio percipit.

De modis primæ figuræ.

PRima igitur figura nouem habet modos, ut dictum est suprà: sed ex his priores quidem quatuor directim, sequentes uerò quinque indirectim concludere probantur. Sane directim concludere modus tunc dicitur, cùm maior extremitas de minore in conclusione prædicatur. Indirectim uerò contrà, cùm minor de maiore. His ita præmißis cognitisque, superest ut unumquemque modorum deinceps suo ordine definiamus. Itaque primus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus

mus ex duabus uniuersalibus affirmatiuis, uniuersalem affirmatiuam directim concludens. Termini *quidem sunt, animal substantia, homo: ut omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia.* Vocabulum *autem artis*, Barbara. *Secundus autem modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiori, & uniuersali affirmatiua minori, uniuersalem negatiuam directim concludens.* Termini *quidem sunt, animal, homo, lapis: ut nullum animal est lapis, omnis autem homo est animal, nullus igitur homo est lapis.* Vocabulum *autem artis*, Celarent. Tertius *modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali affirmatiua maiore, & particulari affirmatiua minore, particularem affirmatiuam directim concludens.* Termini *quidem sunt, animal, substantia, homo: ut omne animal est substantia, & quidam homo est animal: igitur quidam homo est substantia, & quidam homo est animal: igitur quidam homo est substantia.* Vocabulum *autem artis*, Darij. Quartus *modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiore, & particulari affirmatiua minore, particularem negatiuam directim concludens.* Termini *quidem sunt, animal, homo, lapis: ut nullum animal est lapis, quidam autem homo est animal, igitur quidam homo non est lapis.* Vocabulum *autem artis*, Ferio.

RAIIANVS.

Prima igitur.) Aristoteles vndecimo capite primi libri posteriorum, valde commendat hanc figuram: est enim accommodatissima ad scientiam pro

ducendam, propterea Mathematici hac maximè vtuntur. Sed cùm hæc prima figura perfecta sit, & omnia genera problematum colligat, duæ reliquæ superuacaneæ esse videntur. Hoc sic dissoluitur: Non ob id duæ figuræ sunt superuacaneæ: nam prima maximè & sola colligit vniuersalem affirmatiuam, secunda vniuersalem negatiuam, tertia particularem affirmatiuam & negatiuam.

GLAREANVS.

De modis primæ figuræ.) Notandum, nullam esse efficaciorem consequentiam modi, quàm Barbara, posteum Celarent, deinde Darij, ac Ferio. Hi enim quatuor modi, omnia quantitatis genera concludunt, Vniuersalem affirmatiuam, vniuersalem negatiuam, particularem affirmatiuam, particularem negatiuam: vt meritò omnes alij modi ad hos, tanquam ad arcem veritatis & efficaciæ, reducantur. Porrò, cùm in vnaquaque figura sint connexiones sexdecim, vt subscripta forma indicat, non valent tamen in prima vlli modi, pręter quatuor directè concludentes, & quinque indirectè; in secunda itidem quatuor, in tertia sex. Sed quod dictum est de sexdecim combinationibus, hoc ita colligitur: quia in omni syllogismo vel ambæ sunt vniuersales, vel ambæ particulares: vel maior vniuersalis, minor particularis: vel maior particularis, minor vniuersalis. Idque in quatuor angulis quadrifariam accidit; quia vel ambæ affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ: vel maior affirmatiua, minor negatiua, aut contrà. Id etiam in reliquis tribus angulis eodem modo.

Ambæ

Ambæ vniuersales,	Ambæ particulares.
A a	I i
E e	O o
A e	I i
E a	O i
Prior vniuersalis, posterior particularis.	Prior particularis, posterior vniuersalis.
A i	I a
E i	O e
A o	I e
E o	O a

Petrus Hispanus quatuor inuenit terminos Homo, Animal, Substantia, Lapis: per quos omnes cōficiuntur syllogismi. Affirmatiui quidem per hos tres, Homo, Animal, Substantia: negatiui verò loco substantiæ accipiunt Lapis extraneum tā homini quàm animali.

Sequuntur modi indirectim concludentes.

QVintus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex duabus uniuersalibus affirmatiuis, particularem affirmatiuam indirectim concludens. Termini quidem sunt animal, substantia, homo: ut omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur quædam substantia est homo. Vocabulum autem artis, Baralipton. Et reducitur hic modus ad primum huius figuræ modum, conclusione illius per accidens conuersa. Sextus modus est, in quo datis tribus terminis conficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiore, & uniuersali affirmatiua minore, uniuersalem negatiuam indirectim cōcludens. Termini quidem sunt, animal, homo, lapis: ut nullum animal est lapis, omnis autem homo est animal, nullus igitur lapis est homo. Vocabulum autem artis,

Celantes. Et reducitur hic modus ad secundum huius figuræ modum, conclusione conuersa simpliciter. Septimus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali affirmatiua maiori & particulari affirmatiua minori, particularem affirmatiuam indirectim concludens. Termini quidem sunt, animal, substantia, homo: ut omne animal est substantia, & quidam homo est animal, igitur quædam substantia est homo. Vocabulum autem artis, Dabitis. Et reducitur hic modus ad tertium huius figuræ modum, conclusione conuersa simpliciter. Octauus modus est, in quo datis tribus terminis conficitur syllogismus ex uniuersali affirmatiua maiore, & uniuersali negatiua minore, particularem negatiuam indirectim concludens. Termini quidem sunt, animal, substantia, lapis: ut omne animal est substantia, nullus autem lapis est animal, quædam igitur substantia non est lapis. Vocabulum autem artis, Fapesmo. Et reducitur hic modus ad quartum huius figuræ modum, maiore per accidens, & minore simpliciter conuersa, ac insuper præmissis transpositis. Nonus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex particulari affirmatiua maiore, & uniuersali negatiua minore, particularem negatiuam indirectim concludens. Termini quidem sunt, animal, substantia, lapis: ut quidam lapis est substantia, nullum autem animal est lapis, quædam igitur substãtia, non est animal. Vocabulum autem artis, Frisesomorum. Et reducitur hic quoque modus ad quartum huius figuræ modum, utraque præmissa simpliciter conuersa, insuperque transposita.

RAPIANVS.

Quintus modus.) In hoc capite sex modi enumeran-

merantur, qui indirectim colliguntur, quorum rarus apud bonos authores est vsus.

GLAREANVS.

De reductione ad impossibile.) Nota, quòd non potest dari certa regula de his quinque modis indirecte cócludentibus, quod ad reductionem per impossibile attinet. Quidam enim contradictorio cóclusionis pro maiore posito, cum maiore prioris syllogismi loco minoris posita, contrariam inferunt minoris conuersam: vt Baralip. & Fapesmo. Aut cótradictoriam conuersam, vt Dabitis. At verò Celantes & Frisesom conclusionis contradictorio pro minore propositione posito, cum minore prioris syllogismi loco maioris posita, contradictoriam maioris conuersam inferunt.

De modis secundæ figuræ.

Secunda uerò figura modos habet quatuor, quorum primus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiore, & uniuersali affirmatiua minore, uniuersalem negatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, lapis, animal, homo: ut nullus lapis est animal, omnis autem homo est animal, nullus igitur homo est lapis. Vocabulum autem artis, Cesare. Et reducitur hic modus ad secundum primæ figuræ modum, maiore simpliciter conuersa. Secundus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali affirmatiua maiore, & uniuersali negatiua minore, uniuersalem negatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, animal, homo, lapis: ut, omnis ho

mo est animal, nullus autem lapis est animal, nullus igitur lapis est homo. Vocabulum autem artis, Camestres. Et reducitur hic quoque modus ad secundum primæ figuræ modum, minore simpliciter conuersa, ac insuper præmissis transpositis. Tertius modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiori, & particulari affirmatiua minori particularem negatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, lapis, animal, homo: ut nullus lapis est animal, quidam autem homo est animal, igitur quidam homo non est lapis. Vocabulum autem artis, Festino. Et reducitur hic modus ad quartum primæ figuræ modum, maiore simpliciter conuersa. Quartus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex maiore uniuersali affirmatiua, & minore particulari negatiua, particularem negatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, homo, animal, lapis: ut omnis homo est animal, quidam autem lapis non est animal, quidam igitur lapis non est homo. Vocabulum autem artis, Baroco. Et reducitur hic modus ad primum primæ figuræ modum, syllogismo ad impoßibile ducente.

RAIIANVS.

Secunda verò.) Omnes syllogismi huius figuræ imperfecti sunt, & ad priores duos modos primæ figuræ reducũtur: vt Aristoteles disertè docet quinto capite primi libri priorum.

Et reducitur hic modus.) Baroco reducitur per impossibile ad barbara, sumendo contradictorium conclusionis pro minore in barbara, & inferendo contradictorium minoris, ex quo conficitur aut bonum

bonum esse syllogismum in baroco, aut duas condictorias simul esse veras. Id exemplo doceo: omnis homo est animal, quidam lapis non est animal, ergo quidam lapis non est homo. Sic reducitur: omnis homo est animal, omnis lapis est homo, ergo omnis lapis est animal. At concessum erat, quidam lapis non est animal, igitur duæ contradictoriæ simul veræ.

GLAREANVS.

De modis secundæ figuræ.) Hæc figura concludit solum negatiuè, propter regulam peculiarem secundæ figuræ, quæ ita sonat: Propositionibus vtrisque præmissis affirmatiuis, in secunda figura nihil sequitur. Vnde oportet & conclusionem esse negatiuam, propterea quòd conclusio semper sequitur deteriorem partem. Cæterùm in hac eadem figura, reducere ad impossibile, est ex contradictorio conclusionis cum maiore, inferre oppositum contradictorium minoris. In qua reductione maior immobilis manet, pro minore autem ponitur contradictoria.

De modis tertiæ figuræ.

Sequitur tertia figura, quæ modos sex habet. Primus ex his modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali affirmatiua maiori, & uniuersali negatiua minori, particularem affirmatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, homo, animal, substantia: ut, omnis homo est substantia, & omnis homo est animal, igitur quoddam animal est substantia. Vocabulum autem artis, Darapti. *Et reducitur hic modus ad tertium*

primæ figuræ modũ, minore per accidens conuersa. Secũdus modus est, in quo datis tribus terminis, cõficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiore, & uniuersali affirmatiua minore, particularẽ negatiuã directim cõcludens. Termini quidẽ sunt, homo, substãtia, lapis: ut, nullus homo est lapis, omnis autẽ homo est substãtia, igitur quædã substantia non est lapis. Vocabulum autem artis, Felapton. Et reducitur hic modus ad quartum primæ figuræ modum, minori conuersa per accidens. Tertius uero modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex particulari affirmatiua maiori, & uniuersali affirmatiua minori, particularẽ affirmatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, homo, animal, substantia: ut, quidã homo est substantia, & omnis homo est animal, igitur quoddam animal est substantia. Vocabulum autem artis, Disamis. Et reducitur hic modus ad tertium primæ figuræ modum, maiore pariter & conclusione cõuersa simpliciter, ac insuper præmissis transpositis. Quartus modus est, in quo datis tribus terminis, cõficitur syllogismus ex uniuersali affirmatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, particularem affirmatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, homo, substantia, animal: ut, omnis homo est substantia, & quidã homo est animal, igitur quoddam animal est substantia. Vocabulum autem artis est, Datisi. Et reducitur hic modus ad tertium primæ figuræ modum, minore conuersa simpliciter. Quintus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex particulari negatiua maiore, & uniuersali affirmatiua minore, particularem negatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, homo, animal, lapis: ut, quidam homo non

est

est lapis, omnis autem homo est animal, igitur quoddam animal non est lapis. Vocabulum autem artis, Bocardo. Et reducitur hic modus ad primum primæ figuræ modum, syllogismo ad impoßibile ducente. Sextus modus est, in quo datis tribus terminis, conficitur syllogismus ex uniuersali negatiua maiore, & particulari affirmatiua minore, particularem negatiuam directim concludens. Termini quidem sunt, homo, animal, lapis: ut, nullus homo est lapis, quidam autem homo est animal, igitur quoddam animal non est lapis. Vocabulum autem artis, Ferison. Et reducitur hic modus ad quartum primæ figuræ modum, minore simpliciter conuersa. Et de modis quidem hactenus.

RAIIANVS.

Sequitur tertia figura.) Huius figuræ etiã omnes syllogismi imperfecti sunt, & in prima figura comprobantur.

Et reducitur hic modus.) Bocardo per impossibile reducitur ad barbara, sumendo contradictoriam conclusionis pro maiore, & colligendo contradictoriam maioris. Sit hic syllogismus doctrinæ causa in bocardo, quidam homo nõ est lapis, omnis homo est animal: ergo quoddam animal non est lapis. Sic reducitur: omne animal est lapis, omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis. At priùs datum fuit, quidam homo non est lapis: quo fit vt duæ contradictoriæ sint simul veræ: hoc non est admittendum, ergo prior syllogismus erat bonus.

GLAREANVS.

De modis tertiæ figuræ.) Hæc figura vt est vltima, ita omnium imperfectißima, concludens solùm

ſolùm particulariter:& habet duplicem item reductionem, oſtenſiuam:& ad impoſsibile. In oſtenſiua reductione, minor vbique conuertitur. Quanquam in Diſamis maior, ſed quæ fit minor conuerſa. Reducere ad impoſsibile in tertia figura eſt ex contradictorio cõcluſionis, maioris loco poſito, cum minore, quæ manet immutata, inferre contradictorium maioris: præterquam in primis duobus modis, in quibus non contradictorium, ſed contrarium infertur.

De quibuſdam regulis ſpecialibus, tum quid commune omnibus cuiuslibet figuræ modis, & quid cuique figuræ proprium.

IGitur poſt definitos modos, præter iam dictas regulas, aliæ reſtant magis ſpeciales, nihilominùs ipſis modis inſeruientes, ut quæ, ueluti corollaria quædam, ex tribus expoſitis figuris eductæ uideri poßint. Quarum quidem prima eſt: In prioribus quatuor primæ figuræ modis, & in omnibus tertiæ, ſi minor fuerit negatiua, nihil ſequitur. Secunda: In prioribus quatuor primæ figuræ modis, & in omnibus ſecundæ, ſi maior fuerit particularis, nihil ſequitur. Tertia: In ſecunda figura oportet alterutram præmiſſarum eſſe negatiuam. Quarta: In tertia figura cõcluſio ſemper erit particularis. Sanè tum has, tum ſuperiores illas regulas Nicephorus, Græcus author, ut alia dicendi figura, ita & grauius & artificioſiùs complexus eſt: Commune eſt (inquit) omnibus ſyllogiſticis modis per tres diſpoſitas figuras, ut concluſio deteriorem ſequatur propoſitionem. Eſt autem deterior particularis uniuerſali, & abdicatiua aiente, hoc eſt, negatio affirmatione. Atqui proprium quidem primæ figuræ eſt, per modos

ſaltem

ſaltem directos, maiorem propoſitionem uniuerſalem eſſe, & minorem ſemper affirmatiuam. Secundæ uerò figuræ proprium eſt, maiorem propoſitionem uniuerſalē eſſe, minorem uerò diſsimilis ab illa qualitatis, & colligere cõcluſionem ſemper negatiuam. Tertiæ porrò figuræ proprium eſt, maiorem propoſitionem indifferentem eſſe, minorem uerò affirmatiuam ſemper, & colligere concluſionem ſemper particularem.

RAIIANVS.

Igitur poſt.) Profert quaſdam regulas ſpeciales, quæ triũ figurarum velut appendices quædam ſunt.

Quarum prima.) Non valet igitur hæc collectio: nullus lapis eſt animal: nullus homo eſt lapis, ergo nullus homo eſt animal.

Et in omnibus tertiæ.) Hæc collectio ob id non eſt firma: omnis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis, ergo quidam lapis eſt animal.

Secunda.) Ob hanc regulam hic ſyllogiſmus nõ valet: aliquod animal eſt homo, omnis equus eſt animal, ergo quidam equus eſt homo.

Et in omnibus ſecun.) Quare non valet hic ſyllogiſmus: aliquod animal non eſt rationale, omnis homo eſt rationalis, ergo aliquis homo nõ eſt animal.

Tertia.) Ratio huius regulæ eſt, quia ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura nihil ſequitur neceſſariò. Vt hæc eſt inepta collectio: omnis homo eſt animal, omnis equus eſt animal, ergo omnis equus eſt homo.

Quarta.) Hæc regula docet hanc non eſſe veram collectionem: omnis homo eſt rationalis, omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt rationale.

Comm

Communae est.) Omnes hæ regulæ, quæ ad finem huius capitis sequuntur, facilè ex vocabulis singularum figurarum intelliguntur.

De tribus instrumentis, quibus imperfecti syllogismi ad perfectos reducuntur, breuis commemoratio.

CVm sint autem tria (ut suprà diximus) instrumenta quibus imperfecti syllogismi ad perfectos reduci possunt: nempe Conuersio, præmissarum transpositio, & Syllogismus ad impoßibile ducens, de his paulò altiùs repetere hoc loco haud inutile fuerit, ne quicquam prætermittatur quod ad intellectum eorum quæ dicta sunt conferre utcunque poßit. Verumenimuerò quia de horum primo, ut de Conuersione, tractatu tertio satis (ut arbitror) à nobis est dictum: de reliquis duobus hinc restat tractãdum.

RAIIANVS.

Cùm sint.) Proponit tria instrumẽta, quibus omnes syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur.

Nempe conuersio.) Reductio per conuersionem vel præmissarum transpositionem, vocatur Aristoteli Reductio ostensiua.

GLAREANVS.

De tribus instrumentis.) Ad finem capitis quinti huius tractatus, tria posuit perfectiua principia syllogismi: sed in eodem capite etiam syllogismi expositorij mentionem fecit, quem hîc meritò etiã numerasset. Sunt igitur quatuor perfectiua syllogismi principia, conuersio præcipuum, expositio, transpositio, & reductio.

De

De transpositione præmissarum, & quot modis fiat.

TRansponuntur præmissæ, quoties ambæ locum mutãt, ita ut ex maiore minor, & ex minore uicißim maior fiat propositio: quod aliquando quidem contingit, alterutra, aut etiam utraque ex ipsis cõuersa. Quo sane modo idoneũ reductionis instrumentum habetur. Aliquãdo uerò absque alicuius cõuersione: uerùm hoc pacto haudquaquam inter instrumenta illa de quibus nunc loquimur, cõnumerari debet: quin potiùs aliam tum uim habet, nempe per quã in omni figura modi indirecti fieri posse probantur. Quo fit ut tot modi esse poßint indirectim cõcludentes, quot sunt qui directim concludunt. Cui quidem sententiæ illa Iacobi Fabri Stapulensis regula subscribit, Ad quascunque præmissas aliqua sequitur cõclusio, eadem ad easdem sequitur transpositas: id quod nunc exemplo tantùm probare liceat, sitq; hic syllogismus: Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. Huius nanq; syllogismi si præmissas trãsponas, ad easdem eadẽ continuò sequitur conclusio: ut, omnis homo est animal, & omne animal est substãtia, igitur omnis homo est substantia. Quod certè & in omnibus modis necessariò euenire etiamnum demonstrari posset: sed nũc non est hic locus.

RAIIANVS.

Transponuntur præmissæ.) Vt fit in Camestres, cùm reducitur ad Celarent. Nam maior in Camestres fit minor in Celarent.

Nempe per quam.) Vt sit hic syllogismus in Celarent: Nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis. transponendo præmissas

missas sine conuersione fit hic syllogismus, concludens indirectim: Omnis homo est animal, nullum animal est lapis, ergo nullus homo est lapis.

Huius nanque.) Nam in prima figura medium aliquãdo prædicatur in maiore, & subiicitur in minore. Author Trapezuntius.

GLAREANVS.

De trãspositione præmissarũ.) Quatuor sunt omninò modi, in quibus est hæc transpositio propositionum, Fapesmo; Frisesom, Camestres & Disamis, quorum priores duo concludunt indirectè, duo sequentes indirectè. Atqui hoc nunquam fit, nisi cum conuersione aut ambarum, vt in Fapesmo ac Frisesom: aut alterius præmissarum cum conclusione, vt in Camestres ac Disamis.

Ad quascunque præmissas aliqua sequitur.) Dicendum ad illam Stapulensis regulam, quòd nòn est verus syllogismus, sed regula prima antepraedicamentalis, quæ in essentialibus duntaxat valet: & est forma quartæ figurę, de qua dictum capi. huius Tractatus.

De syllogismo ad impossibile ducente.

PEr impoßibile uerò factus ostẽditur syllogismus, quoties contradictio ponitur conclusionis, & assumitur altera sumptarum propositionum nota pariter & confessa: ex quibus deinde, nempe posita & assumpta, colligitur syllogismus alteram ab assumpta concludens: quæ quia manifestè falsa deprehenditur (quippe cuius contradictoria uera per hypothesim extabat unà cũ assumpta) per eam alterutra perimenda uenit præmissarum: ut, exẽpli gratia, sit factus syllogismus in primo primæ figuræ modo:

modo: omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. Huius syllogismi si conclusio ipsa uel dubitetur, uel negetur prorsus, tunc sic contexo syllogismum ad imposibile ducentem: quidam homo non est substantia, omnis autem homo est animal, igitur quoddam animal non est substantia. Atqui hæc quoniam manifestè falsa est, sequitur alteram præmissarum falsam quoque esse, non minorem quidem, quoniam & ipsa in altero syllogismo uera ex hypothesi concessa fuit: ergo maiorem. Quare eius contradictoria quæ erat, omnis homo est substantia, uera est, & hæc nimirum conclusio prioris syllogismi erat, quod erat propositum. Vnde & ex hoc etiamnum error eorum manifestatur, qui per c literam superiùs inter artis literas positam, significari credentes syllogismum conuersiuum, eundem proinde illum existimare uidentur cum syllogismo ad imposibile ducente, cùm sint à se longè diuersi.

RAIIANVS.

Per imposſib.) Eſt itaque ſyllogiſmus ducens ad impoſsibile, cùm ex oppoſito concluſionis probandæ cum vna vera & conceſſa colligimus vnam propoſitionem perſpicuè falſam & impoſsibilem, à qua opponens regreditur ad concluſionem probandam. & ſic in omni ſyllogiſmo ducente ad impoſsibile tria ſunt neceſſaria; concluſio probanda, vt omnis homo eſt ſubſtantia: oppoſitum concluſionis, vt aliquis homo non eſt ſubſtantia: & id quod tanquam veriſsimum ſumitur, vt omne animal eſt ſubſtantia.

Sequitur alteram.) Quia falſa concluſio non

colligitur, nisi ex falsis præmissis.

Vnde ex.) Syllogismus conuersiuus partim conuenit cum syllogismo ducente ad incommodum, partim differt. Conueniunt inter se, quia ambo in omnibus fiunt figuris: differunt, quia in syllogismo conuersiuo damus, & fingimus syllogismum prius factum ab opponente: sed in syllogismo ducẽte ad incommodum, nullus præsupponitur syllogismus factus: vel (vt ait Philoponus) in syllogismo conuersiuo colligitur tam contrarium quàm contradictorium alicuius propositionis: sed in syllogismo ducente ad incommodum, contradictorium tantùm. Vide Aristotelem vndecimo cap. secundi libri priorum, quo loco legendus Philoponus.

GLAREANVS.

De syllogismo ad impossibile ducente.) Syllogismus ad impossibile ducens, inuentus est contra pertinaces, qui si nollent consequentiam syllogismi concedere, cùm tamen concederent præmissas esse veras, coguntur tamen hoc primum principium concedere: De quolibet est, vel non est, de nullo verò simul. Ergo sumendo contradictorium conclusionis negatæ, cum altera præmissarum concessa, infertur contradictiorum, vel nonnunquam contrarium alterius pręmissę etiam concessę, quod fuit ostęndendum.

Quòd præter prædictos modos alij omnes magna ex parte asyllogisti habeantur.

Insuper

INsuper & illud nunc, quantum quidem ad definitos modos attinet, adijciendum haud ab re puto, quòd quicunque modi contra prædictas syllogismorum formas sicue leges fiunt ordinanturq́;, omnes hi asyllogisti habentur. Si quidem hoc pacto contingeret in ipsa conclusione, primum ex tribus datis terminis interdum omni inesse postremo, interdum nulli: hoc est, ut planiùs intelligatur quod dictum est, ex tribus terminis, seruata eadem forma, conclusionem colligi nunc uniuersalem affirmatiuã, nunc uniuersalẽ negatiuam. Atq; id quidem est, quemadmodum & in prioribus Analyticis Aristoteles docet, dare terminos, in quibus omni, & in quibus nulli. At hoc ipsum nunc exemplis subiectis ostẽdamus. Constituatur itaq; syllogismus in prima figura, sintq́; termini, in quibus omni, id est, ubi primus omni postremo inest, animal, homo, equus, ut, omnis homo est animal, & nullus equus est homo, igitur omnis equus est animal. Alter rursus constituatur syllogismus, sintq́; termini, in quibus nulli, hoc est, ubi primus nulli inest postremo, animal, homo, lapis: ut, omnis homo est animal, nullus autem lapis est homo, igitur nullus lapis est animal. Et ut hoc iam in uniuersalibus ostẽsum est propositionibus, ita & in particularibus ostẽdere licet, particularẽ colligendo conclusionẽ, siquibus id ita placet. Ex quo manifestum euadit, huiusmodi datorum terminorũ contextum inutilem prorsus esse, id quod & in secunda & tertia figura simili ostendi potest: quanquam in tertia haud ita omni ex parte sese habet. Cæterùm ut huiusmodi terminorum facilis habeatur inuentio, hæc à quibusdam tradita regula est per disiunctionem: Accipiendi sunt tres termini, quorum tertius ad reliquos duos se habeat, ut genus ad species, quæ sub ipso cõtinentur, ut homo, equus,

animal: uel extraneus, hoc est, disparatus ad utrunque, ut homo, equus, lapis: uel utcunque superior ad illos sit, qui & de se inuicem prædicentur aut conuertibiliter, aut nõ. Conuertibiliter quidem, ut homo, risibile, substantia. Non conuertibiliter uerò, ut homo, animal, substantia.

RAIIANVS.

Insuper & illud.) Docet hoc capite Cæsarius omnes colligendi modos, præter prædictos, esse reijciendos & incollectiles.

Atque id.) Locus est apud Aristotelem quarto capite primi libri priorum. Dantur termini, in quibus omni, quãdo ex duabus propositionibus simul veris conclusio colligitur vniuersalis affirmatiua vera: & dantur termini, in quibus nulli, quando in eadem forma argumentandi ex duabus propositionibus veris infertur vniuersalis negatiua vera: quocirca duo contraria essent simul vera. Vt exempli gratia, in quatuor prioribus modis primæ figuræ, maiore vniuersali affirmatiua, minore vniuersali negatiua, nihil colligitur necessarió. Ratio Aristotelis est, quia dantur (vt vulgò loquimur) termini, in quibus omni & quibus nulli, hoc est, idem extremum omni subiecto verè inesset, & ab eodem verè remoueretur. termini, in quibus omni, animal, homo, equus, sic colligendo: Omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo omnis equus est animal. termini in quibus nulli, animal, homo, lapis, sic colligendo: Omnis homo est animal, nullus lapis est homo, ergo nullus lapis est animal. Innumera huiusmodi exempla sunt apud Aristotelem quarto, quinto, sexto capitibus primi libri priorum.

Quan

Quanquam in tertia.) In tertia figura concludendo vniuersaliter; non dantur termini, in quibus omni vel nulli: quia id nunquam contingit, nisi quando erratur in dispositione maioris vel minoris propositionis. In tertia autem figura quando cõcludimus vniuersaliter; est error in conclusione, non in antecedente.

In secunda) In secunda figura dantur termini, in quibus omni & quibus nulli. si maior sit particularis in quibus omni, vt animal, homo, equus: aliquod animal est equus, nullus homo est equus, ergo omnis homo est animal. Termini in quib. nulli, equus, animal, lapis: aliquod animal est equus, nullus lapis est equus, ergo nullus lapis est animal.

GLAREANVS.

Quod præter prædictos.) Modi syllogisti vocantur, in quibus est formalis consequentia: hoc est, in quibus conclusio semper vera est, siquidem præmissæ veræ fuerint, quibuscunque datis terminis: nec infertur contraria, vel contradictoria ex iisdem conclusio. Asyllogisti autem vocantur modi in quibus non est formalis consequentia, sed contingit vt dentur termini, in quibus non infertur vera conclusio, cùm tamen præmissæ sint veræ, imò sæpè contrariæ. Vt si quis ex meris particularib. sic constituat syllogismum: Quoddam animal est asinus, quidam homo est animal: inferri debebat, ergo quidam homo est asinus, cùm ea conclusio sit falsa: imò contradictoria eius est vera, Nullus homo est asinus. Quandocunque igitur in aliquo modo præmissis veris infertur aliquando vniuersalis affirmatiua ve-

ra, aliquando vniuersalis negatiua vera, is modus reiicitur, vt asyllogistus.

De Enthymemate.

Postremò autem & de reliquis tribus argumentationis speciebus tractandum hic est, id quod initio huius tractatus ita polliciti sumus: atque ex his primùm de Enthymemate dicendum. Enthymema itaque est (quemadmodum & ab Aristotele definitur) ex icotibus & signis imperfectus syllogismus. Ex icotibus quidem, hoc est, ex consentaneis & probabilibus: εἰκὸς enim Græcè præter alia, consentaneum quoque significat Latinis & probabile. Cuiusmodi illud est, Diligere quenque amantem se: & item illud, Omnem matrem suam diligere prolem. Ex signis autem, id est, ex necessarijs & probabilibus: ut est, Si quid cuilibet rei additum fuerit, totum maius efficietur. Definitur & sic: Enthymema est oratio, in qua non omnibus positis propositionibus, festinata infertur cõclusio. Itaque in Enthymemate altera semper deest propositio, uel propter breuitatem, uel propter notitiam prætermissa, quæ tamen mente interim eius qui ratiocinatur concipitur: ut, Omne animal est substantia, igitur omnis homo est substantia. Vnde & truncatus syllogismus à quibusdam dicitur. Hinc à Iuuenale Satyrico poëta dictum est de muliere impudica: Ne curtum sermone rotato Torqueat Enthymema. Rotato inquit, id est, celeri. Siquidem apud Græcos ἐνθύμημα cogitationem significat, qua certe nihil celerius.

RAIANVS.

De Enthymemate.) Argumentationis quatuor sunt formæ, Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemp

Exemplum. Cæsarius hoc capite finit Enthymema, argumentationem ex antecedente & consequente constitutam. Eius materia est plerunque probabilis: vt, Hic cum gladio sanguinario inuentus est, ergo hominem occidit. Dici non potest, quàm Aristotel. exactè examinauerit vim Enthymematis primo & secundo Rhetoricorum ad Theodecten. Initio primi libri inquit: οἱ δὲ περὶ ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως. Insectatur veteres Rhetores, qui nihil de Enthymemate dixerunt, quod est fundamentum probationis.

RAIIANVS.

De Enthymemate.) In iudiciis publicis plerunque Enthymemate vtuntur, & maiorē vt notam (nēpe plerunque legem) omittunt. Milo occidit Clodium, ergo debet mori. Maior est, lex Portia, Quicunque Romanum ciuem occidit, debet mori. Aliquando omittitur minor: vt, Omnis mater amat filium, ergo Cornelia amat Gracchum: omissa est minor, Cornelia est Gracchi mater, quia omnibus nota. Ex quo patet, in maiore vsu esse Enthymema, quàm syllogismum: quamuis Enthymema sit virtute syllogismus: vt, Socrates currit, ergo Socrates mouetur: omissa est maior, Quicquid currit, mouetur.

De Inductione.

INductio, quæ Græcis ἐπαγωγὴ, siue, ut uult Cicero, παραγωγὴ dicitur, hoc pacto definitur: Inductio est oratio, per quam à singularibus ad uniuersale fit progreßio. Sanè per singularia hoc loco intelligere debemus non solùm ea quæ simpliciter talia sunt, ut indiuidua & numero differentia, uerùm etiam minùs communia respectu ipsius

uniuersalis, quod ex ipsis per inductionem colligitur: ab his enim plerúnque uniuersale conflatur colligitúrque. Vt si quis uelit ostendere omnem numerum esse duorũ iuxta se positorũ medium, id inductione probauerit: quoniã ternarius medius est binarij & quaternarij, & quaternarius itẽ ternarij & quinarij, & ita deinceps: igitur omnis numerus est duorũ iuxta se positorum medius. Eodẽ modo, si probãdum nobis fuerit, quòd omnis uirtus moralis in mediocritate cõsistit, dicemus hoc pacto: Fortitudo in mediocritate consistit, nempe inter audaciam & timiditatem: & liberalitas, ut inter auaritiam & prodigalitatem: temperantia item & iustitia: omnis igitur uirtus moralis in mediocritate consistit. Vnde & inductio hanc præcipuè uim habere putatur, ut per eam de principijs scientiarum aliquoties disputare contingat. Neque uerò cùm inductione utimur, opus erit semper adijcere particulam, & sic de alijs, ut Sophistæ solent. Quandoquidem id inducenti iam compertum esse debet, cætera similia esse his quæ sumpta. Nam si Aristoteli credimus, qui singularium ignorat similitudinem, is non facilè inducet.

RAIIANVS.

De inductione.) Aristoteles 10. cap. 1. lib. Topicorum duplicem differentiam inter syllogismum & inductionem constituit. Primùm, quia inductio secundum sensum est notior & pluribus communis, syllogismus verò secundum intellectum. Secundò, inductio est accommodatissima rudioribus, syllogismus autem contra proteruos efficacior.

Vt sunt indiuidua.) Hæc sunt diligenter in inductione enumeranda, ne non plenam conficiamus inductionem: aut sub hac particula, & sic de aliis,

complectenda. Est autem hæc via à natura profecta: prima enim ratio discendi est à singularibus.

Vnde &c.) Præcipua vtilitas inductionis est, quia per eam artium principia (si negẽtur) tanquam per nobis notiora probantur. In quam rem insignis est locus apud Aristot. 7. cap. 1. libri Ethicorum.

GLAREANVS.

Inductio est oratio, per quam à singularibus.) In inductione requiruntur tria, primùm, vt fiat argumentatio à singularibus sufficienter enumeratis. Inde non sequitur, Socrates currit, Plato currit, ergo omnis homo currit. Secundò, vt sit argumentatio à singularibus ad proprium vniuersale. Quare nõ sequitur, Socrates currit, Plato currit, atq; ita in aliis, ergo omnis equus currit. Tertium, vt sit proximum vniuersale. Quare non sequitur, Socrates currit, Plato currit, atque ita in aliis, ergo omne animal currit. Laurentius Valla lib. 1. de Dialecti. cap. vltimo, ridet hoc totum ab Aristotele & à Boëtio traditũ. Ipse enim tria inductioni adesse debere asserit: Interrogationẽ, similium appositionem, & probationem: motus Quintiliani authoritate magis quàm vel Aristotelis, vel Ciceronis, vel Boëtij. Qui velit, sequatur.

Nam si Aristoteli credimus.) Vide quid faciat reprehensionis studium. Dum Cæsarius sophistas, vt putat, cõfutare conatur, ipsum carpit Aristotelem. Aristoteles enim inquit, Oportet autem intelligere, minorem extremitatem ex omnibus singularibus cõpositam. ipsa enim inductio per omnia erit.

De exemplo.

Exemplum, quod à Græcis παράδειγμα dicitur, ita definiunt: Exemplum est cum ex multorum collecta particularitate aliud quiddam particulare ostenditur: ut siquis probare uelit, rectores nõ esse sorte dandos reb.publicis: quoniam neque nauibus, neque curribus morandis sorte præponuntur rectores, sed qui arte & experimentis plurimum ualent. Sunt qui ita definiant: Exemplum est, quoties unum particulare per aliud probatur, propter simile quod in utroque conspicitur: ut, si malum est Græcos cum Troianis belligerari, malum quoque est Lacedæmonios cum Atheniensibus armis decertare.

RAIIANVS.

De exemplo.) Exemplum est, vt vulgò finimus, cum à particulari ad particulare decurrit oratio: vt, malum est Athenienses bellum gerere cùm Lacedæmonijs: ergo malum est Phocenses bellum gerere cum Thebanis.

Aliud quiddam.) Differt itaque exemplum ab inductione, quia vt in exemplo ex vno particulari vel pluribus colligimus aliud particulare: sic in inductione ex pluribus particularibus colligimus vnum vniuersale.

IN TRACTATVM SEXTVM PRAEFATIO.





Post hæc tractatum de syllogismo hypothetico aggressurus, illud præfari in animo cõstitui, quòd tametsi de modalibus simul & hypotheticis propositionibus tractatus à nobis institutus est, nẽpe quartus: id tamẽ haud ita uisum est in eo facere tractatu, in quo de syllogismo hypothetico tractabitur, ut etiã de syllogismo ex modalibus in eodem tractetur, imò nec alibi usquam in his tractatibus: non ob eam solam causam, quòd nouitij adhuc huius artis tyrones nimium alioqui grauarentur, sed quòd illorum syllogismorum qui ex modalibus constituuntur, non admodum frequens usus sit, ut etiam suprà notauimus. Accedit quòd præter unum Aristotelem nullus alius (quod scire potuerim) de huiusmodi ex modalibus syllogismis quicquam scriptum reliquerit, nisi quantum Boetius in his laborauerit, idque tamen magis Aristotelem ipsum exponẽdo, quàm institutum probando. In qua etiam sententia Iacobum Fabrum Stapulẽsem esse uideo, uirum profectò in omnibus disciplinis exercitatissimum: unde & non parua mihi subit admiratio de Aristotele ipso, cur in re nõ tam necessaria etiam plus satis operosus fuerit, nisi quòd in hac præsertim arte ingenium suum ostentare omnino uoluit uir ille, in omnibus alioqui disciplinis admirandus. Quapropter multi etiam tam Græci quàm Latini hoc animaduertentes, per compẽdia

de

de hac arte scribere maluerunt, ne in hac discenda apud Aristotelem opus esset toties noctésque diésque insomnes ducere, absque magno etiam fructu. Nō tamen negauerim hanc unam artem necessariam admodum esse, ideoque inuentam à maioribus nostris, ut sine qua error in studijs plerunque committeretur, qui cùm alibi, tum hîc maximè cauendus est: quippe quòd hæc sola rerum rationes inuestigare doceat, atque de his ipsis disputare poßit. Itaque qui in hac errauerit, uix in alijs erroris periculum euitare poterit. Nanque (ut Aurelius Augustinus author est) hæc sola docet docere, docet discere, in hac seipsam ratio demōstrat atque aperit, quæ sit, quid uelit, & quid ualeat: sola item scientes non solū facere uult, sed etiā potest. Hæc ille: at nos hinc ad hypotheticos syllogismos transeamus.

RAIIANVS.

In tractatum sextū.) hic tractatus vtilis, & pernecessarius est: etiam ad grauiores disciplinas facilius intelligēdas. In his enim identidē syllogismorū conditionalium mentio incurrit. Quocirca hic tractatus studiosè & attentè legendus est.

Non ob eam.) Profert aliquot causas, cur de syllogismo modali scripturus non erat.

GLAREANVS.

In tractatum VI.) In quarto tractatu de duabus propositionibus, nēpe Hypothetica ac Modali scripsit: verum hîc de syllogismo hypothetico scripturus, nequaquam adnectet vel hîc, vel vspiam alibi, de syllogismo ex modalibus tractationem, cuius duplicem causam esse ait: tum difficultatem magnam, tum vtilitatem oppidò paruam. Tandem præfationem concludit Dialecticæ laudibus.

De

De syllogismo hypothetico, quid sit.

SYllogismus igitur hypotheticus (ut à Martiano Capella definitur) is est, cuius propositio & plenum argumentum, & plenum item id de quo quæstio est, continet, ita ut assumpto argumento iā certum inferri poßit de quo quæstio erat: ut sit exempli causa quæstio, utrum Rhetorica sit utilis. Itaque uolentes eam utilem probare argumētum protinus ab eius definitione commodè capere possunt, quæ quidem est bene dicendi sciētia. Ex hac deinde, ut argumento sumpto, & quæstione proposita, syllogismus hypotheticus ad hunc modum contexitur: Si Rhetorica bene dicendi scientia est, utilis est: est autem Rhetorica bene dicendi scientia: Rhetorica igitur utilis est. In hac sanè oratione cùm prius proponitur: Si Rhetorica bene dicendi scientia est, utilis est: ac deinde assumitur, Est autem Rhetorica bene dicendi scientia: tum qui hæc duo concesserit, propositionem inquam & assumptionē, is uel inuitus concedat oportet, Rhetoricam utilem esse, id quod in quæstione propositum erat, quod tantisper dubiū erat donec & propositio & assumptio concederetur.

RAIIANVS.

Syllogismus igitur.) Vel sic facilius finiri potest, syllogismus hypotheticus est, cuius vel altera tantū, vel propositio vel conclusio hypothetica est.

Cuius propositio.) Hoc est, antecedens.

Plenum argument.) Hoc est probationem plenā.

Si Rhetorica.) Hic syllogismus est in primo modo syllogismorum conditionalium: assumitur enim antecedens, vt assumatur consequens.

Ex

Ex quibus constet syllogismus hypotheticus, & quantum ei conferat syllogismus categoricus.

CAeterùm ut Categoricus syllogismus in propositiones resoluitur, ut ex quibus cõstituitur, & propositiones rursus in terminos, neque ulterius resolutio procedit in his: ita hypothetici syllogismi in categoricos resolutiò fit: quippe quòd ex his ipse, ut ex simplicib. constet compositus: cùm præsertim prima eius propositio uim consequẽtiæ ex simplicibus (hoc est, categoricis) capiat syllogismis. Prima nanque hypothetici syllog. propositio, si dubitatur an uera sit, prædicatiua demõstrabitur conclusione, hoc est, syllogismo prædicatiuo. Assumptio porrò, quæ secũda huiuscemodi syllogismi pars est, in pluribus modis prædicatiua esse perspicitur, itémque conclusio, ueluti cùm dicimus: Si Rhetorica bene dicendi scientia est, utilis est: at qui Rhetorica bene dicendi scientia est, hîc assumptio prædicatiua, item categorica est, si quæratur, hoc est, in dubitationem trahatur, ipsa quoque prædicatiuo probabitur syllogismo. Hinc si demum inferatur, Rhetorica igitur utilis est, & hæc ipsa prædicatiua est atque facti syllogismi conclusio: utpote quæ ad assumptionem probatã necessariò cõsequitur. Nam si Rhetorica bene dicẽdi scientia est, cur non & utilis ipsa erit? Præterea si hypothetica propositio ex categoricis iungitur: & ex his fidem capit, simul & ordinẽ partium consequitur: necesse est categoricos syllogismos hypothetico uim conclusionis administrare.

RAIIANVS.

Cæterum) Inquirit elementa & principia syllogismi conditionalis.

Ne

Neq; vlterius.) Resolutio quidem vlterius procedit, sed in syllabas, quæ ad dialecticum non pertinent.

Ipsa quoque.) Id hoc modo fiet: omnis ars inueniendi, disponendi, eloquēdi, est bene dicendi scientia, Rhetorica est huiusmodi, ergo est bene dicendi scientia.

Prætereà.) Ratio probans à simili syllogismū hypotheticum vim suam à categorico sumere.

GLAREANVS.

Ex quibus cōstet syllogismus, &c.) Cicero libro primo de Inuentione, vbi de ratiocinatione disserit, & syllogismi partes tractat, vocabula subinde confundens, & syllogismū ratiocinationem appellans, tale exemplum subnectit.

Propositio. { Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur. } Maior.

Approbatio multiplex. { Domus ea quæ ratione regitur, omnib. instructior est reb. & apparatior, quàm ea quæ temerè & nullo cōsilio administratur. Exercitus is cui præpositus est sapiens & callidus imperator, omnibus partibus cōmodius regitur quàm is qui stultitia & temeritate alicuius administratur. Eadem nauigij ratio est: nā nauis optimè cursum conficit ea quæ sciētisimo gubernatore vtitur. }

Assumptio. { Nihil autem omnium rerū melius quā omnis mūdus administratur. } Minor.

Appro

Approbatio multiplex.	Signorum ortus & obitus definitũ quẽdam ordinem seruant. Annuæ commutationes per partes quatuor ternis mensibus pulcherrimę fiunt. Dies & nox per horas secundũ solis cursum optimè procedunt:	
Conclusio.	Consilio igitur mundus administratur.	Conclusio.

De partibus syllogismorum, siue ex quot partibus syllogismi constent.

SYllogismos autem tam categoricos quàm hypotheticos alij quinque, alij quatuor, alij tribus, constare partibus arbitrantur: quorũ controuersiam Boëtius *ad hunc modum dijudicat atque discernit: quoniam omnis (inquit) syllogismus ex propositionibus texitur, prima uel propositio, uel sumptum uocatur: secunda uerò assumptum siue assumptio dicitur. Ex his quæ tertia infertur, conclusio nũcupatur, ut cùm dicimus: Si homo est, animal est: homo autem est, animal igitur est: ea quidem enunciatio, per quam dicimus, Si homo est, animal est, propositio uel sumptũ uocatur: ea uerò quam huic adiunximus, quæ quidem erat, Est autem homo, assumptio siue assumptum dicitur. Tertia autem ab his conclusio appellatur, ut per quam ostendimus animal esse, si homo fuerit. Eadem sanè & in categorico syllogismo ipsarum partium & ratio est & ordo. Sed quoniã sæpè euenit, ut propositio ipsa nõ sit uerisimilis, ei tũ adiungitur approbatio, per quam id quod propositũ est, uerũ esse mõstratur. Assumptio quoq; sæpenumerò ad fidẽ per se nõ uidetur satis idonea, idcirco huic quoque probationis iuuamen adiũgitur, ut uera esse intelligatur.*

tur. Quo fit ut sæpè quinque partes, sæpè quatuor, interdum tres solùm ipsos syllogismos habere contingat. In qua quidem sententia M. Tull. esse deprehenditur, qui in Rhetoricis syllogismos quosdam quinque partitos, quadripartitos alios, & nonnullos tripartitos esse confirmat. At verò quibus ipsorum syllogismorum non placet partes ultra ternarium numerum propagari, hi propositionum atque assumptionum probationes non putant inter syllogismi partes ponendas esse, sed potiùs illarum, cùm dubiæ sunt, fulcimenta quædam haberi. Quorum sanè iudicio atque sententiæ Boëtius ipse manibus pedibúsque accedit: Vnde nostra (inquit) sententia his potiùs accedit, qui tribus partibus syllogismum constare dicunt.

RAIIANVS.

Syllogismos autem.) Quemadmodum in syllogismo conditionali prima pars dicitur propositio, secunda assumptio, tertia conclusio: ita in syllogismo categorico prima pars dicitur maior, secunda minor, tertia conclusio.

Sed quoniam.) Hunc locum Quintilianus decimoquarto cap. quinti libri his verbis expresit: Cic. maximè quinque defendit, vt sit propositio, deinde ratio eius, tum assumptio, & eius probatio, quinta complexio. Quia verò interim & propositio non egeat rationis, & assumptio probationis, nonnunquam etiam complectionis, non opus sit quadripartitam & bipartitam fieri ratiocinationem: mihi à plurimis authoribus tres ad summum videntur. Et sic ex sententia oratorum syllogismus aliquando quinque, aliquando quatuor habet partes: sed ex sen

tentia philosophorum, qui concisa vtuntur oratione, syllogismus tantùm tribus partibus constat.

GLAREANVS.

De partibus syllogismorum) Apud Aristotelem hoc ambiguum non fuit, qui tres syllogismi partes per omnes omnium figurarum modos ponit: sed apud Romanos vtique dubium fuit, quot partes haberet syllogismus, vt videre est apud Ciceronem libr. 1. de Inuent. Et author Rhetorices ad Herennium syllogismi veram vim, quam habent tres propositiones, non intellexit: vt satis claret ex libri secundi exemplis, in quibus nulla est syllogismi veri ratio, vt acutè discutienti patet: Propositio, ratio, rationis confirmatio, exornatio, complexio. Cicero autem, propositio, approbatio, assumptio, approbatio siue iuuamen, conclusio.

Quo fit vt sæpè quinque, &c.) Si quis quærat quare Aristoteles duarum præmissarum approbationem non etiam syllogismi partes facit. Quia ad inferendam conclusionem satis supérque sunt duæ præmissæ: & definitio syllogismi non requirit nisi duas præmissas. Quare autem, inquies, Cicero posuit? Ad disputantium vtilitatem, qui iuuantur, si priores declarentur ac probentur propositiones. Cæterùm ad illationem prorsus nihil faciunt, cùm ipsæ sæpè sint vel ἐνθυμήματα, vel integri syllogismi.

De modis ex hypotheticis propositionibus.

His itaque præmißis, consequens est, ut ad modos hypotheticorum syllogismorum transeamus, quos certè quantum

quantum hìc eos definire liceat, dicere possumus ipsorum syllogismorum formas, & ueluti præscriptas leges. Sciendum autem, quòd tametsi innumeri propemodum huiuscemodi modi sint, qui ex hypotheticis conficiantur propositionibus, ut de quib. Seuerinus Boëtius latißimè disputat duobus libris: nos tamen ex his paucos deligere statuimus, propterea quòd eorum usus non parum frequens habeatur. De reliquis autem admonuisse tantùm sat erit, ut si cui cognoscendi eos cupido incesserit, is Boëtium ipsum in primis adeat. Sed nunc ex his primum definiamus.

RAIIANVS.

His itaque præmissis) Hoc capite Cæsarius docet quemadmodum categoricorum syllogismorum modi leges quædam sunt, quibus syllogismi probantur: sic hi septem modi sunt veluti leges & regulæ, quibus syllogismos conditionales bonos esse ostendimus.

Primus modus.

PRimus igitur modus est, cum in conditionali propositione, assumpto eo quod præcedit, ostendimus id quod sequitur, ita necessariò esse, ut est in connexione propositum: ut si homo est, animal est: atqui homo est: animal igitur est. Hic antecedens, homo est, proponitur ueluti dubium, cùm dicitur, Si homo est: assumitur deinde idem ut argumentum, cùm absque conditione repetitur: atqui homo est. Ad quod demum necessariò sequitur animal esse, quemadmodum erat propositum. Quòd si parte ex altera annexum siue consequens assumamus, atque dicamus, est autem animal, haudquaquam de neceßitate euenit homi-

nem idcirco esse. Inueniũtur autem certi termini, in quib. peræquè ualet assumptio, siue præcedens, siue subsequens assumatur, ut in homine atque risibili. Nam ut rectè sequitur, Si homo est, risibile est: ita rectè quoque sequitur, si assumatur hoc modo: Atqui risibile est, igitur homo est. Sed in his hæc est consequentiæ causa, quia homo & risibile æqui sunt termini, atque idcirco uno posito, alterum comitari est necesse. Verùm quia hoc in omnibus non ita se habet, idcirco non recipitur ut firmum & stabile, sed magis improbatur, ut incertum & minimè constans.

RAIIANVS.

Primus igitur) In hoc primo modo colligimus à positione antecedentis ad positionem consequentis: vt si iustitia est, virtus est: atqui iustitia est: ergo virtus est. Quid hoc loco sit antecedens, quid consequens, dictum est suprà à nobis. Ponere hoc loco est affirmare, tollere negare.

Inueniuntur autem) In terminis æquis & recurrentib. possumus vtroque modo & antecedens & consequens assumere, sed hæ formæ colligendi terminorum tantùm gratia validæ sunt.

GLAREANVS.

Primus modus) Georgius Trapezontius ita ait: Primus modus est, cùm primum assumitur (id est, antecedens pro minore sumitur) vt annexum concludatur, id est, consequens fiat conclusio. Tractat autem & Cicero hos modos in Topicis, & Boëtius lib. 5. in commentario super eundem Ciceronem. Dialectici nostri ita aiunt: Argumentando à tota

condi

conditionali, cum positione antecedentis, ad positionem consequentis, est bona consequentia: vt, Socrates currit, Socrates mouetur; sed Socrates currit, ergo Socrates mouetur.

Secundus modus.

Secundus uerò modus est, cùm in conditionali, opposito consequentis assumpto, aufertur id quod antecesserat, hoc modo: Si homo est, animal est: non est autem animal: igitur homo non est. Quòd si contrà hominem esse negemus, non tollitur proinde quod connexum est: ut si dicamus, non est autem homo, non iam continuò sequitur, animal non esse, atque idcirco hic modus à consequentib. appellatur: quemadmodum qui hunc præcedit ab antecedentibus dicitur. Quare & hi duo modi à recentioribus ita distinguuntur, ut prior quidem dicatur à positione antecedentis: sequens uerò à destructione consequentis. Cæterùm ut utroque modo ex datæ conditionalis partibus affirmatiuis firma ubique sententia probatur, id quod paulò suprà exemplis adhibitis ostensum est: ita eadem consequentiæ uis erit, si negatiuæ eius partes fuerint: ut, si animal non est, homo non est: non est autem animal, igitur homo non est. Item, si animal non est, homo non est: atqui homo est, animal igitur est.

RAIIANVS.

Secundus verò modus) In hoc secundo modo colligimus ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Est autem oppositum consequentis contradictorium consequentis: vt si consequens sit negatiuum, affirmetur: si affirmatiuum, negetur: vt

ſi dies eſt, nox non eſt: atqui nox eſt, ergo dies non eſt. Si liberalitas eſt, & virtus eſt: atqui virtus non eſt, ergo liberalitas non eſt.

Atque idcirco) Huius loci ratio eſt, quia ſi ad poſitionem antecedentis ſequitur poſitio cõſequentis: oportet oppoſitum conſequentis inferre oppoſitum antecedentis. Principium enim dialecticum eſt, oppoſitum conſequentis non poſſe cohærere cũ antecedente. Vt quia hæc eſt ratæ fidei conſequentia, ſi felicitas operatio animi eſt, neceſſariò conſequitur, non eſt operatio animi, ergo non eſt felicitas. Operationem enim animæ non eſſe, & felicitatem eſſe, fieri non poteſt.

De quadam argumentatione contra ſecundi modi regulam facta, ex Themiſtio.

HIc iam obijciet aliquis fortaßis nobis Ariſtotelem ipſum, qui in procemio libri de Anima, tali cõtra præſcriptum ſecundi modi formam (ut uidetur) uſus eſt argumentatione: Si quod eſt animæ (inquiens) proprium opus, poteſt contingere ut ipſa à corpore ſeorſum ſit: ſi uerò nullum eſt opus animæ proprium, contingere non poteſt ut à corpore ſeorſum maneat, ſubſiſtátue. Sanè hanc argumentationem ſunt qui ob id calumnientur, reprehendántque ceu minùs firmam, minúſque dignam tanto philoſopho. Calumnia autem huiuſmodi eſt: Oportebat, inquiunt, accepto conſequentis oppoſito, ita tollere demolirique antecedens: at hic contrarius ordo ſeruatur. Verùm hanc calumniam (ſi qua tamen dici meretur) Themiſtius haud dubiè nobilißimus Peripateticus ſubtilißimè diſſoluit ac diluit: Vnde quicunque, ait, tam malè animati ſunt,

ut hæc quæ in dialectica atque in exercitio argutiarum iactata, & prompta omnibus sunt, ignorasse Aristotelem putent, hi planè ignorantißimi uidentur. Nanque uerbum illud, Potest contingere (quo quidem Aristoteles in sua oratione utitur) non necessariam, sed poßibilem & contingentem connexionem habet: in quo genere non oportet, abolito consequente, aboleatur & antecedens: id quod omnino ita euenit, quoties necessaria connexio est. Sed hic in contrarium obseruatio est, ut scilicet abolitio antecedentis aboleat consequens. Cui rei causam idem author huiusmodi affert: semper enim (inquit) id quod contingenter sequitur, tanquam pars sit antecedentis: proptereà quod quandoque accidit, quandoque non accidit. Ita qui antecedēs interemit, totum interemit. Toto autem sublato, consequens est parti quoque abolitionem afferri. Hinc & ab eodem authore aliud haud dißimile proponitur exemplum, quod tale est: Si animal est, quod procul ad nos accedit, potest contingere ut sit equus: igitur si animal non est, neque ut equus sit contingere potest. Quò fit ut inscitiæ potiùs illi arguendi sint, qui talem argumentandi formam, ut minùs sanam cauillantur: & non Aristoteles ipse, qui rectißimè ita argumentatus est. Hæc ita ex Themistio, quem Hermolaus Barbarus ætate nostra latinitate donauit, uir utique impensè eruditus.

RAIIANVS.

His iam obiiciet) Cæsarius hoc loco grauem ponit quæstionem, quæ contra hunc secundum modum exoritur. Huius autem hæc est solutio: Quando consequens est, siue contingens, siue posibile, tunc possumus in secundo modo colligere à destru

ctione antecedentis ad destructionem consequentis. Adde etiam, id verum esse, quando termini æqui sunt. Quod ad veritatem quæstionis attinet, intelligere est propria animæ operatio, & sic assumptio est neganda. Huius loci à nobis facta est mentio in primo libro Auscultatoriorum cap. 3. & in scholiis primi libri de Anima, capite primo.

Oportebat, inquiunt) Nam in secundo modo argumentandum est ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis: Aristoteles autem 1. cap. 1. libri de Anima, ex opposito antecedentis ad oppositum consequentis est ratiocinatus.

GLAREANVS.

Si quod est animæ (inquiens) proprium opus) Vt lector sciat quare Aristoteles hæc verba dixerit: notandum, apud eum non admodum certum fuisse, quod nos diuino oraculo edocti, piè & inconcussè credimus, animam esse immortalem: sed cum dubitatione illum hoc dixisse: Si anima operationem habuerit propriam, postquam separata à corpore fuerit, illam vtique subsistere posse: sin minùs, non posse. Nempe operari præsupponit esse: neque enim quicquam operatur, quod non est. Quare si anima operetur absque corpore, etiá subsistet absq; corpore. Sed si non habebit operationē propriam, nō subsistet separata à corpore. Frustra enim esset eius esse, cuius nulla est operatio: nec vllum tale ens est in natura quod non habeat aliquá operationem. Quare & si esse priùs quidem est operatione secundum naturam, nō tamē inuenitur absque operatione. Quare possunt hæc conuerti, operari & esse. Ideóque Ari

stotel

stotelis argumentatio non est in hoc modo, nisi gratia terminorum, quod & in priore modo dictum est de homine & risibili. Item his modis prima propositio conditionalis est, subsumptio verò & conclusio assertiuè: sed in argumento Aristotelis duæ sunt conditionales.

Aristotelis uerba lib. 1. περὶ τῆς ψυχῆς,

Εἰ μὲν οὖν ἐστί τι τῶν τῆς ψυχῆς ἔργων, ἢ παθημάτων ἴδιον, ἐνδέχοιτ' ἂν αὐτὴν χωρίζεσθαι· εἰ δὲ μηδέν ἐστιν ἴδιον αὐτῆς, οὐκ ἂν εἴη χωριστή. Id est. Si quid animæ operum, vel passionum proprium est, contingere potest vt ipsa à corpore separetur. Sin verò nullum est animæ proprium opus, contingere non potest, vt à corpore seorsum maneat.

Tertius modus.

Tertius deinde modus est, qui appellatur à repugnantibus, in quo demonstratur non posse simul hoc esse, & illud. Fit autem, quoties connexæ propositionis affirmatiuæ antecedens adstruitur, ut consequens tollatur. Quod certè ideo ita euenire manifestum est, quòd huiusmodi propositiones ex repugnantibus, aut ex contrarijs constent partibus. Ex repugnantibus quidem: ut, Non si dies est, nox est: atqui dies est: nox igitur non est. Ex contrarijs autem: ut, Non si sanum est, ægrum est: atqui sanum est, non est igitur ægrum. In quibus syllogismis propositiones sumptæ huiusmodi sunt, ut impossibile sit, si antecedens est consequens esse. Itaque cùm ita proponitur, Non si dies est, nox est, huius propositionis sensus hic est, non rectè sequi, si dies est, ut nox sit. Dictum est autem ex repugnantibus

tibus, aut ex contrariis, quoniam quæ aliter se habent, syllogismum ad hunc modum nullum constituunt. Quapropter *haudquaquam recipiẽdus est hic syllogismus*: Non *si homo est, album est: est autem homo, igitur album non est. quando nec repugnantia sunt inter se homo & album, nec contraria.* Fit *item & hic modus aliquoties, cùm inter alterutram connexæ propositionis partem negatio interponitur, atque ea ipsa rursus denegatur: ut sit propositio,* Si *animal non est, homo est, hæc repugnans est, & ob id falsa.* Fit *autem uera, si negatio huic à frõte adijciatur, hoc modo:* Non *si animal non est, homo est.* Huius *quippe propositionis hæc est sententia:* Si *animal non sit, fieri non posse ut sit homo.* Ea *igitur concessa, assumimus protinus hoc modo,* Atqui *animal non est: ac deinde concludimus,* Igitur *homo non est.* Similiter *uerò si ita proponatur,* Si *homo est, non est animal: quæ & ipsa falsa est, propter partium inter se repugnantiam: quare si & huic deinde negatio apponatur, uera fit, hoc modo:* Non *si homo est, non est animal.* Nam *huius sententia est,* Si *homo sit, non posse fieri ut non sit animal.* Itaque *ea concessa, talis contexitur syllogismus:* Non *si homo est, animal nõ est: atqui homo est, animal igitur est.* Rursus *autem sit propositio ex utrisque partibus negatiuis:* Si *non est dies, non est nox, quæ idcirco quòd partes eius inuicem repugnant, falsa est: fit autem uera si adiungamus negationem, hoc modo,* Non *si non est dies, nõ est nox.* Huius *quoque propositionis sensus est talis: quòd si non est dies, esse non potest quin nox sit.* Vnde *ea ipsa concessa, assumimus hoc pacto:* Atqui *dies non est, & concludimus deinde,* Est *igitur nox.*

RAIIANVS.

Tertius deinde modus) In hoc modo fit syllogis-

mus

mus conditionalis, quando antecedens affirmatur, hoc est, cùm negatio quæ coniunctioni præposita est abiicitur, deinde tollitur annexum, vt constat exemplo textus.

Fit autem) Putarem hunc locum sic legendum esse: Fit autem quoties connexæ propositionis negatiuę antecedens astruitur, &c. idque docet exẽplum Cæsarij. Deinde Trapezuntius id perspicuè in hoc tertio modo scribit: Tertius modus, inquit, cũ propositionis negatę conditionalis, quæ contrariis aut repugnantibus constat partibus, antecedens affirmatur.

Quod certè) Nam ea est natura repugnantiũ aut contrariorum, vt vno eorum affirmato, tollatur alterum.

Si animal non sit) Huius ratio est, quia sublato superiore, aufertur inferius.

GLAREANVS.

Tertius modus) Hic tertius modus varius est, & improprius, ac quasi vulgaris. Boëtius huiusmodi exemplum ponit: Non si dies est, lux non est: Atqui dies est, lux igitur est. Et in declaratione textus Ciceronis hoc ponit exemplum: Non si homo est, animal non est: Atqui homo est, animal igitur est. Idem exemplum ponit Trapezuntius, qui tamen Boëtiũ reprehendit, quòd alia exempla dederit quàm in quibus sint repugnantia.

Poëtæ ita argumentantur, vt putes argumentũ esse à tota conditionali duabus negatiuis partibus, vt habent Boëtij exempla, compositione consequentis ad positionem antecedentis. Ouidius lib. 13,

Nec

Nec tamen hæc ſeries in cauſam proſit Achiuis,
Si mihi cum magno non eſt communis Achilli.

Et lib 2. apud eundem:

Mentiar, obſcurum niſi cùm nox fecerit orbem,
Nuper honoratas ſummo mea uulnera cœlo
Videbitis ſtellas. ---

Quintilianus: Mentiar, niſi factũ eſt. Quaſi diceret: Verum nõ dixero, ſi non eſt factum: ſed eſt factum, ergo verũ dixi. Sic illud Ouidij: Verum non dixerò, ſi non videbitis noctu ſtellas: ſed videbitis, Igitur verum dixi. Item illud eiuſdem: Non proſit mihi ſeries, niſi cum Achille ſit communis: ſed eſt communis mihi cum Achille, ergo proſit. Multa alia exempla reperias apud Vallam lib. 3. Elegantiarum, ca. 29.

Quo pacto tertius hic modus à ſuperioribus duobus differat.

Ex his porrò colligere licet, quid interſit inter hunc tertium & ſuperiores duos modos. Sanè inter ipſos hæc eſt diuerſitas, quòd in eo quidem modo, qui ab antecedentibus dictus eſt, ponitur antecedẽs, ut id quod ſequitur aſtruatur. In eo uerò qui à conſequentibus appellatus eſt, perimitur conſequens, ut id quod anteceſſerat auferatur. At uerò in hoc tertio, qui dictus eſt à repugnantibus, neutrum horum ſeruatur. Siquidem neq; antecedens ponitur, ut quod ſequitur confirmetur: nec interimitur conſequens, ut id quod præceſſerat euertatur: ſed ponitur antecedens, ut interimatur conſequens. Quod ideo euenire dictum eſt, quoniam hic propoſitionis modus partes inter ſe continet repugnantes. Aduerſum quippe eſt atq; repu-

nans quod dicitur, si dies est, nō est lux: quare propositio hæc falsa est, quæ tamē rursus negatione præposita fit uera hoc modo: Non si dies est, lux non est: atque ita consimilis est affirmationi, nēpe huic, si dies est, lux est: quod & rectè quidem ita euenire receptum est, quando scilicet affirmationem geminata facit negatio.

RAIIANVS.

Ex his porrò) Docet discrimen inter hunc tertiū modum & duos superiores. Nam in primo modo argumenta colliguntur ab antecedentibus: in secundo à consequentibus, in hoc tertio verò à repugnantibus.

Partes inter se continet repugnātes) Repugnantia cohærere non possunt, nec de se verè dici: vt si quis dicat auarum esse pium, sapientem infelicem: at in his propositionibus prædicati oppositum subiecto verè iungitur: vt, sapiens estfelix, auarus est impius.

Quartus modus.

QVartus modus est eorum, qui ex disiunctiuis consistunt, syllogismorum. Fit autem, cùm datæ disiunctiuæ propositionis antecedens in assumptione ponitur, ut quod consequens est auferatur, hoc pacto: Aut dies est, aut nox est: atqui dies est, non est igitur nox. Item, Aut sanus est, aut ægrotat: at qui sanus est, non ægrotat igitur. Hìc uerò si ita quispiam argumentetur, Aut dies est, aut nox est: atqui dies est, nox igitur est: ac rursus, Aut sanus est, aut ægrotat, est autem sanus, igitur ægrotat: talis profectò modus asyllogistus & incollectilis prorsus habetur. Nam in eo datæ disiunctiuæ posita parte una, non tollitur reliqua: quod utique repugnantium natura requirit.

RAIIANVS.

Quartus modus) In hoc quarto modo sic componitur syllogimus: Prima pars disiunctiuæ affirmatur, vt secunda negetur: Vt, Aut dies est, aut lux solaris non est: sed dies est, ergo lux solaris est.

Hic verò) Incollectiles argumentationes proponit: quia pugnantia simul coniunguntur.

GLAREANVS.

Quartus modus) Hactenus de cōditionali, nunc de disiunctiua totidem ponit modos. Et hic primus modus, excepta negatione quæ ad conclusionē apponitur, est similis primo modo, qui in conditionalibus est.

Quintus modus.

QVintus autem modus est, cùm id quod in disiūctiua propositione præcesserat, in assumptione tollitur, ut quod sequitur affirmetur, hoc modo: Aut uiuit, aut mortuus est: non uiuit autem, mortuus igitur est. At hic quoq; asyllogistus fit, & incollectillis, quoties datæ disiunctiuæ una sublata parte, tollitur simul & reliquum, ut, Aut uiuit aut mortuus est: non uiuit autē, igitur nō est mortuus.

RAIIANVS.

Quintus autē) In hoc quinto modo antecedens negatur, vt consequens affirmetur: ídque exempla textus abundè docent.

GLAREANVS.

Quintus modus) Hic modus eandem cum priore habet propositionem, sed assumptionem cōtrariam, atque ideò etiam contrariam conclusionem: vt, Aut dies est, aut nox est: Non est autem dies, igitur est nox. Atqui si secundum conditionalis modū exprimere

mere vellemus, possemus ita formare: Aut viuit, aut mortuus est: sed non est mortuus: igitur viuit.

Sextus modus.

SExtus uerò modus est, in quo duobus per disiunctionem propositis, ostenditur si unum sit, non posse simul esse & reliquum. Fit autem ex disiunctiua in copulatiuam mutata, addita uidelicet negatione, idque modis duobus: Primo, cùm propositionis datæ antecedens ponitur ut tollatur consequens, hoc pacto: Non & dies est, & nox est: sed dies est, non est igitur nox. Item: Non & prudens est, & ineptus: atqui prudens est, ineptus igitur non est. Secundo, cùm propositionis datæ antecedens tollitur ut consequens ponatur, hoc modo: Non & dies est, & nox est: sed dies non est, igitur nox est. Sanè tertius hic ex desiunctiuis modus consimilis ei est, qui ex propositionibus conditionalibus tertius est positus, præterquam quòd in illo propositio cum conditione, in hoc sine conditione proponitur. Verùm & hoc amplius hìc obseruandum, ut tam repugnantia, quàm contraria ita sibi repugnent atque cõtraria sint, ut posito uno interimatur alterum, & uno interempto alterum ponatur. Quare locutiones huiusmodi: Aut perijt, aut literas docet, Item, Aut cucurbitæ florem, aut ipsam concurbitam, & aliæ pleræque (quæ apud Græcos olim in prouerbia ceßêre) consuetudine atque ipso euentu magis receptæ fuerunt, quàm ueritatis cõstantia, de quibus & alijs penè innumeris Erasmus noster in opere Adagiorum, non tam copiose quàm fructuose eleganti narratione perscribit, uir profectò hac nostra ætate extra omnem ingenij aleam positus, ut Plinij uerbis utar, qui hoc sua ætate M. Ciceroni tribuit uerißimè. Ex prædictis autem

sequi

Cur ex copulatiuis non fiant syllogismi.

IAm uerò mirabitur fortaßis quispiam, quid causæ subsit, quòd cùm tres sint superius positæ hypotheticarum propositionum species, & ex conditionalibus quidem, & disiunctiuis certi syllogismorum modi à nobis iam perscripti sint, nullos præterea subijciamus, quibus ex copulatiuis perinde syllogismi fieri demonstrentur. Huius sanè rei hanc esse causam arbitror, quòd quæ hypotheticæ propriè dicuntur, huiusmodi sunt, ut in his cōditio aliqua uel exprimatur, ut in eis, quæ peculiari nomine cōditionales appellantur, uel subintelligatur, ut in disiunctiuis. Nam cum ita proponitur, Aut dies est, aut nox est: hæc eadem propositio cum conditione nihilominus pronunciari potest hoc modo: Si dies est, non est nox: uel, Si non est dies, nox est. Itaque per has neq; esse aliquid, neq; non esse simpliciter significatur, sed aut illud esse si hoc fuerit, aut quoties unum fuerit, non posse simul & aliud esse. Vnde & in his consequentiæ uis inesse quoq; perspicitur. At uerò quæ copulatiuæ dicuntur, ut non ueræ hypotheticæ sunt, ita nec in his consequentiæ uis ulla deprehenditur: quæ nimirum facit potißimùm, ut ex propositionibus hypotheticis hypothetici syllogismi struantur. Hypotheticæ tamē quoquo modo dici possunt, quatenus ex categoricis compositæ constant. Quare nec Boëthius etiam, cùm aliâs de syllogismis ex hypotheticis copiosißimè tractet, ullos præscribit modos, iuxta quos syllogismi ex copulatiuis perinde fierent. Nec ipse admodum probo eas consequentiæ formas, quas uulgò ex copulatiuis eliciunt, ut à tota copulatiua ad alteram eius partem, & item à destructione partis copulatiuæ ad destructionem totius: quæ licet necessa-

riæ utique sint, utiles tamen non sunt. Ex copulatiuis tamen rectè fortaßis argumentatio procedet, siue syllogismum uoces, siue aliam quamlibet argumentationis speciem, quoties per has ex disiunctis ad coniuncta procedimus: hoc est, quoties quæ diuisim prædicantur de subiecto aliquo, de eodem etiamnum coniunctim dici posse probantur. Quod quia aliquando ita contingit, aliquando uerò minimè: certè ad hoc regulæ ex ipso Aristotele colliguntur, quibus id discernere licet, & quas proinde hic subijcere non grauabimur.

RAIIANVS.

Iam verò) Dissoluit quandam quæstionem, quæ ex superioribus oritur.

Huius sanè) Prima ratio cur ex propositionibus copulatiuis per se sumptis non fiat syllogismus conditionalis. Quoniam in conditionalibus conditio vel exprimitur, vel subintelligitur: at in copulatiuis neutrum contingit.

Vnde &) Secunda ratio: In syllogismis conditionalibus optima struitur argumentatio, in qua consequens colligitur ex antecedente.

Vt à tota copulatiua) Vt, Deus est immortalis, & homo est mortalis, ergo Deus est immortalis.

Ex copulatiuis) Hic locus intelligetur ex tribus regulis capitis sequentis.

GLAREANVS.

Cur ex copulatiuis non fiant syllog.) Aulus Gellius lib. 16. capite 8. de propositione copulatiua ita ait: In omni coniuncto si vnum est mendacium, etiamsi cætera vera sunt, totum esse mendacium dicitur.

citur. Nam si ad ea omnia quę de Scipione dicuntur in hac propositione, P. Scipio Pauli filius, & bis Cos. fuit, & triumphauit, & censura functus est, & collega in censura L. Mumij fuit: adiecero, & Hannibalem in Africa superauit, quod est falsum, vniuersa quoque illa quæ coniunctè dicta sunt, propter hoc vnum, quod falsum accesserit, quia simul dicentur, vera non erunt. Hæc ille. Ex quibus liquet, etiam aliquid cõsequentiæ & in copulatiuis esse, etiamsi non formalis vel syllogismus vel consequentia syllogistica, est tamen materialis consequentia. Vide latiùs cap. 7. Tractatus quarti.

Sequuntur tres regulæ.

Ex his igitur prima regula est: Quæcunque diuisim secundum accidens de aliquo prædicantur subiecto, aut alterum de altero, hæc simul atque coniunctim de eodem prædicantur minimè. Cuius regulæ hanc reddit rationem Aristoteles, quòd uidelicet unum non faciãt. Quare non rectè sequitur, Socrates est albus, & Socrates est musicus, igitur Socrates est albus musicus. Dictum est autẽ secundùm accidens, quoniam sciens & Grammaticus licet secundùm accidens de subiecto aliquo dicantur, tamen alterum de altero non secundùm accidens, sed per se dicitur: & proinde ut diuisim, ita & coniunctim de eodem prædicari possunt: ut, Socrates est sciens, & Socrates est Grammaticus, igitur Socrates est sciens Grammaticus. Secunda regula: Quæcunque diuisim de aliquo prædicantur, ut de subiecto, si id quod sequitur, in præcedenti includitur, ipsa de eodem simul & coniunctim non prædicantur. Huius quoq; regulæ hæc ab Aristotele redditur ratio, quia committeretur uitium nugationis. Vnde non re-

ctè sequitur, Socrates est homo, & Socrates est animal, igitur Socrates est homo animal. Siquidem in homine animal includitur. Nec sequitur ob id ipsum, Socrates est Grammaticus, & Socrates est sciens, igitur Socrates est Grammaticus sciens. Tertia est, quæ ex his sequitur, regula: Quando aliqua de aliquo, ut subiecto, seorsim atque diuisim prædicantur, idq; neque secundùm accidens omninò, neque ex his posterius in priori directim continetur, hæc de eodem simul atque coniunctim prædicantur: ut, Socrates est homo, & Socrates est albus, ergo Socrates est homo albus. Item, Homo est animal, & homo est rationalis, ergo homo est animal rationale.

RAIIANVS.

Ex his igitur) Hæc regula est apud Aristotelem, 2. cap. 2. libri de interpretatione, cuius hic est sensus: Quando duo prædicata dicuntur per accidens de subiecto aliquo, vel alterum prædicatum de altero per accidens, ea coniunctim minimè prædicantur: vt non sequitur, homo est musicus, homo est bonus, ergo homo est bonus musicus. Si autem vtrumque prædicatum dicatur de subiecto per accidens, & tamen alterum prædicatum dicatur de altero per se, ea coniunctim prædicantur: vt, homo est sciens, homo est philosophus, ergo homo est sciens philosophus. ratæ fidei est consequentia, quia sciens est genus philosophi, vt scientia genus philosophiæ.

Secunda reg.) Quando duo prædicata dicuntur de subiecto per se, si posterius continetur in finitione prioris, non rectè colligitur à diuisis ad coniuncta, vt non valet hæc ratiocinatio, Cato est homo,

Cato

Cato est animal, ergo Cato est homo animal: sed sic erat colligendum, ergo Cato est animal homo. Posterius duobus modis in priori includitur. Primo in ipsa prolatione: vt Cato est homo albus, & Cato est albus, ergo Cato est homo albus albus. Secundo modo posterius est in prioris finitione: vt, homo est bipes, homo est animal, ergo homo est bipes animal, Neutro modo rectè colligitur à diuisis ad coniuncta.

Tertia est) Hæc regula tollit vitia duarum priorum, & docet, quomodo liceat à diuisis ad coniuncta aptè ratiocinari.

GLAREANVS.

Quia committeretur vitium nug.) Nugatio est, & vnius & eiusdem rei ex eadem parte orationis inutilis repetitio. Aristoteles vocat ἀδολεσχῆσαι, id est, nugari.

De ratione consequentiæ.

Post hæc etiam de consequentiæ ratione haud absurdum fuerit hac in parte nonnihil adijcere, propterea quòd in superioribus sæpiùs in huius incidimus mentionem. Primò igitur dicendum est quid sit, deinde quomodo diuidatur, tertiò regulæ quædam subijciendæ sunt. Neq; *uerò ut uana res existimari debet, consequentiæ uim posse intelligere: quoniam ad hoc summma totius* Dialecticæ *tendit, & utilitas. Sanè hæc ex eo potißimùm percipitur, si cui rectè uti contigerit coniunctione rationali ergo, siue igitur, aut si qua huiusmodi est: quæ alioqui (ut* Alexander Hegius *dicere solebat) multum faceßit negotij studiosis huius artis hominibus.* Porrò *hac ipsa rectè uti poterit,*

terit, quicunq; rei probandæ tū causam tum signū intellexerit. Ita enim res una ab alia depēdet, ut certus proculdubio ordo aliquis in ipsa rerum natura esse intelligatur: id quod Seneca inter philosophos non contemnēdus author, primo naturalium quæstionum libro his uerbis non tam diserté, quàm grauiter expreßit: Omnium (inquit) rerū certus ducitur ordo, & alia alijs ita complexa sunt, ut quod antecedit aut causa sit sequentium, aut signum.

RAIIANVS.

Post hæc) Quoniam in superioribus regulis consequentiæ habita est mentio, ideo quasdam regulas & diuisiones de ea subiicit. Consequentia vt generatim sumitur, eadem est cum argumentatione, siue hæc fuerit syllogismus, enthymema, inductio, exemplum. Nam omnis consequentia est argumentatio, & contrà.

Quoniam ad hoc) Nam Dialectica est diligens disserendi ratio: disserere autem nemo poterit, nisi inuenerit, & inuenta in formam argumentationis coniecerit.

Porrò) Locus hic dignus est obseruatione: etsi enim omne verum vero est consentaneum, vt Aristot. 6. cap. 1 libri Ethicorum, & 2. cap. 1. lib. Priorum docet: tamen non omnibus probandis omnia conueniunt, sed id quod adfertur ad alterius probationem, debet cum eo quodammodo esse coniunctim. Id eleganter (vt omnia) Rodolphus Agricola vnicum eruditionis lumen, 2. capite 1. lib. de inuentione dialectica docet.

De

De consequentia, & eius diuisione.

COnsequentiam igitur hoc pacto quidam definiunt: Consequentia est oratio ex antecedente & consequente, suis quidem partibus constituta, quas rationalis aliqua coniunctio connectit. Eam ita diuidunt, ut sit & bona, & mala consequentia. Et bona quidem ab eisdem definitur, cuius si antecedens uerum est, non potest esse quin consequens quoque uerum sit: ut, Homo est, igitur animal est. Mala uerò, cuius etsi antecedens uerum est, non est tamen necesse, ut consequens uerum sit. ut, Socrates ambulat, igitur cœlum serenum est. Bonam rursus diuidunt in materialem & formalem. Verùm qui Aristotelem potiùs sequuntur, quàm barbaros sophistas, eam in necessariam, & non necessariam dispescunt: ut sit tamen necessaria consequentia, quam illi formalem uocant: non necessaria, quæ materialis ab illis dicitur. Ergo formalis consequentia est, quoties datis quibuslibet terminis iuxta præscriptam aliquam argumentandi formam, si antecedens uerum est, & consequens esse uerum necesse est. Cuiusmodi in primis sunt syllogisticæ consequentiæ omnes, & quæ ex ipsarum propositionum tum couuersione, tum æquipollētia eliciuntur, & si quæ aliæ his consimiles sunt. Materialis uerò, quæ tametsi bona quidem est, tamen iuxta eandem similemq; argumentandi formam firma ubique & constans non est, quales ferè sunt Dialecticæ argumentationes, & quæ per Enthymemata, & cæteras argumentationis species constituuntur, nempe terminorum tantùm gratia, uidelicet qui materiæ uicem præstant. Itaque materialis consequentia est, si hoc modo argumenteris: Cœlum uolubile est, ergo cœlum rotundum est. Quippe quòd iuxta eandem formam ita argumentari licebit: Cœlum uo-

lubile est, ergo cœlum stellatum est. Cæterùm probabilitas in his ac confirmatio ex locorum aliquo Dialecticorum peti solet, proficiscitúrque.

RAIIANVS.

Consequentiam) Tria in omni cõsequentia sunt necessaria: antecedens, quod est prima pars argumentationis: consequens, quod est secunda: & nota illationis, tota argumentatio quę ex his tribus componitur, consequentia est: vt nulli liberales sunt auari, omnes philosophi sunt liberales, ergo nulli philosophi sunt auari.

Et bona quidem) Consequentiæ bonitas non ex eo pendet: quòd antecedens est verum simul & consequens. Nam huius consequentiæ, Fabius est cunctator, ergo cœlum mouetur, vtraque pars vera est, & tamen inepta est consequentia. Regula igitur hęc perpetuò danda est memoriæ: Bonitas consequentiæ ex eo spectatur, quòd consequens necessariam cum antecedente habeat habitudinem ac connexionem: si verò consequentia sit syllogismus, adde præter illam necessariam connexionem, obseruandam esse modi & figuræ aptam dispositionem. Partes bonæ consequentiæ multis modis connectuntur, primo, antecedens potest esse verum simul, & consequens: vt Iustitia est formosa, ergo virtus formosa est. secundo, antecedens potest esse falsum, & consequens verum: vt homo est equus, ergo homo est animal. tertio, antecedens potest esse falsum, & consequens falsum: vt homo est equus, ergo homo est rationis expers. quarto, bonæ consequentiæ antecedens

teced

tecedens nunquam potest esse verum, & consequens falsum, ea enim est inepta collectio, in qua antecedens potest esse verum, & consequens falsum, vt princeps rerum Deus bonus est, ergo homines boni sunt.

GLAREANVS.

Ergo formalis consequentia est) Formalis consequentia dicitur, quæ est vniuersalis: hoc est, quæ valet, quibuscunque datis terminis: vt sunt syllogismorum nouemdecim modi. Materialis autem, quæ gratia terminorum valet: hoc in quibusdam terminis, in quibusdam verò non. Nam sic licet ex puris negatiuis, ex puris particularibus, & aliis item formis non vniuersalibus argumentari.

Quales ferè sunt Dialecticæ argumentationes) Hoc non rectè exponit, cùm enthymema sit imperfectus syllogismus. Illa enim, Socrates currit, ergo Socrates mouetur, est tam certa consequentia, atque si maior adhibeatur: Quicquid currit, mouetur. Sed ideo dicitur materialis consequentia, quia gratia terminorum valet, non gratia formæ.

Sequuntur duæ regulæ, tum instantia contra secundam, tum etiam quæ sit bonæ consequentiæ proprietas.

SEquuntur hinc regulæ duæ, quarum prima est: Si ad antecedens bonæ consequentiæ sequitur consequens, ad oppositum consequentis oppositum sequitur antecedentis. Et oppositum quidem hic intelligo id, quod contradictorium dicitur. Cæterùm ipsius regulæ tale sit exemplum: homo est, igitur animal est. Hic quia rectè sequitur,

homo est, igitur animal est: ad oppositum consequentis, quod est, nullum animal est, recte quoque sequitur, igitur nullus homo est. Secunda regula: Quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur & ad eius antecedens: ut quia ad hanc, homo est, recte sequitur, igitur animal est: & ad hanc rursus, animal est, igitur substantia est: ad eandem idcirco, quæ erat, homo est, recte quoque sequitur, substantia est, ut sit, homo est, igitur substantia est. Sane has duas regulas ideo adijcere libuit hoc loco, quòd unaquæque harum per totam artem logicam principij uim obtineat. Contra secundam tamen regulam huiusmodi fit instantia. Nam si quid necesse est esse, illud quoq; possibile est esse. Rursus autem, si quid possibile est esse, illud iam non necesse est esse. Igitur si quid necesse est esse, idem erit non necesse esse: quod prorsus inconueniens uidetur. Sanè huius difficultatis nodum Theophrastus Græcus author, uir utique in omnibus disciplinis consummatissimus, dignus proinde qui in Aristotelis diatribam, ipso etiam Aristotele id ita adiudicante, succederet (ut author est Aulus Gellius) ad hunc modũ soluit: Non omnino, inquit, idem est possibile esse, & non necesse esse: quòd hoc negatiuam speciem habeat, illud uerò affirmatiuam: quamuis tamen eadem propemodùm utrobique sit significationis uis. Itaque affirmationem, quæ est, necesse est esse, non rectè sequitur negatio, per quam aliquid non necesse esse proponitur. At de consequentia quidem, quæ sit, & quæ bona, tum quæ necessaria, hactenus quàm breuissimè dictum sit. Bonæ præterea consequentiæ id esse proprium obseruatum est, ut ex uero quidem non nisi uerum sequatur unquam, ex falso autem cùm plurimùm falsum, nonnunquam etiam uerum.

RAIIANVS.

Sequuntur hinc) Prima hæc regula ſumpta eſt ex primo capite ſecundi libri de interpretatione, & vltimo capite primi libri priorum, cuius hæc eſt ratio: quia oppoſitum conſequentis non poteſt verum eſſe cum antecedente, idcirco infert oppoſitum eius.

Secunda regula) Hæc eſt quædam ſpecies gradationis, ſiue aceruus vocum neceſſariò cohærentium: niſi enim neceſſariò cohærerent, non valeret collectio.

Contra ſecundum) Hæc quæſtio tractatur apud Ariſtotelem tertio capite ſecundi libri de interpretatione, cuius hæc breuis eſt diſſolutio: duplex eſt poſsibile, aliud eſt actu tãtùm, quod affirmationem ſignificat, & iſtud ſequitur ad neceſſariũ: aliud quod actum & potentiam ſignificat, & iſtud non ſequitur ad neceſſarium. Vides optime lector, quæſtionem ſatis impeditam & ſinuoſam verbo vno eſſe expeditam, in qua multi & nobiles Ariſtotelis interpretes & multum deſudarunt, & integras paginas impleuerunt: quocirca ſpero hæc noſtra ſcholiola ſtudioſis mirificè eſſe profutura.

Bonæ præterea) De hoc præcepto videndus eſt Ariſtoteles initio 2. lib. priorum.

Ipſo etiam Ariſtotele) Hanc hiſtoriam eleganter Aulus Gellius libro decimetertio capite quinto explicat.

GLAREANVS.

Cæterùm ipſius regulæ tale ſit exemplũ) Quod ſi obiic

obiiciatur, Bene ſequitur, Homo currit, ergo riſibile currit: Sed nullus homo currit, Ergo nullum riſibile currit: & tamen contra regulam argumentamur ex oppoſito contradictorio antecedentis, ad oppoſitum contradictorium conſequentis. Dicendum, Hoc eſſe gratia materiæ in terminis conuertibilibus, non gratia formæ. Quia ſtatim ad ſimilem formam dantur termini, in quibus hoc non valet, nempe ſic: Si homo currit, animal currit: ſed nullus homo currit, ergo nullum animal currit. Antecedens poteſt eſſe verum, & conſequens falſum.

IN TRACTATVM SEPTIMVM DE DEMONSTRATIONE.

PRAEFATIO.



Saepius mecum reputaui, ac toties admiratione nō parua captus ſum, quid cauſæ eſſet, cur bonus ille uir, qui cum in artem Dialecticam tractatus aliquot ſcribere conſtituiſſet, eoſdem pro ſua (ut uidetur) opinione ita demum parauit, ut per eos ad Ariſtotelis Logicam ſtudioſi eius artis introducerentur: non id etiam tentauerit in eam huius diſciplinæ partem, quæ Demonſtratiua dicitur, ac per hoc omnium potiſsima & eſt & habetur, etiam eorum iudicio, qui illorum tractatuum authorem non frigidè, imò ſtrenuè (ne dicam ſuperſtitiosè) ſectantur, cùm tamen illud neque grauiori illius labore, neque minori traducendorum in hanc quoque huius

ius artis partem utilitate fieri potuisse constet: maximè quòd pueri olim (quod utinā hodieq; obseruaretur, omissis friuolis cauillationibus) ad Philosophiam instituendi, in mathematicis disciplinis, ad quas comparandas hac parte plurimum iuuamur, anteà exercebantur, etsi non exactè, rudi saltem modo: quod & exempla paßim per Aristotelis libros dispersa disseminataq; indicare planè uidentur. Vnde etiam in foribus Platonicæ diatribæ scriptū legebatur, Nemo huc ingrediatur Geometriæ expers: quo nomine simul & Arithmetica intelligebatur. Sed ego iam causam ipsam uel suboîfacere uideor, quòd uidelicet hæc pars Dialecticæ uisa sit illi haudquaquam idonea ad sophisticas captiunculas, & steriles illas nugas, quibus per id temporis, quo uir ille claruit, scholæ omnes atque literarij ludi non tam uacabant sedulò, quàm strepebant acriter. Atque interim (proh pudor) dum in his nugæ illæ leuiusculæ ueluti imperiose docebantur, optimi quique bonarum artium authores in pluteis & sub scamnis delitescebant, situ & puluere obducti, & (quod hoc etiam miserabilius est) esca blattis & tineis. In quorum subiêre locum barbari paulatim, idq; ferè in singulis artibus, ut uerbi causa, in Grammatica Alexander Gallus, in Dialectica Petrus Hispanus, in Poëtica Gaufredus Britannus, & in Rhetorica Eberhardus quidā, qui etiam ob rem à se obscuriùs fortaßis traditam opusculum suum Labyrinthi nomine inscripsit. Taceo Græcistum, Floristam, Cornutum, Alanum in parabolis, & cæteros huius farinæ uiros. Dij boni, quos hîc authores recenseo? Sed neq; defuêre tamen interim, qui in mathematicis quoque studijs operam suam nauarunt, quanquàm non satis feliciter, uerùm pro temporum iniuria excusandi potiùs quàm incusandi. Quæ

quidem

quidem studia, quoniam (ut paulò superiùs diximus) demonstrandi uia, quæ utique certißima est, comparantur in primis, de horum utilitate pariter & dignitate ex Seuerino Boëthio acris haud dubiè iudicij uiro, paulò altiùs repetere libet, priusquàm institutum tractatum aggrediamur. Talia (inquit ille) studia sunt ea, quæ mathematica dicuntur, ut si his careat diligens ueritatis inquisitor, uerum ipsum inuenire non poßit. Quinimo sine hac ueritatis speculatione nulli rectè sapiendum est. Proinde qui hæc spernit, id est, has semitas sapiẽtiæ negligit, ei denuncio non rectè philosophandum. Siquidem philosophia amor sapientiæ est, quam certè in his spernendis, antè iam aliquis contempserit. Hæc ille. Quare cùm hæc studia minimè spernenda sint, nec uia etiam qua ad illa pergitur, negligenda erit. Hac igitur ratione persuasus, cùm in cæteras Dialecticæ partes tractatus certos, atque hos quidem introductorios parare instituerim, in hanc quoque partem, hoc est, de Demonstratione tractatum aliquem parandum duxi.

RAIIANVS.

In præfationem) Cæsarius in hac eleganti præfatione insectatur Petrum Hispanum, qui etsi aliquot tractatus de arte Dialectica scriptos reliquit, nullam tamen mentionem demonstrationis fecit, quæ inter omneis argumentationes necessaria, vtilis, ac nobilis est. Continet enim verum solidúmq; iudicium, quo argumenta inuenta examinamus, an quæstioni propositæ confirmandæ vel refellendæ conueniant. Huius artificium Aristoteles duobus libris resolutoriis acutè & eleganter pertractauit.

Ac

Ac per hoc omniũ) Prima ratio cur Petrus Hiſpanus de demonſtratione ſcribere debuerit, quæ ſumitur à iudicio eorum, qui Petri Hiſpani ſtudioſi fuerunt.

Maximè quod pueri) Secunda ratio: hæc pars Dialecticæ elementa tradit, quibus in diſciplinis mathematicis maximè vtimur, ex quibus ſolis veræ demonſtrationes petendæ ſunt.

Sed ego iam) Rationem ſubuertit, cur vir ille de demonſtratione nihil ſcripſerit, nimirum quod hęc pars cauillis, & gryphis ſophiſticis accommodata non fuerit.

Quæ quidem ſtudia) Excurrit obiter in laudem diſciplinarum mathematicarum.

GLAREANVS.

Maximè quòd pueri olim, &c.) Dicere vult, cum magno puerorum fructu potuiſſe Petrum Hiſpanũ hanc introductionem ſcribere. Nam notitia demõſtrationis deſeruit ad Mathematicas diſciplinas: ſed pueri olim maximè dabant operam Mathematicis demonſtrationibus: ergo non omitti debuit, etiam cùm tyrones doceret.

In Dialectica Petrus Hiſpanus) Hîc nominat Petrum Hiſpanum, cùm tota Præfatione eum carpẽs non nominet, quaſi alium volens innuere.

Omnis demonſtratio eſt ſyllogiſmus neceſſarius, & plerunque in Barbara concluditur: in eo autem frequenter medium eſt ſubiecti definitio: maior extremitas, propria paſsio: minor extremitas, ſubiectũ ipſum, vt in Arithmetica, numeri definitio eſt medium:

dium: at par vel impar, maior extremitas, est enim propria pasſio. Ipſe numerus, ſubiectum, erit minor extremitas. Et fit demonſtratio in Barbara, ſic:

Omnis multitudo ex vnitatibus conflata, eſt par vel impar.

Sed omnis numerus eſt multitudo ex vnitatibus conflata.

Ergo omnis numerus eſt par vel impar.

Porrò ſubiectum vocant, rem ipſam quam docet ſcientia: materiam item, circa quam verſatur ipſa ſcientia. Scopum denique, quò tendit omnis in diſciplina tractatio.

	Subiectum	Subiecti definitio:	Propria paſsio:
In Dialectica	Homo, Minor extremitas.	Animal rationale, Medium.	Riſibile, Maior extremitas.

Bar	Omne animal rationale eſt riſibile
ba-	Omnis homo eſt animal rationale,
ra.	Omnis homo eſt riſibile.

In Grammatica, Pars orationis.	Dictio ſignificatiua.	Declinabilis, vel indeclinabilis.
In Arithmetic. Numerus.	Multitudo ex vnitatibus cõflata.	Par, vel impar.
In Geometricis, Triangulus.	Habere treis angulos duobus rectis æquales.	Habere angulum externum duobus internis æqualem.

De

De quadam alia Dialectica diuisione, vt per quam tria potissima philosophia instrumenta colligantur, qua sunt demonstratio, definitio, & diuisio.

QVemadmodum autem Dialectica in duas breuissimè partes diuidatur, inueniendi unam, alteram iudicandi, superiùs à nobis expositum est: restat nunc (cuius & ipsa res iam nos admonet) ut ab eodem repetentes principio, aliam eius diuisionem aggrediamur, qua & tripartita eius uis siue facultas esse dignoscatur: quæ tamen secunda diuisio priore destituta esse ut non debet, ita non potest. Diuisio autem hinc patet. Nam cùm Dialectica ex M Ciceronis sententia diligens disserendi ratio sit, qui fieri potest, ut non etiam ratio sit tum definiendi, tum diuidendi, tum colligendi? Id quod de definiendi facultate idem Cicero locupletißimè præcipit primo Officiorum libro his uerbis: Omnis autem (inquit) quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit de quo disputetur. Haud secus & de diuisione sentiendum est, quando nec sine ipsa disputatio legitimè procedere potest: quippe quæ uiam ad ipsam definitionem non tam parare, quàm aperire uideatur, ut sequenti tractatu conuenienti exemplo ostendemus. Maximè uerò ad hāc ipsam artem pertinere probatur colligendi facultas ex eo, quòd quicquid in disputationem affertur, collectione tandem aliqua consummatur perficiturq́;, idq́; secundum triplicem diuersitatem, quemadmodum & suprà annotatum est. Nam aut ex proprijs & ueris ac necessarijs huiusmodi collectio fit proceditq́;, & Demonstratio appellatur: aut ex communibus & maximè

xime probabilibus, & Dialectica peculiari nomine dicitur: aut ex captiosis & plane falsis, & Sophistica, id est, cauillatoria perhibetur: sed quæ tamen abiectißima, despectißimaq; totius Logicæ pars est, ut quæ magis deceptionem eius, cum quo disputatio desumpta est moliatur, quàm rei in disputatione propositæ probationem. Itaque Dialectica quæ est differendi peritia, tum de definitione, tum de diuisione, tum de collectione quoque tractat: quæ quidem si (ut debet) fit cum ratione, Syllogismus Græcè dicitur. quippe συλλογίζειν Græce, ratiocinari Latinè interpretatur, hoc est, cum ratione colligere aliquid. Videtur enim uerbum ipsum συλλογίζω compositum esse ex præpositione σὺν, quæ cum significat, & in compositione idē facit, quod con inseparabilis præpositio apud Latinos, & ex nomine λόγος, quod præter alia multa rationem quoq; significat. Vnde & ars ipsa à ueteribus Peripateticis Logica posteà appellata est, quam anteà & Stoici, & Plato Dialecticam appellauerunt, ut qui angustiùs de ea tractauerint, quàm Peripatetici, ut à Boethio id memoriæ proditum est. Logica igitur quasi rationalis scientia dicta est: non quidem, ut barbari nomen ipsum interpretantur (ut alia ferè omnia) infantißimè, fœdißimeq; etymologia ad hoc adducta aliqua: sed ex Græcorū potiùs consuetudine, qui artes & disciplinas poßeßiuis ab aliquo deductis nominibus significari uoluerunt, & his quidam fœminini generis, subintellecto (ni fallor) artis nomine, quod Græcè τέχνη dicitur, quod utique fœminini generis nomen est, ut quod huic respondet apud nos, ars.

RAIIANVS.

Quemadmodum) Profert aliam dialecticæ diui-

ſionem: nam vna eademq́; res diuerſis rationibus variis modis diuidi poteſt, quemadmodum quantitas diuiditur in continuam & diſcretam: prętereà, quędam habet poſitionem in continuo, quædam non.

Priore deſtituta) Ratio huius eſt, quia finitio, diuiſio, ratiocinatio inuentionem & iudicium tanquam partes priores præſupponunt.

Quî fieri poteſt) Eſt enim Dialectica ars finiendi, diuidendi, & argumentandi, in quibus tribus tota vis dialecticæ ſita eſt.

Maximè verò) Docet à triplici ſyllogiſmo, demõſtratiuo, dialectico, ſophiſtico, aliud ex alio colligere maximè proprium eſſe dialecticæ.

Nam ex propriis) Demonſtratio enim ex principiis propriis, veris & neceſſariis conflatur.

Aut ex communibus) Id docet Ariſtot. 8. cap. 1. libr. poſteriorum, & 11. cap. 1. lib. elenchorum, & initio 1. lib. Rhetoricorum ad Theodecten, cuius hæc ſunt verba: ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν, ἃ κοινὰ, τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶν γνωρίζειν καὶ οὐδαμῶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης.

Dialectica) Profert tripartitam aliam diuiſionem: Dialectica enim finitione, diuiſione, ratiocinatione vtitur.

Vnde &) Hunc locum in præludiis primi tractatus planum fecimus.

Quo pacto inter ſe duæ Dialecticæ diuiſiones conueniant, aut altera alteram contineat.

VIdendum nunc etiam, hæ duæ diuiſiones quánam ſe attingant cognatione. Nam cùm aliquid definitione

explicare uolumus, genere in primis opus est, tum & differentijs, quibus id, quod definiendum est, ab alijs omnibus distinguatur. Quas nisi prius cum ipso genere iunxerimus, haudquaquam definitionem constituere poterimus. Inuentio igitur necessaria est, si definitio perfici debeat. Similiter autem & cùm quid diuidere in animo est, ea omnia priùs inuenire oportebit, quibus diuisio ipsa perficiatur. Hæc autem sunt tum differentiæ in primis, tum accidentia nonnunquam, maximè uerò inseparabilia & propria. Iam uerò si inuentio absit, nec collectio unquam ualebit; id quod in superioribus, paulò latiùs explicauimus. Sed his omnibus nisi iudiciũ accesserit, frustrà haud dubiè aut definire quicquam, aut diuidere, aut colligere tentabimus. Ergo an rectè definitum quid sit, aut diuisum, aut collectum iudicatio perpendit, examinatq;. Quo fit, ut prior Logicæ diuisio secundam quasi continere uideatur, quia neq; existere quicquam sine inuentione, neq; internosci præter iudicium potest. Sed nunc propositum exequamur, & primùm quid sit Demonstratio dicamus.

RAIIANVS.

Videndum nunc) Quemadmodum cùm vna res plures recipit finitiones, illæ inter se conciliandæ sunt: ita etiam cùm vna eademq; res plures recipit diuisiones, vidẽdum est quomodo illæ inter se conueniant, id quod Cæsarius hoc capite docet.

Nam cùm) Finitio præsupponit inuentionem: id à partibus finitionis docet, qui enim aliquid finiturus est, genus & differentiam inueniat oportet.

Similiter autem) Diuisio præsupponit inuentionem. Id etiam ab his docet ex quibus diuisio cõstat.

Iam

Iam verò) Argumentatio ſine inuentione eorum ex quibus conflatur, nulla confici poteſt.

Sed his) Iudicium commune eſt finitioni, diuiſioni, & collectioni.

GLAREANVS.

De quadam Dialecticæ diuiſione) Ex definitione Dialectices, quam in Topicis ponit Cicero, colligit hic author tria Philoſophiæ inſtrumenta, quibus omnis res inquiritur: Definitionem, Diuiſionem, ac Demonſtrationem. Definitioni reſpondet prima intellectus operatio, quæ eſt ſimplicium apprehenſio. Diuiſioni autem ſecunda intellectus operatio, quæ eſt compoſitio & diuiſio. Demonſtrationi verò reſpondet tertia intellectus operatio, nempe rationis diſcurſus. Vltimò, vnde ſyllogiſmus dictus ſit, & vnde Dialectice Logice ſit appellata, edocet. Vide Boëthium, initiò in Topica Ciceronis.

Idq; ſecundum triplicem diuerſitatem) Syllogiſmus alicui materiæ applicitus eſt triplex. Demõſtratiuus ex neceſſariis, de quo in poſterioribus Analyticis libris duobus Ariſtoteles, & in hoc ſeptimo Tractatu hic author. Dialecticus ex probabilibus, de quo Ariſtoteles octo libris in Topicis, & hic noſter author Tractatu 9. Sophiſticus ex apparentibus, non autem veris, de quo Ariſtoteles libris Elenchorum, & hic author Tractatu vltimo. Ad hos tres ſyllogiſmos ſuperiùs eſt ſyllogiſmus, de quo Tractatu 5. qui Simpliciter dictus vocatur. Sed quia in demonſtratione frequenter propria paſsio de ſubiecto demonſtratur, idq; per definitionem ſubiecti,

necesse fuerit etiam de definitione tractationẽ fieri. Cæterùm definitio per diuisionẽ habetur, vt postea ostenditur. Igitur de his duabus, Diuisione ac definitione, instituetur Tractatus octauus.

Vt Barbari nomen ipsum interpretantur) Ita inquiunt: Logica à λόγος, id est, sermo, & icos, id est, scientia, quasi scientia de sermone vero ac falsó; ita quidem infantilsimè, cùm λογικὸς possessiuum, & fœmininum λογικὴ ad Techne referatur, quemadmodum hic vult author. Nisi quis referre malit ad ἐπιστήμη, id est scientia.

De Demonstratione quid sit, tum etiam quid sit Scire.

Demonstratio igitur ab Aristotele definitur, syllogismus faciens scire, hoc est, syllogismus per quem rei alicui scientia comparatur, pariturq́; : quem proinde syllogismum Aristoteles Græco uerbo ἐπιστημονικὸν appellat: quod uerbum apud nos interpretari potest scientialis, si linguæ usus ferat, ἀπὸ τοῦ ἐπίστασθαι, hoc est, à sciendo deflexum. Ab eodem prætereà scire quoque definitur, rem per causam cognoscere, propter quam res est, quatenus uidelicet illius est causa, nec est poßibile hoc aliter se habere. Sanè cùm multis alioqui modis scire dicatur, latiùs & præßiùs, latiùs quidem qualitercunq; , preßiùs uerò eo duntaxat modo, quo nunc definitum est. Quo quidem modo scire is dicitur, qui demonstratione aliquid cognoscit. Demonstratione inquam, hoc est, per syllogismũ demonstratiuum, qui idcirco scire facit, quòd ex his sit constitutus propositionibus, quæ primæ & immediatæ, tum notiores, prioresq́; conclusiones habentur, ac eius insuper causæ sunt.

RAIIANVS.

Demonſtratio igitur) Locus eſt apud Ariſtotelem ſecundo capite primi libri poſteriorum. Hæc finitio per cauſam finalem aſsignatur:finis enim demonſtrationis eſt animo ſcientiam ingenerare,ſyllogiſmus genus eſt finitionis,faciens ſcire differentiá, quæ ſeparat demonſtrationem à ſyllogiſmo dialectico & ſophiſtico, demõſtratio eſt ſecundarium inſtrumentum quo acquirimus ſcientiam: intellectus verò primarium.

Ab eodem) Scire hoc loco ſtrictim admodum ſumitur,pro ea cognitione,quam ex veris,primis, immediatis,cauſisq; cõclusionis,haurimus, quomodo dictum eſt ab Ariſtotele initio primi libri de Phyſico auditu,tunc arbitramur vnumquodq; ſcire,cùm cauſas primas, principiaq; prima vſque ad elementa cognoſcimus: qui igitur aliquid ſcit per effecta vel cauſas remotas,non propriè is quidem ſcire dicetur.Eſt igitur huius finitionis ſenſus:Scire,eſt firmiter alicui cõcluſioni aſſentire propter probationem præmiſſarum,quæ cauſam veritatis concluſionis continent:vt hanc concluſionem ſcimus, homo reſpirat, per hanc propoſitionem, homo habet pulmonem.

Demonſtratione inquã) Hinc colligitur ſecunda finitio demonſtrationis, quæ datur per cauſam materialem. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus cõſtans propoſitionibus primis, veris, immediatis, notioribus,& cauſam concluſionis continentibus.

GLAREANVS.

Sed his omnibus niſi iudicium acceſs.) Ad iudi-

cium requiritur eruditio & experientia. Qui ergo sunt acri ingenio, sed inerudit, plerunque malè iudicant: vt omni quidem ætate, sed hac nostra maximè videtur.

Quòd ad omne scibile opus sit pranoscere aliquid.

AT uerò priusquam aliquid demonstrare contingat, præscire aliqua oportet, nempe principia quæ uocantur, & significata eorum, quæ ad demonstrationem sumuntur: ut exempli gratia, cùm à Geometra definitur punctus, cuius nulla pars est, tum præscire oportet, quid partis nomine significetur. Sic & in ædificijs, quid lapides, quid intritum, quid materies sit prænosse debet is, qui ædificandi artem discere uult. Atque hoc ipsum profectò est, quod Aristoteles in principio operis de posterioribus Analyticis his uerbis proponit: Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione. Id quod cùm in alijs omnibus artibus perspiciatur, tum in his præcipuè, quarum aliæ sermocinales, aliæ peculiari nomine disciplinæ appellantur. In quibus omnibus prænoscere necesse est, quid nomine eius, quod ad demonstrationem sumitur, intelligatur, significetúrque: tum ipsa principia, ut ex quibus conclusio demonstratur, cuius per hoc etiam scientia habetur solùm.

RAIIANVS.

At verò) Priusquam demonstremus propriam pasſionem de subiecto, necesse est præcognoscere principia, genus subiectum, & propriam pasſioné. Qua de re Aristoteles disputat primo capite primi libri posteriorum.

Omnis doctrina) Ostensurus Aristoteles omnem

dem

demonſtrationem eſſe ex præexiſtente cognitione, hoc vtitur ſyllogiſmo: Omnis doctrina & diſciplina intellectiua fit ex præexiſtẽte cognitione: omnis demõſtratio eſt diſciplina intellectiua: ergo omnis demonſtratio fit ex præexiſtente cognitione. Intellectiua, inquit, vt omnis doctrina, quæ per ſyllogiſmum, enthymema, exemplum, inductionem fit. Vel intellectiua, inquit, ad differentiam ſenſitiuæ doctrinæ, quæ non fit ex priore cognitione. Et hæc eſt facilis interpretatio illius primi pronunciati, apud Ariſtotelem primo capite primi libri poſteriorum.

GLAREANVS.

Ab eodem præterea ſcire quoque de fin.) Tria requiruntur ad ſcire. Primò, vt ſciatur per cauſam: ſecundò, vt ſciatur per propriam cauſam: tertiò, vt non contingat eam cauſam aliter habere. Quidam addunt applicationem cauſæ ad effectum. Scire tamen etiam aliis modis contingit, per effectum ſcilicet, non per cauſam: vt concluſio naſcitur ex principiis, item per ſimplicem terminorum inſpectionem, vt prima principia ſine cauſa cognoſcimus: vt, Omne totum eſt maius ſua parte.

Tum notiores prioréſque concluſione hab.) Differunt primum & prius. Primum dicit, abnegationem prioris: nam ad eius rationem ſufficit negatio anteriorum. Sed prius dicit, cum hoc etiam ordinem ad poſterius.

Quòd duæ ſint prænotiones, quòd eſt, & quid ſit.

EX *his igitur quæ dicta ſunt, patet duobus modis contingere, ut aliqua prænoſcamus, tum quòd ſunt, tum*

quid sit. Vt quærenti propter quid à magnete ferrum trahatur, prænoscendum utique est, ferrum à magnete trahi. Id ubi iam perspectum quispiam habet, sciscitatur deinde, propter quid ita eueniat. Similiter quærens aliquis, quid motus, uel quid tempus sit, exploratum iam is habere debet, utrunq; esse, & motum, & tempus. In quibus uerò sciscitantur adhuc, sint nécne aliqua: uerbi gratia, an sit prouidentia, in his necesse est prænoscere, quid uocabulo ipso indicetur. Atqui contrà euenit, ut sciatur quid quidem uocabulo siue nomine significetur, sed nescitur an sit: ut quæ sit Scyllæ aut Hippocentauri appellatio, nemo est qui non sciat. An uerò etiam sint, incertum fortaßis cum pluribus adhuc. Sanè non idem putandum est esse quid nominis, & quid rei: quinimò longo hæc & insigni inter se interstitio dissentiunt differúntq;. Significatum nanque uocis cuiusque omnium etiam imperitißimis & uulgo ferè perspectum est. Quid tamen sit id, quod uoce unaqualibet significatur, non nisi exercitatißimis facilè traditu est.

RAIIANVS.

Ex his igitur) Vt faciliùs hoc caput assequantur iuniores, duo præuiæ cognitionis gratia dicenda sunt: quid sit præcognitio, & quotuplex. Præcognitio est ante demonstrationem requisita cognitio. ea est duplex: Quia est, & quid est. Præcognitio quia est, dicitur qua principia vera esse cognoscimus: quid est, dicitur qua quid quodque vocabulum in demonstratione sumptum significet, scimus. Præcognitio quia est, principiis: quid est, propriæ passioni, vtraq; generi subiecto tribuitur. Author Aristoteles primo capite primi libri posteriorum.

Vt

Vt quærenti) Huius causa est occulta, & nemini mortalium nota, vt docet Alexander Aphrodisæus initio problematum. Videndus est Plinius libr. trigesimoquinto, cap. decimosexto.

GLAREANVS.

Quòd duæ sint prænotiones) Dialectici aiunt duas esse præcognitiones in genere: Quid est, & quia est, scilicet in rerum natura. Quid est, maximè quid nominis hîc intelligitur, vt est præcognitio. Sed quando capitur pro esse rei, quæstio est. Iidem dicunt tria esse præcognita: Subiectum, dignitatem, & passionem. De dignitate præcognoscitur, quia est: de passione, quid nominis: de subiecto, tum quia est, tum quid est. Præcognitio igitur est, id quod de aliquo præcognoscitur: præcognitum verò, de quo aliquid præcognoscitur.

Cogni

- Cognitio est duplex.
  - Sensitiua est duplex:
    - Exterior, & fit sine præexistente cognitione, quia sensus exteriores mouentur proximè à suis obiectis.
    - Interior, & hæc fit à cognitione sensitiua exteriore, per quam sensibus interioribus præsentantur sua obiecta propria.
  - Intellectiua, & est notitia intellectus de obiecto intelligibili. & est duplex:
    - Incomplexa, & est terminorũ cognitio, acquiriturq́; ex præexistente cognitione sensitiua. Habetur autem solùm per primam intellectus operationem.
    - Complexa.est qua aliqua cõponuntur ac diuiduntur.& est duplex:
      - Principiorum, & illa acquiritur ex cognitione intellectiua terminorum per viam sensus, memoriæ, experimenti: & est per substantiam intellectus operationem.
      - Conclusionum, & illa fit præexistẽte cognitione intellectiua principiorum, in quibus præsciuntur conclusiones in vniuersali. Est autem tertia intellectus operatio.

V.Sen

v. Sensus exteriores.

Visus, Auditus, Gustus, Olfactus, Tactus.

IIII. interiores.

Sensus communis, imaginatio, virtus æstimatiua, memoria.

1 2

Sensus exterior, sensus interior, per phantasmata cognitionem sortiuntur.

3 4 5

Notitia terminorum, notitia principiorum, notitia conclusionum.

Hæc quinq; sese sequuntur, & est status in vltimo.

Quid sit propositio immediata, & quòd duplex sit demonstratio.

QVoniam autem demonstratio syllogismus est, qui fit ex propositionibus primis & immediatis, ut dictum est, de huiusmodi propositionibus, quæ nam sint, paulò altiùs repetere operæpretium est. Itaq; dicimus ex Aristotele & Themistio, quòd Propositio immediata est, quæ & prima & summa dicitur. Prima quidem, ut qua non est alia prior: Summa uerò, ut qua non est superior alia. Immediata igitur dicta est, ut quæ alia demonstratione confirmari non possit. Quo fit, ut huiusmodi propositiones primæ etiam principia appellentur, Sed de his mox plura suo loco. Cùm igitur fit syllogismus per primas & immediatas rei causas, hæc demonstratio propter quid dicitur: cùm uerò per causas quidem, sed non immediatas, aut per prima quidem & immediata, sed non quæ causæ rei sunt: huiusmodi demonstratio uocatur, quia est. Sanè prima & immediata causa est, quæ affectioni, quæ quidem de re

de re quapiam demonstranda proponitur, æquatur, atq; cum ea conuertitur: ut cùm per definitionem rei subiectæ propria ei inesse affectio demonstratur. Prima uerò & non immediata causa est, quæ diffusior est & magis ampla, & quæ in his præcipuè scië tijs locum habet, quæ subalternatæ dicuntur, ut in Perspectiua, quæ Geometriæ subalternata est. Ergo quicunque probat arbores, frugésque non spirare, quia pulmo his desit, is scire dicitur propter quid, quòd pulmo proxima & immediata ratio & causa sit spirationis. Qui uerò idem facit per hoc quòd nō sunt animalia, hic iam scire illud dicitur, quia est. Nam hæc probatio non de proximo, sed de longinquo cōmeat. Ita & Anacharsis, cùm percontanti cuipiam, quare Scythia tibicines non efficiat, respondisset, quia Scythia uitem non ferret, causam reddidit remotissimam. Nam proxima huius causa erat, quòd Scythæ temulenti non fierēt: causa item huius, quia temetum non haberent: huius denique, quia uites essent illis negatæ.

RAIIANVS.

Cùm igitur) Demonstratio propter quid dicitur, quæ ostendit causam cur res sint, & progreditur à causa immediata ad effectum: vt omne animal rationis particeps est risus capax, omnis homo est animal rationis particeps, ergo omnis homo est risus capax.

Cùm verò) Dicta est demonstratio, quia est, eo quòd præmissæ conclusionem esse, sed non cur ita sit, ostendant. Hæc fit duobus modis: primo, cùm procedimus à causa remota ad effectum: secundo, cùm ab effectu ad causam. Hac de re Aristoteles disser

differit decimo cap. primi posteriorum.

Subalternæ dicuntur) Philosophantes duplicem scientiam nobis excogitauerunt, subalternatam & subalternantem. Scientia subalternata est, quæ sub alia continetur, à qua sua mutuatur principia: vt medicina sub naturali, iurisprudentia sub morali, musica sub arithmetica, perspectiua sub geometria. Ex hac scientia subalternata sumuntur demonstrationes, quia est. Subalternans scientia dicitur, quæ suppeditat principia aliis scientiis, vt moralis philosophia iurisprudentiæ & ex hac sumuntur demõstrationes exquisitæ: hæc sunt, quæ vulgò in scholis recepta sunt, quæ ego vt nolo per omnia probare, ita nec etiam improbare. Illud tantùm dicam, si in vtraq; scientia, & subalternante & subalternata, sunt principia, genera subiecta, & affectiones propriæ: cur non fiant in vtraq; exquisitæ demonstrationes, non video.

Ergo) Hic syllogismus sic est cõtexendus: Quicquid respirat, habet pulmonem: arbores non habẽt pulmonem, ergo non respirant. Est demonstratio in secundo modo secundæ figuræ, ex quo exemplo colligere possumus, etiam in secunda figura exactam fieri demonstrationem.

GLAREANVS.

Quid sit propositio immed.) Propositio dupliciter dicitur immediata. Vno modo, qua nihil est prius, neque notius: & hoc modo duntaxat Metaphysica principia sunt immediata: vt, Omne totum est maius sua parte. Altero modo, qua nihil est prius vel notius in tali scientia, determinata videlicet: vt

in Dialectica, Genus est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, &c. Et hoc modo cuiuslibet scientiæ principia sunt immediata. Priores propositiones Aristoteles vocat dignitates, posteriores autem positiones: quas deinde in suppositionem & definitionem subdiuidit: quarum altera significat esse, & non esse: vt, Omnis homo est animal, Nullus homo est lapis. Altera nec esse, nec non esse: vt, Animal rationale. De his cap. 12.

Quid sit dici de omni, & quid item per se.

RVrsus autem, quoniam propositio omnis ex subiecto aliquo & prædicato cõnectitur, scire conuenit, prædicatum in demonstrandis propositionibus non utcunq;, sed per se de subiectis dici oportere: quare quid sit hoc, quod per se uocatur, protinus dicendum est. Interim *tamen absoluere prius licebit id, quod de omni prædicari hoc loco dicitur.* Nam *absque hoc id quod per se prædicari dicitur, explicari probè non potest.* Prædicari *igitur de omni (ut breuißimè dicam) est, cùm prædicatum subiecto & omninò & semper inesse significatur: nec quicquam refert, siue substantiæ siue accidentis proprij quidē & inseparabilis rationem habeat id, quod prædicatur: ut,* Omnis *homo est animal, & omnis cygnus est albus.* Per *se uerò dicuntur, quæ sunt in eo quod quid est: ut triangulo per se linea inest, & lineæ punctus: & arbor item platano.* Nam *ut ex linea trianguli, ita ex arbore ipsius platani substantia, ratióq; substantialis constat.* Cæ*terùm non omne quod de omni prædicatur, etiam per se prædicatur.* Quippe *de omni cygno candidum dicitur, quia & semper & omni cygno inest: non tamen in eo quod quid sit, cygno inesse*

inesse dicitur. Ex his igitur, quæ dicta sunt, patet, propositionem per se eam dici, in qua prædicatum est aut definitio subiecti, ut homo est animal rationale: aut definitionis pars aliqua, ut homo est animal, uel homo est rationalis.

RAIIANVS.

Prædicari igitur) Id de omni hoc loco prædicatur, quod secundum rem inest omni subiecto. Hoc autem duobus modis contingit: primo, quãdo prædicatum est de essentia subiecti, vt genus, species, differentia: secundo, quando est proprium quarto modo, vel accidens inseparabile. De omni verò, vt in libris priorum sumitur, est quando prædicatum vel secundum rem, vel secundum opinionem omni subiecto inest: vt, omne animal respirat.

Per se) Strictiùs hîc sumitur per se, quàm de omni. Nam id quod per se dicitur, ad essentiam pertinet: id verò quod de omni, etiam extra essentiam esse potest.

Nam vt) Est enim triangulus figura plana, tribus lineis comprehẽsa: linea verò longitudo, cuius duo extrema sunt duo puncta.

GLAREANVS.

Quid sit dici de omni, & quid item per se) Prosequitur nunc tres conditiones eorum, quæ demonstrationem ingrediuntur. Neque enim demonstratio fit ex quibuslibet præmissis, sed ex præmissis certo modo dispositis, vt sint de omni per se, & secundum quod ipsum, id est vniuersalia. Hæc autem tria respiciunt propinqua materialia syllogismi de-

monstratiui principia: cùm illa tria, de quibus capite 11. dicetur, remota respiciant.

Ex his igitur) Omnia superiora in recta linea prędicamentali de inferioribus prædicata, sunt in primo modo per se.

Quot sint modi eorum, quæ per se sunt.

Eorum porrò quæ per se sunt, quatuor ab Aristotele & Themistio modi traduntur, quorum præter tertium reliqui tres propriè per se dicuntur, qui & distinguuntur, & dignoscuntur extremis propositionum ad se inuicem collatis. Primus igitur modus est, cùm prædicatum propositionis est de ratione quid est dicente subiecti, aut ipsamet ratio subiecti: ut, homo est rationalis, uel homo est animal rationale. Secundus uerò, cùm subiectum est de ratione quid est dicente prædicati: ut, numerus est par, & numerus est impar. Cui Themistius hoc addit, dicens: Aut quoties accidentia sunt, in quorum definitionibus subiecta collocantur, quomodo simũ esse per se naso inest, nempe simitudo nasi curuitas definitur. Tertius modus est eorum, quæ neq; per aliud sunt, neq; in alio continentur, ut indiuidua substantiæ. Quartus denique modus est, cùm subiectum causam importat, ob quam causam prædicatũ ei competit: ut iugulatus interijt. Sanè ex his quatuor modis priores duo sunt, qui demonstrationibus accommodabiles præcipuè sunt. Sequentes uerò duo adiecti ab Aristotele uidentur (ut Themistius opinatur) amplificandi, exornandiq; gratia.

RAIIANVS.

Eorum) Locus hic est apud Aristotelem quarto capite primi libri posteriorum: Primus modus est, quan

quando id quod ſubiecto attribuitur, pertinet ad formam eius: & quoniam finitio ad formam pertinet, ea omnia ſunt per ſe primo modo, quæ ſunt vel tota finitio ſubiecti, vel pars finitionis.

Secundus verò) Hoc ſecundo modo ea accidentia per ſe dicuntur, in quorum finitionibus ſubiecta ponuntur, vt exempla textus declarant.

Tertius modus) Hoc modo primæ ſubſtantiæ per ſe dicũtur, idq́; propriè: nam omnium aliorum ſunt ſubſterniculum.

Quartus) Subiectum continens cauſam prædicati, hoc modo per ſe dicitur, vt iugulatio eſt cauſa interitus.

Sanè ex his) Huius loci ratio eſt, quia ea quę ſunt per ſe primo modo & ſecundo, etiam per ſe prædicantur: ſed ea quæ dicuntur per ſe aliis modis, per ſe non prædicantur. adhæc, ea quæ ſunt per ſe quarto modo, non ſemper cauſam neceſſariam prædicati ſignificant.

GLAREANVS.

Sanè ex his quatuor modis) Per præpoſitio in primo modo conſignificat habitudinem cauſæ formalis: eſt enim definitio formalis, cauſa definiti. In ſecundo, habitudinem cauſę materialis, ſaltem in qua vt corpus eſt coloratum. In tertio autem, ſolitudinem. In quarto modo, habitudinem cauſæ efficientis. Primi duo modi vocantur prædicandi, tertius eſſendi, quartus cauſandi. Cæterùm in demonſtratione vera, in maiore eſt ſecundus modus, in minore primus, in concluſione quartus: & impropriè tertius, quia in ſubiecto.

Quid sit uniuersale, siue uniuersaliter dici.

Dicendum quoq; quid sit, quod hîc uniuersale dicitur. Vniuersale Aristoteles definit id, quod cùm de omni sit, & per se inest, & quatenus ipsum. Eodem plane modo & Themistius ipsum definit: Vniuersale, inquit, appello, quod de omni, & per se, & quatenus ipsum est, dicitur. Quapropter si quæ de omni dicantur, non tamẽ propterea necesse est, ut uniuersaliter statim sint. Siquidem albũ de omni cygno, & atrum de omni coruo affertur, attamen haudquaquam uniuersaliter, quia neq; per se, neq; quatenus ipsum. Vnde & exploratum iam haberi potest, idem esse & uniuersale, & quod per se dicitur. Exempli gratia: Inest per se lineæ longitudo, quia in definitione eius affertur: Inest etiam quatenus ipsa est. Neque uerò si quæ per se sunt, continuò sequitur: ut etiam uniuersaliter sint. Nam quæ secundo aut sequentibus duobus modis per se sunt, uniuersaliter esse non possunt. Sed ut definitio eius quod hîc uniuersale dicitur, accuratißima absolutaq́; & completa reddatur, adijcienda est particula Primum, ut id scilicet dicatur uniuersale. quod est de omni, & per se, & primum. Itaq; propositio uniuersalis hoc loco dicitur, in qua prædicatum subiecto & omni, & per se, & primo inest. Verbi gratia: esse animal rationale, homini adest primum, non quatenus animal, sed quatenus homo, nec quatenus Socrates aut Plato, sed his inest secundo loco, quia sub homine continentur. Vniuersaliter igitur inesse dicitur, quod omni & per se & primum inest.

RAIIANVS.

Dicendum quoq;) Locus hic est apud Aristotelem quarto capite primi libri posteriorum. Vt autẽ

hoc

hoc loco aliquid dicatur vniuersale, necesse est prædicatum insit omni subiecto necessariò, & cum eo conuertatur, vt est proprium vel finitio.

Vnde & explotatum) Existimo, nisi vehementer fallor, hîc legendum esse, idem quatenus ipsum & quod per se dicitur. Nam hæc propositio, Homo est animal, est per se primo modo: & hæc, Numerus est par, secundo modo: neutra tamen est vniuersalis. Aristoteles etiam quarto capite primi libri Posteriorum disertè docet, per se & secundũ quod ipsum idem esse. τὸ καθ' αὑτὸ δὲ καὶ ᾗ αὐτὸ, ταὐτὸν, οἷον καθ' αὑτὸ τῇ γραμμῇ ὑπάρχει στιγμὴ, καὶ τὸ εὐθύ. Hoc est: Per se autem & secundum quod ipsum est, idem est: vt per se lineæ inest punctum & rectum. Neque Aristoteles ibi dicit vniuersale & per se idem esse. Obseruet tamẽ studiosus lector, etsi per se & quatenus ipsum idem sunt in exemplis adductis ab Aristotele & Cęsario, non tamen in omnibus hoc verum esse. Nam habere tres angulos æquales duobus rectis, per se inest Isosceli, sed non quatenus ipsum, vel quod idẽ & primum. Hunc autem locum sic legendum esse, idem esse quod per se dicitur, & quatenus ipsum, ex exemplo Cæsarij perspicuum est. Nam longitudo, inquit, per se inest lineæ, & etiam quatenus ipsa est. Obstinatè & præfractè nihil defendo: lectorem admoneo, liberum relinquens cuiq; suum iudicium.

Verbi gratia) Sic habere tres angulos æquales duobus rectis, primo inest triangulo, non quatenus est figura, nec quatenus Isosceles, sed quatenus triãgulus.

GLAREANVS.

Quod est de omni, &c.) Per primum intelligitur conuertibilitas: quia habere tres angulos duobus rectis æquales, primum, id est, conuertibiliter conuenit triangulo. Figuræ autem & Isosceli inæqualiter: figura enim excedit, Isosceles exceditur. Simile est, risibile homini cõuenit adæquatè, ab animali exceditur, Socratem excedit.

Quòd demonstratio sit ex necessarijs, quódq; sit perpetuorum: quid item definitio ad demonstrationem.

His ita cognitis, manifestum est demonstrationem ex necessarijs constare. Nam cùm scientia per demonstrationem acquisita ex his fiat, quæ aliter fieri non possunt, consequens est eam ex necessarijs omninò confieri. Huiusmodi autem maximè ea sunt, quæ per se & uniuersaliter adsunt. Ad hoc rursus argumento est illud, quòd quoties demonstrationem aliquam euertimus, illa uti solemus infirmatione, quòd ea quæ sumpta sunt, necessaria non uideantur. Ex quo & illud sequitur, conclusionem uidelicet demonstrationis perpetuam esse, nullamq; demõstrationem caducorum, corruptibiliumq; & fortuitorum. Nam quæ confirmatio esse potest ipsius conclusionis, cuius subiectum dissolubile caducumq; habeatur, & cui prædicatum neq; semper, neque omninò simpliciterq;, sed modò insit, modò non insit: uerbi causa, inest Socrati ut animal sit, sed non tantùm, nec quia Socrates est, sed quia homo est. Atqui homo semper est, non autem semper Socrates. Et quemadmodum igitur demonstratio caducorũ non est, ita nec definitio. Quandoquidem definitio uel demonstrat

strationis principium est, uel demonstratio solo situ differens, uel demonstrationis conclusio. Principium quidem, ut cùm uel pro immediata propositione, uel pro termino in propositione huiusmodi desumitur. Situ uerò solo à demonstratione differens est, quoties talis definitio est, quæ causam rei, quòd ita sit, contineat: ut hæc, Deliquium solis est occultatio luminis eius, ob lunam ei oppositā atq; subiectam. Definitio hæc ordine paulùm mutato, in demonstrationem commeat, hoc pacto: Luna subijcitur atq; opponitur soli: quod autem subijcitur atq; opponitur, occultat: luna igitur subiecta atq; opposita solem occultat. Conclusio porrò demonstrationis, ea est definitio, quæ causam materialem attingit. Vnde & hæc quidem materialis, illa uerò formalis à quibusdam appellatur definitio.

RAIIANVS.

His ita cognitis) Prima ratio docens demonstrationem confici ex necessariis. Effectus demonstrationis est necessarius (scilicet ipsa scientia) ergo etiam principia sunt necessaria: id enim quod necessarium est, per necessaria scitur.

Ad hoc) Secunda ratio à signo sumpta. Sic enim colligere consueuerunt Dialectici: Demonstratio hæc non constat ex necessariis, ergo est euertenda. Indicium igitur, hoc est, demonstrationem ex necessariis esse debere.

Ex quo) Conclusio conficitur ex necessariis, ergo est necessaria.

Nullamq; demonstrationem) Aristoteles uicesimonono capite libri primi posteriorum, hac ratione probat fortuitorum non esse scientiam: Omnis

demonstratio vel est necessariorum, vel eorum quæ frequenter eueniũt: sed fortuita nec necessariò, nec frequenter eueniunt: ergo eorum non est scientia.

Demonstrationis principium) Vt in hac demonstratione: omne aptum natum ridere, est risibile: omnis homo est aptus natus ridere: ergo omnis homo est risibilis.

Situ verò) Finitio hæc ita in demonstrationem commeat: quicquid opponitur soli, occultat solem: luna opponitur soli: ergo occultat solem.

Conclusio) Vt finitio materialis tonitrui, restinctio ignis in nubibus: ita per formalem demonstratur, quotiescunque est sonitùs elisus in nubibus, est restinctio ignis in nubibus: atqui nunc est sonitus elisus in nubibus, ergo nunc est restinctio ignis in nubibus.

GLAREANVS.

Vnde & hæc quidem materialis) Iræ finalis siue formalis definitio: Ira est vindicta illatæ iniurię. Materialis: Ira est ebullitio sanguinis circa cor. Quæ duæ definitiones in vnam conflatæ, duas demonstrationes efficere possunt, Propter quid, si finalis materialem ostendat: Quia est, si contrà materialis finalem. Prioris exemplum: Omnis vindicta illatæ iniuriæ, est ebullitio sanguinis circa cor: Sed ira est vindicta illatæ iniuriæ: Ergo ira est ebullitio sanguinis circa cor. Posterioris: Omnis ebullitio sanguinis circa cor, est vindicta illatæ iniuriæ: Sed ira est ebullitio sanguinis circa cor: Ergo ira est vindicta illatæ iniuriæ.

Quòd

Quòd tria ſint, quæ ad demonſtrationem omnem requirantur, & quot modis horum vnumquodq; prænoſcatur.

CVm autem tria ſint ueluti momenta quædam in unaquáque demonſtratione, ut id ab Ariſtotele & Themiſtio traditur, quibus uidelicet omnis ſcientia abſoluitur: primum, gĕnus ſubiectum, ut numerus, aut triãgulus. ſecundum, affectiones, quæ & propriæ paßiones à quibuſdam dicuntur, & ſubiecto generi ineſſe demonſtrantur, ut paritas & imparitas numero, & tres angulos æquales duobus rectis æquipollere triangulo: tertium principia. Ex his, inquam, genus quidem ſubiectum ſtatuere oportet, ut ſint affectiones, quid ſignificent, quorũ utrumque principia & dignitates deſiderant: nam & ut ſint, & quid ſignificent, antequàm demonſtrationes fiant, ſciẽdum eſt. Principijs itaq; utraque prænotio neceſſaria eſt. Nec tamen me fugit, quædam ex principijs eſſe, quæ non ſtatim cognitis terminis explorata habeantur, ſed obſcuriora paulò, declaratione proinde probationeq; aliqua, nempe dialectica, indigentia: quippe quæ fiat uel per inductionem, uel per diuiſionem: atque id nimirum eſt, quod Ariſtoteles ait Dialecticæ proprium eſſe & peculiare, ut cùm ſit inquiſitiua, ad omnium methodorum principia uiam habeat.

RAIIANVS.

Cùm autem) Locus eſt apud Ariſtot. 7 cap. lib. poſteriorum. Genus ſubiectum in demonſtratione vocat Aritoſt. non quod eſt alicui ſcientiæ aſtrictũ, ſed ſubiectum concluſionis, de quo propriam paſſionem demonſtramus.

Vt paritas) Id hoc modo fiet: omnis multitudo ex vnitatibus collecta, est par vel impar: omnis numerus est multitudo ex vnitatibus collecta: ergo omnis numerus est par vel impar. Quęstio hoc loco existit: par & impar sunt differētię numeri, vt docet Aristot. 2. ca. 3. li. Topicorū, ergo non sunt accidentia. Ad hanc quęstionem respōdere poterimus: par & impar apud Aristot. modò pro contrariis immediatis, exēpli loco asignata esse: modò pro propria passione, nimirum cùm sub disiunctione sumūtur.

Et tres angulos) Hoc sic demonstratur omnis figura plana tribus lineis comprehensa, habet tres angulos æquales duobus rectis: omnis triangulus est huiusmodi: ergo habet tres angulos æquales duobus rectis.

Quorum vtrunq;) Hic locus omnino pugnare videtur cum eo, qui est apud Aristotelem 1. cap. 1. libri posteriorum, vbi Aristotel. docet vtranq; præcognitionem generi subiecto attribui. Illud sic accipiendum puto. Præcognitio quia est, attribuitur principiis quatenus complexa sunt. Ea enim cognoscere oportet, quia sunt, hoc est, quia vera sunt. Sic intelligendus est locus Aristotelis 8. cap. 1. lib. posteriorum: Principia dicuntur, quæ cùm sint, non contingit ea demonstrare, hoc est, cùm vera sint. Præcognitio quid est, attribuitur principiis respectu terminorum, ex quibus principia componuntur.

GLAREANVS.

Quòd tria sint, quæ ad demōstrationē, &c.) Hæc tria in hoc capite respiciūt propriè terminos treis in demōstratione: cùm illa tria, de quibus ca. 7. respici

ſpiciant qualitatem præmiſſarum. Quaſi diceres, Hæc tria in hoc cap. reſpiciunt remota ſyllogiſmi demoſtratiui principia materialia, illa verò propinqua: quia pręmiſſarum qualitatem. Et ſunt de omni, per ſe, & vniuerſale.

Ex his, inquam, genus quidem ſubiectum) Ariſtoteles primo libro poſteriorum Analyticorum, aliquando iſta tria vocat his nominibus, Concluſionē, dignitatem, & genus ſubiectum: vt vbi loquitur de deſcenſu generis in genus. Deinde poſt aliquot folia hæc tria habet nomina, Genus, dignitas, paſſio. Sed ſubiectū quatuor habet nomina, paſsio tria, dignitas decem, vt hoc patet typo.

Genus ſcibile,
Materia circa quam
Obiectum.
4 SVBIECTVM. } Idem

Affectio.
4 PASSIO.
Concluſiō. } Idem

4 DEFINITIO, ſubiecti.
Dignitas
Maxima
Propoſit. maxima
Principium
Primum principium
Propoſit. per ſe nota
Cōmunis animi conceptio.
Cauſa
Medium. } Idem

De principijs, & eorum multiplici differentia.

PRincipia in unoquoque genere ſunt (quemadmodum & Ariſtoteles ea definit) quæ quòd uera ſint, non contingit demonſtrari. Rurſus & hoc modo: Principia ſunt, quæ per ſe, & non per alia fidem habent. Per alia quidem idcirco adiectum eſt, ut intelligamus ſcientiæ cuiuſque principia eſſe, quibus in eadē ſcientia nihil prius

ſuperi

ſuperiusq́; ſit, per quod confirmari explicariq́; poßint. Nã ſi hæc quoq; comprobare neceſſe fuerit, rationem hanc in infinitũ tandem extrahere oportebit. Quare ſi id neceſſe non eſt, ſed ſubiacent, ſupponunturq́; hæc tanquã notißima, meritò principia ſtatuãtur dicanturq́;. Ex his autẽ alia quidẽ propria uniuſcuiuſq; ſcientiæ ſunt, alia uerò cõmunia. Propria quidẽ, ut in Geometria, lineã eſſe longitudinẽ ſine latitudine. Et in Dialectica, De quolibet uera eſt affirmatio uel negatio, de nullo uerò ſimul. Communia autem, ut ſi ab æqualibus æqualia demas, remanentia ſunt æqualia. Item, quæcunq; uni & eidem ſunt æqualia, ipſa inter ſe ſunt æqualia. Communia idcirco dicta, quòd pluribus et his etiam diuerſis ſcientijs applicari poßint. Talia quoq; ſunt & Dialectica quædã principia, ut ſi quid prædicatur de definitione, idem & de definito prædicatur, &c. eiuſmodi. Porrò ex principijs, quæ propria alicuius ſcientiæ ſunt, hæc quidem dignitates ſiue proloquia dicuntur, hæc uerò poſitiones. Dignitates quidem dictæ ob id, quòd iure illis fides habenda ſit. Nã talia principia ſunt, quæ ſtatim quiſq; audita probat, & quæ quemlibet diſcentem natura habere neceſſe eſt: quod profectò nihil aliud eſt, quàm illis (eorum tantùm cognitis terminis) intellectũ noſtrũ naturali lumine protinus aſſentire. Cuiuſmodi illud eſt, Totum unum quodlibet maius eſt qualibet ſua parte. Dicuntur rurſus & maximæ, ſiue maximæ propoſitiones, & communes animi conceptiones, quòd multorum ſcilicet intellectu facilè percipiantur. Poſitiones uerò ſunt principia, quæ cùm demonſtrari non poßint, neceſſe tamen non eſt, quemlibet docendum ea habere. Ex ipſis rurſus quædam ſuppoſitiones dicuntur, quædam definitiones. Suppoſitiones quidem, quæ aut eſſe, aut non

esse significant, ut punctum esse Geometra supponit. Definitiones uerò, quæ absq; eo quod est esse, uel nõ esse, quid sit res indicant. Porrò suppositionũ aliæ quidem dicũtur petitiones siue postulata, aliæ uerò suppositiones assumptæ. Petitiones siue postulata sunt, quæ hypothesibus ponẽdis maximè accõmodantur aptãturq;: ut quoties data propositione quapiã, eius deinde petitur à discente contraria siue contradictoria concedi, idq; interim disciplinæ gratia, ne quid scilicet in disciplinis absurdum ponatur, aut earum principijs repugnans. Assumptæ demum propositiones dicuntur, quum præmissæ demonstrationum assumuntur. Vt ad demonstrandum, quòd demonstratio omnis ex ueris procedat, assumitur à docente, quòd falsum non scitur, & quòd uerum non scitur, nisi ex ueris. At de principijs quidem hactenus, quib. colligendis haud parum mihi profuit cõmentarijs suis Iudocus Clichthoueus in Iacobũ Fabrum Stapul. uir apprimè doctus, & inter scholasticos quoq; Theologos, partes si non primas, secundas tamen haud dubiè obtinẽs. Cæterùm ab his demonstrabiles propositiones θεωρήματα à Græcis appellantur, quæ Latinis speculationes dici possunt.

RAIIANVS.

Principia) Locus hic paulò antè explicatus fuit. Illud obseruandum, principia cuiusq; scientię non posse probari per alia principia notiora illius scientiæ, sed Dialectica ratione, aut metaphysica. Qua methodo vtitur Aristot. li. 1. de physico auditu cùm antiquorum philosophorum opiniones refellit, & 4. lib. primæ philosophiæ.

Ex

Ex his) Prima diuisio. Principiorū quędam sunt propria, quædam communia. Propria alicui certæ ſcientiæ addicta ſunt, vt hoc in Dialectica, contradicentia non poſſunt ſimul eſſe vera. Hoc in morali philoſophia, cupiditates indomitæ abſtinentia vincuntur. Communia dicuntur, quę per ſe nulli ſcientię addicta ſunt, ſed tamen cōtrahuntur ad certum genus ſcientiæ, vt ſi ab æqualibus æqualia demas, remanentia ſunt æqualia, ſic contrahitur ſi ab ęqualibus numeris, &c.

Porrò) Secunda diuiſio: principiorum propriorum quædam ſunt dignitates, quædam poſitiones, hæc ſatis dilucidè à Cæſario explicantur.

Ex ipſis) Tertia diuiſio: poſitionum quędam eſt ſuppoſitio, quædam eſt finitio.

Porrò) Quarta diuiſio: ſuppoſitionum alię ſunt petitiones, aliæ ſuppoſitiones aſſumptæ. Ex his diuiſionibus hæc exoritur difficultas. Si finitio eſt poſitio quædam ergo eſt propoſitio: ſed nō eſt propoſitio, ergo neq; poſitio. Hūc ſcrupulum Themiſtius ſubmouiſſe videtur. Finitio ſi cū finito & verbo ſumatur, facilè in propoſitionem commeat.

GLAREANVS.

De principiis, & eorum multiplici differentia) Propriè loquendo, ſcientia eſt concluſionum, ſed intellectus eſt principiorum. Quia autem concluſio ſcitur per principia. Principia ipſa non ſciuntur per alia principia, ſed ſtatim cognitis terminis noſcuntur. Ergo nō ſimpliciter omnis ſcientia eſt per demo

demonſtrationem. Quinimò principiorum immediatorum eſt ſcientia indemonſtrabilis, hoc eſt cognitio neutiquam per demõſtrationem accepta, alioqui eſſet proceſſus in infinitum, cùm oporteat principia ſemper notiora eſſe concluſione.

Dignitates quidem dictæ od id) Dignitas eſt propoſitio ſimpliciter indemõſtrabilis, & quam neceſſe eſt habere quemlibet qui doceri cupit. At poſitio eſt oratio, quam non eſt neceſſe habere, qui diſcere cupit: Oratio inquam indemonſtrabilis, in determinata aliqua, at in altiori demonſtrari poteſt. Item dignitas conſtruitur ex ſpecialibus. Dignitati neceſſe eſt omnem addiſcentem aſſentiri, non autem poſitioni: dignitas per ſe nota eſt, nõ autem poſitio. Dignitas per ſe ipſa videtur interiore ratione, non exteriore: poſitio contrario modo ſe habet. Contra dignitatem non fit inſtantia, ſed bene contra poſitionẽ. Omnes tamen ſunt neceſſariæ propoſitiones, & veræ.

Petitiones, ſiue poſtulata ſunt) Apud Euclidem lib. 1. ſunt quinq; poſtulata. Quale primũ eſt: Ab omni ſigno ad omne ſignum lineã ducere. Secundum: Rectam lineam in continuum producere.

Ceterùm ab his demonſtrabiles propoſitiones) Θεώρημα, id eſt, ſpeculatio, propoſitio apud Euclidẽ, quæ dicit quid ita eſſe: ut, Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Problemata verò dicuntur, quæ iubent quid facere: ut, Super datam lineam triangulum conſtituere.

Digni

Principiorum immediatorũ aliud vocatur

- Dignitas, quæ est propositio simpliciter indemonstrabilis, & quã necesse est habere quemlibet docendum.
- Positio, quæ est indemonstrabilis indeterminata scientia, nec est necesse habere quemlibet docendum. huius alia est
  - Definitio, oratio est, quæ nec esse, nec non esse significat per se quidem, sed cum cõiuncto definito: vt, Animal rationale.
  - Suppositio. est, cui addiscens assentitur.
  - Petitio. est, cui addiscẽs nec assentitur, nec dissentit.
  - Quæstio. est, cui addiscens dissentitur.

Quòd per quatuor causarum genera demonstratio potissimùm fiat.

QVoniam autem omnis demonstratio ex principijs fit, principia autem & causæ idem: illud quoq; iam dicere oportet, quòd causæ numero quatuor sunt. Vna quidem quod quid est esse, hoc est, substantiæ ratio formaq; & definitio. Secunda uerò, quæ cùm est forma, ut ipsa sit necesse est. Hæc autem materia est. Nam non potest sine subiecta materia forma subsistere. Tertia autem, unde initium fit motus, quæ est efficiens causa. Quarta uerò, cuius gratia quippiam fit, idq; finis est rei cuiusque. Sanè omnes hæ causæ in demonstrationibus spectantur, & medij in his termini sunt. Ac ratio quidẽ ipsa substantiæ quemadmodum in demonstrationem ueniat, sumaturq;, priùs dictũ est, uidelicet cùm dicebatur, definitionem demonstrationis esse principium, uel ab ipsa demonstratione solo

ſitu differentem. Materia uerò hoc modo redditur, cùm quæritur, quamob rem animalium corpora conſumantur corrumpanturq́; quia ex contrarijs conſtant. Omne ſiquidem, quod ex contrarijs conflatum eſt corrumpi natum eſt. Redditur & primum mouens, ſi quæratur, quare mundus eſt miranda pulchritudine, quia Deus opifex & ipſe pulcherrimus ſit. Redditur item finis, ſi quis ſciſcitetur, propter quid Deus fabricatus eſt mundum, quia bonus eſt. & quamobrem quiſpiã uxorem ſibi ducendam ſtatuit: nempe ut liberos habeat.

RAIIANVS.

Quoniam autẽ) Principium & cauſa idem ſunt, ſi generaliter ſumantur, non autem ſi propriam ſignificationem ſpectemus. Nam punctum eſt principium lineæ, non tamen eius eſt cauſa. Videndi ſunt Ariſtotelis interpretes ſtatim in veſtibulo 1. lib. de phyſico auditu.

Vna quidem) Hæ finitiones cauſarum ſunt apud Ariſtot. 11. cap. 2. lib. poſteriorum.

Materia verò) Ex cauſa materiali non fit exacta, vt videtur, demonſtratio. Nam omnis demonſtratio componitur ex notioribus, materia verò per ſe ignota eſt.

GLAREANVS.

Secunda verò, quæ cùm eſt forma) Alij ita exponunt: cùm ſit materia, neceſſe eſt formam eſſe: verùm de materia, diſpoſita vltima diſpoſitione intelligũt. Sed Cæſarius videtur loqui cum Ariſtotele, cuius hæc ſunt verba: *μία δὲ, τὸ τίνων ὄντων ἀναγκη τῦτ' εἶναι*. id eſt, Vna verò, cùm hæc ſint, neceſſe eſt hoc eſſe.

Quo pacto scientia ab opinione differat.

SEquitur hinc iam ut dicamus, quò nam pacto ab opinione differat scientia. Differt autē hæc ab illa modis duobus, rebus inquam subiectis, & genere probandi. Rebus quidem subiectis, quòd scientia quidem eorum est, quæ necessaria sunt, & aliter sese habere non possunt. Opinio autem & eorum, quæ falsa plerunq; sunt, & aliter se habere possunt, licet uera sint. Genere uerò probandi, quòd scientia quidem ex necessarijs proficiscitur propositionibus: opinio uerò ex poßibilibus contingentibusue, quæ nimirum neq; ad scientiam, neq; ad intellectum pertinent, qui principiorum habitus ab Aristotele definitur. Quare si habitus omnis, quo uera cognoscuntur, aut scientia est, aut intellectus, aut opinio: relinquitur opinionem earum rerum esse, quæ tametsi ueræ aliquando sunt, secùs tamen esse possunt.*

RAIIANVS.

Sequitur hinc) Scientia est habitus conclusionis necessariò ex principijs collectæ: opinio autē assensus alicuius propositionis, sed absque certitudine & omnimoda firmitate. Sic Aristot. 26. cap. 1. li. posteriorum: vt scientia est necessariorū, ita opinio contingentium.

Quare si habitus) Sic Aristoteles 6. cap. 6. li. Ethicorum, & vltimo cap. 2. lib. posteriorum: Scientia, prudentia, sapientia sunt habitus ipsius intellectus, quibus semper vera dicimus. & quemadmodum intellectus est habitus principiorum, ita sapientia est habitus conclusionis & principiorum.

GLAREANVS.

Quo pacto scientia ab opinione differat) Aristoteles

teles ad finem libri primi posteriorum Analyticorum, tria hæc, intellectum, opinionem, ac scientiã, hoc modo discriminat: Intellectus, est acceptio propositionis immediatæ necessariæ: vt Omne totum est maius sua parte. Opinio, est acceptio propositionis immediatæ non necessariæ: vt Omnis homo est misericors. Scientia est acceptio propositionis mediatæ necessariæ: vt, Omnis homo est risibilis. Alij hæc ita digerunt: Intellectus est per nullum medium. Opinio autem per medium contingens, & variabile. Scientia verò per media necessaria, & non contingentium se aliter habere. Item alij sic: Intellectus est principiorum: vt, Omne totum est maius sua parte. Opinio, probabiliorum, sed cum formidi ne de opposito: vt, Omnis mater diligit filium. Scientia est conclusionum.

Quare si habitus omnis) Tres sunt habitus veri: Intellectus, qui est circa principia necessaria, homini inexistens à natura, per quem intelligit prima principia: Scientia, quæ est circa conclusiones veras: Opinio, quę se habet ad verum, sed non necessarium, quia sæpe falsum.

Nota tres conclusiones. Prima: Vnus homo eodem tempore, de eodem, non potest habere simul scientiam & opinionem. Secunda: Diuersi homines, eodem tempore, de eodem, vel etiam temporibus diuersis, possunt habere vtranque. Tertia: Vnus homo, diuerso tempore, de eodẽ, potest habere & scientiam, & opinionem.

Quòd duplex sit ignorantia, & quid sit solertia.

IGnorantia porrò, quæ scientiæ in totum opponitur, duplex ab Aristotele esse traditur. Vna quidem, cùm alicuius rei penitus rudes ignariq; sumus, puerorum instar, quæ ob id ignorantia secundum negationem dicitur: altera uerò, quæ affectionis ignorantia uocatur, quoties quis rudis quidem omnino non est, sed falsam illius rei, quam tenere se putat, scientiam opinionémue habet. Dicta est autē hæc ignorantia affectionis, quòd cui contingit, illius animus persuasione quadam affectus sit. Putat enim se scire aliquid, quod tamen nescire melius esset: idq; aut per simplicem apprehensionē, aut per syllogismum. Vnde & ab eodem Aristotele dicta est, partim per syllogismū facta deceptio: partim in sensu error & hallucinatio. Tales profectò sunt barbari omnes, & sophistæ, qui cùm omnia intelligere uideri uelint, nihil intelligunt, nisi suo more omnia, hoc est, corruptè. Præterea ab Aristotele definitur solertia, subtilitas quædam in non prospecto tempore medij inueniendi. Vel sic, Solertia est sagax, repentináq; coniectatio inuentióque medij: ut si quis uidens lunam, eam quidem partem, quæ solem uersus semper deuergit, lucidam habere intellexerit ob id, quia luna splendorem à sole mutuetur. Aut si quempiam quis cum numulario argentarióue colloquentē uidens, intelligat statim uersurā eum facere, & causam omnino fœneratitiam esse: hæc tum coniectatio solertia est.

RAIIANVS.

Ignorantia porrò) Locus hic est apud Aristotelem 12. cap. 1. lib. posteriorum. Ordinis ratio hæc est: postquàm Aristot. disseruit de syllogismo demōstratiuo, per quem scientiam acquirimus, prosequitur

tur deinde disputationem de syllogismo, ex quo oritur ignorantia, vt eo cognito ne nos labi, errare, & decipi contingat. Etsi enim rectum est iudex sui, & obliqui: perutile tamen est, & bonum & malum nouisse, vt illud sequamur, hoc vitemus. Quam sententiam Xenophon mirificè lib. 1. Κύρου παιδείας sub persona Socratis docet. Aristot. duplicem statuit ignorãtiam: alteram negationis, cùm rei alicuius penitus rudes, & ignari sumus: alteram affectionis, qua hi imbuti sunt (vt ait Cicero) qui ignota pro notis habent. Hæc est illa ignorantia, qua omnes barbari infecti erant, Gorgias Leontinus, Protagoras, Menedemus, Epicurus, & cætera sophistarũ turba. Omnes nũc docti certatim contẽdunt, vt hanc fundant profligẽtque, nec profectò iniuria: est enim tanquàm λερνη τῶν κακῶν & multorum perniciosorum errorum fons & origo. De qua Quintilianus hunc in modũ scribit: nihil est peius ijs, qui paulò aliquid vltra primas literas progreßi, falsam scientię persuasionem induerunt.

Idq; aut) Duplex est ignorantia affectionis: quædam per simplicem fit propositionem, vt si quis putaret hanc esse veram, nulla virtus est laudãda. quędam per syllogismũ, vt si quis putaret hunc esse verum syllogismum, nulla virtus est laudanda, iustitia est virtus, ergo iustitia non est laudanda.

Prętereà) Locus hic est vltimo ca. 1. lib. posteriorum. definit solertiam, quæ est habitus intellectiuus pertinens ad medium demonstrationis. Est enim ingenij promptitudo & facilitas ad medium excogitandum in succincto tempore.

Versuram eum facere) Hoc est æs alienum ęre alieno dissoluere, & ita se ex vno debito explicare, vt grauiori impliceris.

De quatuor quæstionibus scibilibus.

Postremò autē de quæstionibus scibilibus hac in parte nonnihil dicendum est. Sunt autem numero quatuor, quæ sunt: quòd est, propter quid est, si est, & quid est. Quæstiones quidem scibiles dictæ, quod per has quærimus de qualibet re in unaquaque scientia. Quærimus ergo aut de simplici, aut de composito. Simplex quidem hoc loco intelligitur, quod seorsum ex uno aliquo decem generum sumitur, ut est, uel Deus, uel Homo, uel Centaurus, uel Charibdis. Compositum autem, ut utrum luna deficiat: aut utrum iustum natura, an lege potiùs, & institutione hominum constet. Quoties igitur de simplici quærimus, prima & obuia protinus quæstio est, an sit: secunda, quid sit. Primum nanque quærimus, an sit Deus, deinde quid sit Deus. Si autem de composito quærimus, prima quæstio est, an subiecto prædicatum insit: secunda, quamobrem insit, hoc propter quid. Nam simul ac didicimus lunam deficere, continenter quamobrem deficiat, quærimus. Hactenus de demonstratione dicta sufficiant.

RAIIANVS.

Postremo) Inter quatuor has quæstiones duæ sunt simplices, si est, & quid est. Nam si est, quærit de subiecto an sit: quid est, de prædicato quidnam sit, vt an sit aliqua antipodum regio, & quid sit. Duæ verò compositæ, quia est & propter quid est: illa quærit an hoc huic insit, hæc cur prædicatum subiecto conueniat.

IN

IN TRACTATVM OCTAVVM

PRÆFATIO.



Equitur hinc tractatus de Definitione pariter & de Diuisione: Quæ quidem quòd partes quoq; huius artis sint, ex tripartita superius facta dialecticæ diuisione facilè intelligi potuit. Nunc illud addendum insuper est quòd sicut absque demonstratione nulla scientia ritè comparari potest: ita absq; duabus his partibus non scientia solùm, sed nec ars ulla. Quo fit, ut & meritò ipsæ quoque philosophiæ instrumenta censeri debeāt. Distant autem uel hoc ipso hæc tria inter se, quòd diuisio quidem ipsa aditum ad artes omnes & disciplinas præparat, ceu diligens quædam exploratrix, quantum uidelicet ars se unaquæq; extendat. Definitio uerò præparata iam atq; explorata, uelutilumine adhibito, illustrat. Demonstratio deinde hæc omnia perficit & cōsummat. Ratio autem cur, cùm ordo in his tribus ita se habeat, priùs tamen de demonstratione, quàm de cæteris duabus tractare instituerim: quia nimirum ipsa demonstratio est, cui reliquæ duæ, nempe Definitio & Diuisio inseruire interdū probantur, & accommodari solent, quemadmodum etiam definitioni ipsa diuisio. Hinc & de definitione quoq; priùs dicendum, quàm de diuisione.

RAIIANVS.

Sequitur hinc) Huius rationem reddit Trapezuntius, cur simul de finitione & diuisione dicendū sit. Finitio & diuisio ita se habent, vt altera alterius

ope egere videatur. Nec enim, nisi qui recta distributione vsus est, finire se vnquam intelliget, nec vnquàm rectè distribuere, nisi quid sit quod distribuendum est, circunscripserit.

Itaq; absque duabus) Plato partitur vniuersam Dialecticam in finitionem, diuisionem, & resolutionem siue argumentationem. Etsi autem est cuiuslibet artis finire, diuidere, & vnum ex alio colligere: tamen solius est Dialecticæ præcepta tradere, quibus id fiat.

Ratio autem) Duplex ratio, cur demonstrationem præposuerit finitioni, & diuisioni: tum quia demonstratio est dignior: tum quia demonstratio est velut totum: finitio & diuisio, partes eius.

De definitione, quid sit, & quo pacto à nomine differat, tum item & à descriptione: & quid sit descriptio.

IGitur quid sit definitio, ipsa definitione nunc explicemus oportet. Hæc à Platone quidem definitur hoc modo: Definitio est oratio, quæ quid sit de quo agitur, ostendit quàm breuißimè. In qua definitione oratio posita est, ut à nomine distinguatur: quòd nomen quoque rei naturã quomodocunque significet, at ex unica constat uoce: definitio autem ex duabus saltem uocibus. Adiectum deinde est, quæ quid sit de quo agitur, ostendit: quoniam inuenias orationes quidem, quas tamen definitiones nemo dixerit: quandoquidem rei naturam non exponunt. Cuiusmodi orationes sunt, quæ apophthegmata seu dicteria dicũtur: ut, Nosce teipsum, Ne quid nimis, & id genus aliæ. Postremò adiectũ est, quàm breuißimè, quo ab alijs distinguitur

orat

orationibus multò longioribus, utpote quæ certis constituuntur partibus: quales sunt Ciceronis, & cæteræ huiusmodi. Ab Aristotele uerò in Topicis ipsa ad hunc modum definitur: Definitio est oratio, quod quid est esse significans, hoc est, oratio explicans, quæ sit rei natura, essentiáue. Quo in loco aduertendum est, Aristotelem Græcè loquentem, in definitione sua usum uerbo ἦν, quod Græcis est temporis paratatici, Latinis præteriti imperfecti. Atq; hoc ipsum ita consuesse Aristotelem, Georgius Valla Placentinus fideliter asserit, ut erat pro est poneret. Quasi uerò id illi non cū alijs Græcis hominibus commune fuisset, ut certè fuit. Vnde ad confirmandum quod dico, ex Galeno Græco authore similē omnino orationem huc adferre non grauabor. Galeni oratio illa huiusmodi est, atque ita legitur in quarto Therapeuticæ libr. ἕν τι γένος ἦν νόσου. Quam utique orationem etiam Thomas Linacer, uir & Græcè & Latinè doctißimus, ita uertit, atque interpretatus est: Vnum quoddam genus est morbi. Quare ex loquendi libertate & consuetudine (ut dixi) id potiùs euenire existimandum est, qua Græci uerbum paratatici tēporis plerunque pro præsenti usurpant. Itaq; nos ἦν, est uertimus: etsi Aristotelis interpres, quisquis ille fuerit, Erat interpretatus est, uerbo ad uerbum: ob id fortaßis, quòd illud, quod diximus, uel non animaduertit, uel prorsus ignorauit. Vnde & eam ipsam definitionem hìc subijciendam duximus his uerbis, quibus ab Aristotele posita est, nempe Græcis: ἔστι δὲ ὅρος μὲν λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Sed ne illud quidem omittendum puto, definitionem ipsā termini nomine, quod Græcè ὅρος dicitur, plerunq; appellari, à translatione terminorū terræ. Nam sicut per illos fundi in agro à se inuicem dis-

pescuntur: ita per definitiones res à se inuicem discernuntur. Rursus autem & à nomine definitio differt: quoniam quod nomen obscurè & indiscrete significat, id definitio euidenter & discretè exponit. Differt item & à descriptione: quod descriptio quidē ueluti opacæ alicuius picturæ imaginem gerit, definitio autem perfectæ picturæ faciem refert. Hinc & descriptio à Boethio definitur, ex proprietatibus informatio quædam rei, & tanquam coloribus quibusdam depictio. Ex proprietatibus inquit, hoc est, ex proprijs cuiusque rei accidentibus. Atq; hæc proinde Poetis atq; Oratoribus magis usuuenire solet: nec in id adhibetur, ut quid sit res indicet, sed qualis sit, quasi inspiciendam ante oculos ponat.

RAIIANVS.

Igitur quid sit) Nō est igitur incommodum, aliquam esse finitionem finitionis.

Definitio est) Locus est apud Aristotelem 4. capite 1. libri Topicorum. Cætarius dilucidè singulas finitionis particulas enarrat. Nam est oratio propter simplices voces, quæ finitiones non sunt: vt decens respectu honesti. Præterea ostendens quid sit quàm breuissimè. Nam illę orationes quę nō explicant rei essentiam, & numerosæ sunt, non sunt finitiones. Nam sicut hunc terminum Romulus instituit, deinde Numa Pompilius eum constituit præsidem & custodem omnis amicitiæ.

Differt item) Descriptio, quę Poëtis crebrò, nonnunquam Oratoribus in vsu est, verbosiùs rem explicat: nec in id adhibetur, vt quid res sit indicet, sed quale sit, veluti ante oculos ponat. Videndus est Rodolphus Agricola 5. capite 1. libri.

Quòd

Quòd duplex sit definitio.

ERgo duplicem esse definitionem, tam ex his, quæ dicta sunt, authore Seuerino Boëthio, quã ex Aurelio Augustino uel potiùs alio quopiã, qui etiã Augustino ipso uetustior fuit (ut Laurẽtius Valla sentire uidetur) colligere licet. Alia nãque Dialectica est, alia Rhetorica: & Dialectica quidẽ est, quæ cõmuni tantùm designatur nomine, & definitio appellatur: Rhetorica uerò, quæ alio nomine descriptio dicitur, qualis ea est, quæ paulò superiùs à nobis ex Boëthio definita est. Inter utranq; porrò hoc interesse ex eodem Boethio animaduertimus, quòd hæc quæ Oratoribus apta est, non etiam Philosophis perinde conuenit: quæ tamen Philosophorum propria est, ea conuenire potest & Oratoribus. Omnia nanq; (inquit ille) quæ Philosophorum sunt, Orator in dicendo rectè usurpare, atq; his uti potest. At contrà Philosophus in disputationibus suis, quæ Oratorũ propria sunt, cuncta ferè contemnit. Neque enim adiungit aliquando signũ, neque quod credibile est, aut probabile solum, sed quod necessarium omninò fuerit. Sed de harum utriusq; siue differentijs siue speciebus, tam proprijs quàm communibus, deinceps ex ordine dicere haud alienum fuerit.

RAIIANVS.

Ergo duplicem) Duas formas finitionis hoc loco constituit, Dialecticam & Rhetoricam.

Alia nanq;) Dialectica finitio est exacta finitio, genere & differentia constans, vt Aristoteles 3. cap. 6. Topicorum docet.

Rhetorica verò) Finitio Rhetorica per accidentia rem declarat: vt hæc respectu hominis, animal sagax, prouidum, multiplex, memor, acutum, plenum

num rationis & consilij.

GLAREANVS.

Neque enim adiungit aliquando signũ) Signum tertium constitutionis coniecturalis membrũ est, per quod ostenditur idonea perficiẽdi facultas esse quæsita. Id diuiditur in sex partes: Locum, tempus, spacium, occasionem, spem perficiendi, spẽ celandi.

De triplici Dialecticæ definitionis forma, ex Cicerone: tum quemadmodum alia ab alia distet.

Eius igitur definitionis, quæ Dialectica dicta est, tres à M. Cicerone differẽtiæ ponuntur, siue formæ principales. Ex his una quidem est, quæ substantialis dicitur: altera uerò, quam idem à partiũ enumeratione appellat: tertia, quæ à nota dicitur. Porrò eam, quæ substantialis dicitur, & Philosophorum maximè propria est, Aristoteles plenam atq; perfectam consistere ait ex genere & differẽtijs: ut cùm homo definitur animal rationale mortale. A partium uerò enumeratione definitio est, cùm enumeratis omnibus totius alicuius partibus, id quod totum est, cognoscitur quid sit. Qua quidem definitione pœna quæ legibus sancita est, definitur hoc modo: Pœna est: quæ uno ex octo modis fit: nempe aut damno, aut uinculis, aut uerberibus, aut talione, aut ignominia, aut exilio, aut seruitute, aut morte. Eadem quoque definitione & mundus à Cleomede in libro de Mundo ita definitur: Mundus est, inquit, ex cœlo terraq;, necnon ex naturis, quæ intra hæc concluduntur, constitutio. Vnde & admonendus hic est diligens lector, non esse necesse, ubi quodammodo partiũ infinitas quædam est, uniuersa in ipsa partium enumeratione

tione concludere, ut in definitione mundi iam facta. Tali item usus est Cicero, cùm eum definit, qui non liber est: Is (inquit) est, qui neque censu, neque uindicta, neque testamento talis est. Etenim hæ partes sunt dandæ libertatis. Nec moueat quempiam, quòd per hanc definitionem quid sit non liber, constitutũ est, non quid sit: quãdo peræquè definitione opus est, cùm ostendere uolumus quid non sit quippiã, quàm quid sit. Porrò à nota, ut Cicero: siue ab etymologia: ut Aristoteles, definitio dicitur, cùm uis uerbi, quæ in compositione sita est, rem suam facta quadã discretione designat: ut in primo Offic. lib. Cicero, quid sit fides, hoc modo definit: Fides est, inquit, quia fiat quod dictum est. Tribus igitur positis, ueluti principalium definitionum formulis, sola prima, quæ substantialis est, & à toto dicitur, uerè definitio nuncupatur: aliæ duæ, nominis tantùm honore.

RAIIANVS.

Eius igitur) Tres formas finitionis Dialecticæ subiicit: substantialem, à partium enumeratione, & à nota.

Ex genere & differentiis) Genus enim & differentia sunt simpliciter notiora & priora, qualia esse debent, ex quibus finitio constat.

Qua quidem) Hæc octo genera pœnarum Vlpianus cõmemorat in l. Si quis forrè. §. final. de pœnis.

Porrò à nota) Hanc tertiam speciem finitionis vulgò à nominis interpretatione vocãt. Videndus est Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 12.

Tali item) Hos tres modos Boethius in commentariis ad Topica Ciceronis explicat. Cẽsu liberi fiebant, quorum nomina consensu domini in censũ refer

referebantur, & seruitutis vinculo liberabantur. Vindicta virga erat, quam Prætor manumittendi serui capiti imponens, eundem in libertatem vindicabat, asserens, Aio te liberum. Is testamento liber fiebat, cui à testatore libertas relicta erat.

Quæ & quot sint in summa definitionum siue differentiæ, siue species, tam Philosophis quàm Oratoribus, necnon & Poetis communes.

IN summa autem, ipsius definitionis siue differentiæ, siue species, numero quindecim ex Boëthi ocolligũtur, quarum tamen bonam partem ex Aurelio Augustino in eo, quem de Dialectica scripsit, libello (si tamen authorem titulus non mentitur) Boëthius collegisse uideri potest: quas & hic nunc per ordinem recensere collibitum est. Ex his igitur prima quidem à Græcis ὐσιώδης dicta est, à Latinis uerò substantialis, siue essentialis appellari potest, ut quæ substantiam essentiámue rei cuiuslibet propriè demonstrat, qua & Philosophi proinde maximè utuntur. Cuiusmodi est hæc hominis definitio, animal rationale, mortale, risus & disciplinæ capax. Hæc enim per species & differentias descendens, ad propriam tandem uenit. Secunda uerò, quæ à notione Latinè, Græcè ἐννοηματικὴ dicitur. Hæc rem non per substantiã, sed per actum potiùs explicat: ut, homo est, quod rationali conceptione & exercitio cunctis præest animantibus. Hic quidem nõ, quid homo sit, dictum est sed, quid agat: atq; ita quodam quasi signo in notitiam deuocatur. Tertia, quæ à qualitate nomen accepit, Græcè ποιοτικὴ dicta, quæ

quale

quale quippiã sit ostendit potiùs, quàm quid sit: ut, homo est qui ingenio ualet, artibus pollet, bonumq; ac malum discernit. Hîc enim non quid homo sit, sed qualis sit, designatus est. Quarta tamen est, quæ à Græcis ὑπογραφικὴ à Latinis descriptiua, à Cicerone uerò descriptio appellatur: ut, luxuriosus est, qui uictus non necessarij, sed sumptuosi appetens est, delicijs affluens, & ad libidinem procliuis. Quinta uerò est, quæ Græcè κατὰ λέξιν, Latinè ad uerbum dicitur. Hæc uocem illam, de qua quæritur, alio sermone designat, & quodãmodo quid sit, declarat: ut cõticescere est tacere. Qua etiam definitione locus tum ab Aristotele, tũ à Cicerone sedes argumẽti definitur. Sexta, quæ Græcis κατὰ διαφορὰν, Latinis per differentiam dicitur: ut cùm quæritur, quid inter regem & tyrannũ intersit, uterq; adiecta differentia, quid sit, definitur hoc pacto: Rex est, qui pietate & modestia erga suos utitur: Tyrannus autem, qui in suos sæuit, & crudelitatem exercet. Hinc & illud apud Terentium in Adelphis: Hoc pater ac dominus interest. Septima est, quæ κατὰ μεταφορὰν, id est, per translationem dicitur: ut, adolescentia est flos ætatis, senectus, ætatis occasus: item caput arx corporis. Octaua uerò est, quæ κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, id est, per priuantiã eius cõtrarij quod definitur dicitur: ut, bonum est, quod malum non est. Quo quidem genere definitionis uti licet, cùm notum est alterum contrarium. Hac & Horatius epistola prima ad Mecœnatem usus est, cùm ait: Virtus est uitium fugere, & sapientia prima Stultitia caruisse. Nona est, quæ κατὰ ὑποτύπωσιν, id est, per quandam informationem dicitur: ut, Aeneas est filius Veneris & Anchisæ. Porrò hæc in indiuiduis, quæ Græcè ἄτομα dicuntur, uersatur semper. Desideratur

pra

præterea & in nominibus, quæ ὁμώνυμα sunt, hoc est, æquiuoca: ut est Aiax Oileus, & Telamonius. Ergo quoties unum aliquem definire uolumus, à genere, à corpore, à factis, à dictis, ab animo, hoc genere definitionis utimur. Decima deinde species est, quæ dicitur ὡς τύπος, hoc est, ut secundùm figuram dicam, uel exempli causa. Cuiusmodi definitio est, ut si quæratur, quid est animal, & respondeatur, ut homo. Qua & Aristoteles usus est, cùm dixit, οὐσία ἐστί, ὡς ἄνθρωπος, id est substantia est, ut homo. Vndecima, quæ κατὰ ἔνδειαν πλήρους ἐκ τοῦ ὁμογενοῦς, id est, per indulgentiam pleni ex eodem genere dicitur: ut si quæratur, quid sit quadrans, & respōdeatur, cui dodrans deest ut as sit. Duodecima, quæ κατὰ ἔπαινον dicitur, id est, per laudem: ut apud Ciceronē pro Cluentio, Lex est mens, & animus, & consilium, & disciplina ciuitatis. Qualis etiam ea est, qua ab Aristotele philosophia definitur, ars artium, & scientia scientiarum. Tertiadecima est, quæ κατὰ ἀναλογίαν, id est, iuxta proportionem dicitur, ut cùm maioris rei nomine minor designatur: ut Edictum est lex annua, & homo minor mundus. Quartadecima uerò, quæ κατὰ τὸ πρός τι, id est, ad aliquid dicitur: ut, pater est, cui filius est. Quintadecima demum, quæ αἰτιώδης, id est, causalis dicitur, ut quæ causam rei de qua quæritur, reddat: ut, Dies est latio solis super terram. Similis huic & illa est apud Ouidium: Res est solliciti plena timoris amor. Efficit enim amor, & causa plerunque est, ut quis nimis solicitè, anxieq; alteri timeat.

RAIIANVS

In summa) Istas quindecim species finitionis Trapezuntius ad quatuor genera reducit, ad finitionem

nem ſubſtantialem, deſcriptionem, partitionem, & per diuiſionem: cętera enim genera finiendi aut leuiora ſunt, quàm vt finitiones appellari debeant: aut ad hæc quatuor facilè reducuntur.

Cuiuſmodi hæc eſt) Hanc hominis finitionem Ariſtotel. refellit 2. cap. 6. lib. Topicorum. Eſt enim Topicum elementum, finitionem eſſe euertendam, ſi in ea propriũ ponatur. Cuius ratio eſt, quia proprio ſublato, oratio quæ reſtat, plena eſt finitio: quocirca fatendum eſt, finitionem hominis hîc adductam non eſſe plenè philoſophicam.

Quarta autem) De hac ſpecie diſſerit Ariſtoteles toto libro 5. Topicorum.

Tyrannus autem) Tyrannus olim honoris vocabulum erat: nam tyrannum dominum ac fortem vocabant. Vnde eſt illud:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Sed poſtquam vi & libidine dominari cœperunt, in inuidiam nomen abiit. Quid inter regem & tyrannum interſit, pulchrè Xenophon lib. quarto ἀπομνημονευμάτων docet: βασιλείαν δὲ καὶ τυραννίδα, ἀρχὰς μὲν ἀμφοτέρας ἡγεῖτο εἶναι, διαφέρειν δὲ ἀλλήλων ἐνόλησε, τὴν μὲν γὰρ ἑκόντων τῶν ἀνθρώπων, καὶ κατὰ νόμους τῶν πόλεων ἀρχὴν, βασιλείαν ἡγεῖτο: τὴν δὲ ἀκόντων τε, καὶ μὴ κατὰ νόμους, ἀλλ' ὅπως ὁ ἄρχων βούλοιτο τυραννίδα. Hoc eſt: Regnum autem & tyrannidem, principatum vtrunque eſſe arbitrabatur, ſed inter eos multum putabat intereſſe: illum enim qui volentibus & non repugnãtibus hominibus, ac ſecundùm leges ciuitatum imperat, principatum, regnum putabat: qui verò inuitis, & non ſecundùm leges, ad principum volunta-

y tem

tem ageretur, tyrannidem. Quibus verbis Xenophon indicat, regem esse, qui volentibus hominib, & secundùm leges ciuitatis imperat: tyrannum autem, qui inuitis, & contra leges.

Septima est) Hęc forma finitionis est finitio κατα-χρηστικῶς, hoc est, abusiuè. Omnis enim finitio debet constare ex notioribus & prioribus, vt Aristoteles tertio capite sexti libri Topicorum docet: at omnis metaphora est obscura, eodem teste, secundo capite sexti libri Topicorum.

Item caput) Vt enim ἀκρόπολις, hoc est, arx propugnaculum est fortissimum ciuitatis: sic caput nobilissima pars hominis.

Lex est mens) Nam vt Aristoteles primo Rhetoricorum ait: ἐν τοῖς νόμοις ἐστι σωτηρία τῆς πόλεως. In legibus salus ciuitatis posita est. Et quemadmodum corpus hominis maximè mente & animo continetur: ita ciuitas legibus.

Ex quot constet, & à quibus sumatur ea definitio, quæ substantialis dicitur.

Sanè definitio illa, quæ Philosophis magis peculiaris est, cùm ex genere & differentijs constituatur præcipuè, interim tamẽ sumitur aut à materia, aut à specie siue forma, aut à subiecto, aut à fine. A materia quidem, ut si statuam definias ex ære, uel alia qualibet materia, quæ huius uel illius rei referat simulachrum. A forma siue specie, ut si quis definiat iram, quòd est ulciscendi cupiditas: quæ eadem à materia definitur esse ebullitio sanguinis circa cor. A subiecto, ut cùm dicit quispiam: Astrologia

est

est ars, quæ circa cœlestia corpora uersatur. A fine uerò, ut quem consequitur: ut: Medicina est ars, in humano corpore sanitatis effectrix.

RAIIANVS.

Sanè definitio) Finitio exacta & philosophica pręcipuè, inquit, genere & differentia constat. Nam cùm penuria verarum differentiarum laboremus, interdum proprijs vel accidentibus vtimur.

Interim tamen) Varius hic finiendi modus est apud Aristotelem primo capite primi libri de Anima: nec tamen ea finitio quæ per formam tantùm, vt ea quæ per materiam tantùm asignatur, plena est, sed ea quæ ex materia & forma simul componitur. Author Aristoteles loco citato. Cæterùm subdifficilis hoc loco emergit quæstio. Si eiusdem rei varius est finiendi modus; ergo eiusdem rei plures erunt finitiones: quod tamen fieri non posse Aristoteles tertio capite sexti libri Topicorum hac ratione docet: Finitio explicat rei essẽtiam: vnius autem rei vna est essentia: ergo vnius rei vna est finitio. Nodus hic satis implicatus sic dissolui potest: Eiusdem rei plures possunt esse finitiones eædem & recurrẽtes inter se, diuersę autem & non consentientes minimè.

De virtute definitionis, tum & de eius vitijs.

ANte omnia autem, & quæ sit uirtus definitionis, dicendũ. Sanè hæc est, ut definitio suo ex altera parte definito respondeat. Hanc Rodolphus *Agricola legem definitionis uocat, eamq; huiusmodi esse dicit, ut neq; plura cõplectatur quàm ipsum definitum, neq; pauciora: sed*

de quocunque unum dicitur, & alterum dicatur. Huic *porrò aliam idem adiungit, ut, quid sit res, hoc est substantiam rei explicet.* Præter *has deinde duas, tertiam quoq; adijcit: ut sit aperta, hoc est, neq; ambiguis nominibus, neq; obscuris, aut ex longinquo translatis constet.* Sunt *& aliæ ad hanc rem ab eodem positæ leges, quas hìc breuitatis studio prætereo.* Ex *prædictis igitur & quæ sint uitia definitionis, facilè est intelligere.* Sunt *autem duo præcipua: primum, ne quid abundet: alterum, ne quid deficiat.* Et *dictionum quidem abundantia rei facit defectum: defectus uerò dictionum abundantiam rei.* Atque *ex utroque minùs apta definitio est.* Sed *hæc nunc exemplis ostendamus.* Per *abundantiã igitur definitio fit, si hominẽ ita definias:* Homo *est substantia animata sensibilis.* Est *hæc quidem definitio declaratio quædam hominis.* Nam *hæc omnia homo est.* Verùm *si conuertas, non respondebit.* Per *defectum uerò, ut si quis definiat cupiditatem hoc modo:* Cupiditas *est aliena appetendi desideriũ.* Sed *ne hæc quidem ex æquo respondet rei definitæ, propterea quòd minus comprehẽsum ea est, quàm res nominis postulabat.* Nam *non sola cupiditas auaritia est: imò præter auaritiam, quæ habendi propriè cupiditas dicitur, est insuper tum dominandi, tum ulciscendi cupiditas.* Potest *& tertium his duobus uitium adijci, quoties scilicet falsum quippiam definitio dicit, hoc pacto:* Sapientia *est pecuniæ quærendæ diligentia.* Verùm *de definitione hactenus.*

RAIIANVS.

Sanè hæc) Hæc igitur oratio, animal bipes implume, non est hominis finitio, quia cum eo non conuertitur.

Huic

Huic porrò.) Hæc igitur oratio, animal habens caput ad ſydera erectum, non eſt hominis finitio, quia non explicat quid ſit homo.

Præter has.) Male igitur quiſpiam hominem ſic finiret, arbor euerſa: quia conſtat metaphora, quæ obſcura eſt.

Et dictionum) Verba hæc Trapezuntij ſunt ſatis inuoluta, quorū hic eſt ſenſus: Finitio, in qua quidpiam deſideratur, latius patet quàm finitum, & ſic defectus dictionum, quibus opus eſt in finitione, facit abundantiam rei, ſcilicet ipſius finitionis, quæ pluribus quàm finitum conuenit. Id hoc exemplo declaro: Si quis finiat equum, animal quadrupes, finitio propter defectum dictionum pluribus quàm finitum conuenit: ſi autem aliquid abundauerit in finitione, contrarium eueniet, ſcilicet definitum dę pluribus dici, quàm ipſam finitionem: vt ſi quis ſic finiat hominem, animal rationale medicum, homo dicitur de omnibus hominibus, non tamen animal rationale medicum. Hæc eſt eorum perplexorum verborum dilucida explicatio.

GLAREANVS.

De virtute definitionis.) Tres ſunt bonæ definitionis conditiones. Prima: Definitio conuenire debet omni contento ſub definito. In hoc peccat illa: Cupiditas eſt aliena appetēdi deſiderium. His enim ſola auaritia definitur, cùm cupiditas latiùs pateat: eſt enim & dominandi & vlciſcendi cupiditas. Secunda: Definitio debet conuenire ſoli definito. In hoc peccat hæc definitio: Homo eſt ſubſtantia animata ſenſibilis, quia etiam aſino conuenit. Tertia:

Definitio explicare debet totam naturam definiti. In hoc peccat hæc definitio: homo est animal pulcherrimum.

De Diuisione.

Restat hinc tertium philosophiæ instrumentū, quod quidem est diuisio: quæ quem habeat usum ad disciplinas comparandas, hinc quoque nosse licebit, quòd sine hac quemadmodum definitio quidem fieri debeat, haud planè intelligi poßit. Quippe per quam ea, quæ ad definitionem sumuntur, ex ordine priùs colliguntur: id quod facilè liquebit, si exempli causa, nomen ipsum susceperis definiendum. Nam primò huius genus uox sumitur, deinde uocem ipsam diuido in uocem significatiuam, & non significatiuam. Definio igitur nomen, quòd est uox significatiua. quæ oratio quia nomini nondum æquatur, rursus diuido significatiuam uocem in eam, quæ secundùm placitum significatiua est, hoc est, ex hominum impositione: & eam, quæ naturaliter significat. Itaque prædictæ orationi addo, secundùm placitum, fitq; definitio nominis hoc modo: Nomen est uox significatiua secundùm placitum. Verum quia nec sic definitio definito ex æquo conuenit, idcirco id, quod est significare secundùm placitum, deinde diuido, ac dico: Vocum secundùm placitum significantium aliæ quidem cum tempore, aliæ uerò sine tempore significant. Sed quia ne sic quidem perfecta nominis definitio haberetur, rursus aliam aggredior diuisionem, nempe eius, quod est significare sine tempore. Nā huius aliud quidem est, cuius partes extrà nō significant. Itaque nominis definitionem tandem hoc modo compleo, ac dico: Nomen est uox significatiua secundùm placitum, sine

sine tempore, cuius nulla pars extrà significatiua est. Sed nunc quid sit diuisio, & quotupliciter dicatur, dicendum hinc est.

RAIIANVS.

Restat hinc.) Finitionem esse inuestigandam ex diuisione, Aristoteles decimoquarto capite primi libri posteriorum docet.

Quòd sine hac.) Diuidere enim nihil aliud est, quàm ex genere per differentias diuiso in species descendere. Vide Rodolphum Agricolam septimo capite primi libri.

Quippe.) Docet exemplo finitionem per diuisionem esse inquirendam.

GLAREANVS.

Definitio igitur nomen.) Quoties speciem definire voluerimus, quando genus omnia superiora essentia complectitur, non est opus omnia superiora enumerare, sed genus cum differentia ponendũ, vt: Homo est animal rationale: æquè perfecta definitio est, atque illa, Homo est substantia corporea animata sensitiua rationalis: quia animal omnia ea includit.

De diuisione quid sit, & quot modis dicatur.

Diuisio igitur (ut in uniuersum dicamus) est communioris in minus communia diductio. Semper enim quod diuiditur, communius ijs est, per quæ diuisio fit, & per hoc latiùs patet. Fit autem multis modis. Siquidẽ alia

est diuisio generis in species, alia cùm totum ueluti in partes secatur, quam proinde quidam partitionē dicere malunt: alia rursus, cùm uox multorum significatiua, in proprias significationes distrahitur. Quem tamen diuidendi modum Rodolphus Agricola nō admodum probat, sed Enumerationem potiùs dicendā existimat, quemadmodum & cùm species in indiuidua diducitur, id quod etiā Ioan. Damasceno ita placet. Similiter autem & quoties ab uno ad plura, & à pluribus item ad unum diductio fit, enumeratio dicenda uidetur. Ab uno quidem ad plura, ut à medicina, homo medicus, liber medicus, herba medica, manus medica (hinc illud Vergil. Dum medicas adhibere manus ad uulnera pastor Abnegat) & item uas medicinale, & medicinale emplastrum, siue cataplasma, & id genus infinita alia. Hæc enim omnia ab uno sunt, quoniam à medicina nomen inuenêre. Ad unum autem, ut salubre medicamē, salubris esca, salubris aura. Hæc siquidem ad unam tendunt sanitatem. Cæterùm præter prædictos diuidendi modos, est qui secundum accidens dicitur, cùm aut subiectum in accidentia diuiditur, aut accidens in subiecta, aut accidens in accidētia. Ex prædictis igitur patet, quòd diuisionum aliæ quidem propriæ dici possunt, aliæ uerò impropriæ, & abusiuæ.

RAIIANVS.

Diuisio igitur) Hęc finitio diuisionis tam ad logicos pertinet, qui voces præcipuè, quàm ad physicos, qui res potiùs considerant.

Semper enim) Diuisum est cómunius membris diuidentibus, si ad singula referatur, sed si ad omnia simul, cum illis recurrit.

Fit autem) Trapezuntius ita partitur: Omnis diuisio

uisio aut est per se, aut per accidens. diuisio per se, aut generis in species, aut totius in partes, aut vocis in suas significationes : per accidens aut est subiecti in accidentia, aut accidentis in subiecta, aut accidentis in accidentia.

GLAREANVS.

Siquidem alia est diuisio,&c) Nota: Diuisio generis in species est in omnibus prædicamentis, & substantiæ & accidentium: vt, Substantiæ alia corporea, alia incorporea. Corporum aliud simplex, aliud mixtum. Ita in qualitate: Colorum alius est albus, alius est niger, alius medius. Quantitatum alia est continua, alia est discreta.

De Diuisione generis in species.

GEneris in species diuisio fit, cùm ipsũ in species per differentias diducitur, aliquoties autem & in ipsas species citra differentias: ut magnitudinum hæc est linea, hæc superficies, illa uerò corpus. Aliquoties *autem nominibus carent eæ, quæ sub eodem genere continentur species. Quod ubi cõtingit, accipimus unius alicuius speciei differẽtiam· deinde quia aliarum specierũ unam aliquam differentiam communem non inuenimus, circunloquimur eam alterius differentiæ negatione, quemadmodum in animalis diuisione fieri uidemus, cùm ipsum ita diuiditur: animalium aliud rationale, aliud irrationale :* Hîc *irrationale nõ nisi eius quod est rationale, negationem explicat. Quamobrẽ hæc uera differentia esse non potest, quippe cùm omnis species ex differentia constituatur.* Nihil *autem ex negatione constituitur.* Ergo *quoties negatione facimus diuisionem, priùs affirmatio, pòst negatio subijcienda*

cienda est: nec id ab re quidem: quippe quòd affirmatio natura ipsa prior sit negatione. Aliquoties item & differentiæ loco specierum in diuisione ponuntur, ut cùm dicimus: Quantitatis aliud continuum, aliud discretum: quæ cùm differentiarum nomina sint, uice tamen specierum posita sunt.

RAIIANVS.

Generis in species.) Diuisio generis in species fit duob. modis: primo, cùm ipsum diuisum est genus, & membra diuidentia eius species: vt animalium aliud homo, aliud brutum. secundo, cùm diuisum est genus, & membra diuidentia eius differentiæ, quæ singulas inferunt species: vt substantiarum alia est corporea, alia incorporea.

Hic irrationale.) Irrationale, insensibile animatum voce tantùm priuatiua sunt: significant enim naturam quandam diuersam illi, cui ex aduerso opponuntur: vt incorporeum significat spiritum, irrationale brutum. hic locus est apud Rodolphũ Agricolam libro 1. cap. 7.

Vtrum in species, an in differentias rectius genera diuidantur.

VNde & illud iam haud indignum inquisitu suboritur, Vtrum in differentias, an in species rectiùs genera diuidantur. Sanè huic inquisitioni ita ex Boëthio obuiam itur: Quoniam definitio diuisionis generis est in species proximas distributio, idcirco oportet secundum naturam diuisionis, in proprias species generis disgregationem fieri. Verùm hoc interdum fieri nequit propter eam, quæ suprà reddita causa est. Multis siquidem specie-

bus

bus nomina desunt. Atque ideo, quoniam quædam sunt genera prima, quædam ultima, quædam media. Primum quidem est, ut uerbi causa, substantia: ultimum, ut animal: medium, ut corpus. Corpus nanque ut animalis genus est, ita substantia corporis. Vnde quemadmodum neque super substantiam quicquam inueniri potest, quod generis loco collocari ualeat: sic nec sub animali. Homo enim species est, nõ genus. Quare antiquior uidebitur per species diuisio, si indigentia nominum non sit. Ergo si his non abundamus, genera prima usque ad ultima conuenit in differentias separare. Hoc autem fit, si primum genus in suas differentias disgregemus, non in sequentis proximæ, aut posterioris generis differentias: & rursus posterius in suas, & non in sequentis deinde differentias. Neque enim eædem sunt differentiæ substantiæ & corporis, aut corporis & animalis. Si quis igitur dicat, Substantiarum alia corporalis est, alia incorporalis, rectè quidem diuisionem fecerit. Hæ nanque propriæ differentiæ sunt substantiæ. At non rectè, si ita dixerit: substantiarum alia animata, alia inanimata est. Siquidem hæ corporis, non substantiæ differentiæ sunt, id est, secundi, non primi generis. Quare manifestum est, secundum proprias differentias diuisionem faciendam esse, quoties per differentias genus distribuendum uenit.

RAIIANVS.

Corpus nãque.) Aristot.5.cap.quarti libri Topicorum, hac ratione docet corpus non esse genus animalis. Omne genus dicitur de sua specie: at corpus non prædicatur de animali (nam est pars animalis, nulla autem pars dicitur de suo toto) ergo corpus non

non est genus animalis. hæc quæstio sic dissolui potest: corpus duobus modis sumitur: primo pro parte ea cui anima inest, & sic non est genus animalis: secundo corpus accipitur pro toto composito, & sic genus animalis est.

Neque enim.) Differentia substantiam diuidens cum genere sumpta, corpus finit, quia quæcunque sunt differentiæ superiorum, etiam sunt differētiæ inferiorum, quam regulam quidam de differentia prædicati constitutiua intelligendam putant. possunt enim quædam esse differentiæ diuisiuæ prædicati, quæ nullo modo erunt differentiæ subiecti, vt volatile, aquatile animalis sunt differentiæ, non tamen hominis. Videndus est Aristoteles in antepræ-dicamentis.

GLAREANVS.

Vtrum in species, an in differentias.) Genera rectius diuiduntur in species, quàm in differentias, siquidem apta nomina erūt: sed illud rarum est. Tanta enim est in Latina lingua nominum penuria, vt ipsa decem prædicamenta per omnia nominare nequeamus: ne apud Græcos quidem. Quando enim, & Vbi, sunt aduerbia pro nominibus: Iacere, Agere, Pati, pro nominibus.

De diuisione totius in partes, & quot modis totum dicatur, & de partium inter se differentia.

Totum quoniam multipliciter dicitur, eius quoque in partes multiplex diuisio est. Dicitur nanque totū aliud quidem secundum quantitatem, idq; duobus modis. Nam aut continuum id est, ut corpus: aut discretum, ut grex,

grex, item exercitus & populus. Aliud uerò quod uniuersale appellatur, ut animal, & unumquodq; superius, si ad eius referatur inferius. Aliud quod totum in modo dicitur. Aliud autem, quod ex quibusdam uelut uirtutib. & potentijs constat, ut anima. At hinc nunc exempla subijciamus oportet. Totum igitur si continuum fuerit aut discretum, in eas diuiditur partes, ex quibus compositum constat, ut hominis corpus in caput, manus, thoracem, & pedes. Quo etiam modo totus populus Romanus in tres partes olim diuisus fuit, in equestres, in senatores, & plebem. Cæterùm partium, & perinde etiam totius non eadē ratio est. Quædam nanq; pertinēt ad substantiā, quædam ex quantitate nomē habent, quædam uirtutis & efficaciæ cuiusdam. Substantiæ sunt, cuiusmodi corporis partes supradictæ. Quantitatis uerò, ut in ijs, quæ extensa sunt: ut bipedale, tripedale, partes dicimus rei decempedalis. Et in tempore, præteritum, instans, futurum. In numero, ut denarij quinque & quinque. Et item unum, duo, tria, quatuor. Virtutis autem partes sunt, quos & gradus quidam uocant, quemadmodū dicimus, Achilli plus roboris fuisse, quàm Aiaci. Sic & animæ partes quatuor faciunt, uiuificandi, sentiēdi, mouendi, & intelligendi. Rursus autem quæ substantiæ partes sunt, aliæ de propinquo substantiā constituunt, ut materia & forma, ut in homine corpus & anima, in arbore uita & lignum. Aliæ ad integritatem ritè explendam pertinent, ut domus, parietes, tectum & fundamentum. Est prætereà & alia partium differentia. Siquidem ex his aliæ quædam sunt, quas ὁμογενεῖς Græci uocāt, nos cognatas dicere possumus & similares, ut partes ligni aut lapidis. Omnes enim tam ligni quàm lapidis partes eiusdem generis sunt, ut natura, ita nomine participant

cipant. Aliæ uerò ἑτερογενεῖς à Græcis dictæ, à nostris alterigenæ, id est alterius atq; alterius generis, siue dißimilares: ut partes domus, ligna, & lapides, & in homine caro, nerui, & ossa. At de partibus quidem totius secundum quantitatẽ hactenus. Totius uerò uniuersalis diuisio hoc modo fit: Hominum alij in Europa habitant, alij in Africa, alij in Asia.

RAIIANVS.

Totum quoniam) Quemadmodum duplex est quantitas, alia cõtinua, alia discreta: ita duplex est totum, aliud secundum quantitatem continuam, aliud secundum discretam.

Aliud verò) Totum vniuersale est quod ex multis particularibus colligitur: vt virtus, scientia.

Totum in modo) Totum in modo est quilibet terminus sine determinatione sumptus, vt homo: & idem sit pars in modo, si cum determinatione sumatur, vt homo sapiens.

Aliud autem) Totum potestate est quod diuiditur in potentias & virtutes, vt anima in vegetatricem, sentientem, intelligentem.

Cæterùm partium) Quæ ab hoc loco dicuntur vsque ad finem capitis, sumpta sunt ex nono capite primi libri Rodolphi Agricolæ.

Siquidem ex his) Similares partes dicuntur, quę & nomen & apellationem sui totius sortiuntur, vt partes sanguinis, ośsis: quælibet enim pars sanguinis, ośsis, est sanguis & os. dissimulares dicuntur, quæ nec nomen nec apellationem sui totius recipiunt, vt partes capitis, pedis. nec enim pars capitis est caput, neç pars pedis est pes. Videndus est Ari-

stoteles

ſtoteles primo capite primi libri de hiſtoria animalium.

GLAREANVS.

De diuiſione totius in partes,&c) Eſt ſextuplex totum. Primùm vocatur integrale, quod compoſitum eſt ex partibus quantitatem habentibus. Secundum vniuerſale quodlibet ſuperius, & ſubſtantiale, reſpectu ſui inferioris in recta linea prędicamentali, vt animal. Tertiũ, totum in modo vniuerſali ſumptũ, ſine determinatione: vt animal. pars eius cũ determinatione: vt, Malum animal. Totum in quantitate eſt vniuerſale, ſumptum cum ſigno vniuerſali: vt, Omnis homo. Totum in tempore, eſt dictio comprehendens omne tempus aduerbialiter, vt ſemper. Vltimum totum in loco, eſt dictio comprehendens omnem locum aduerbialiter: vt vbique.

De diuiſione uocis in ſignificationes.

Diuiditur uox in plures ſignificationes, quoties uel æquiuoca eſt, uel ambigua. Aequiuoca, ut canis: quæ uox cùm una & ſimplex ſit, plura tamen ſignificat, nempe canem domeſticum, canem cœleſtem (quæ ſtella ad Orionis pedem, authore Higinio, micat) & canem marinum. Ambigua uerò, ut oratio, qualis hæc: Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Hæc enim oratio ambigua prorſus eſt, quippe quæ ſignificare uidetur nõ tam Romanos Pirrhum ſuperaturos, quàm Pyrrhum ipſos Romanos. Cæterùm præter hanc uocis diuiſionem eſt alia, qua uox ſecundum plures modos diuiditur: ut cùm non plura ſignificat uox aliqua, ſed multis dicitur modis, ut infinitum, quod quidem dicitur aut ſecundum menſurã, ut eſt mundus

dus opinione aliquorum infinitus: aut ſecundum multitudinem, ut cùm dicimus cōtinuum diuidi poſſe in infinitũ, hoc eſt, in partes multitudine infinitas, quas partes proportionales quidam uocant: aut ſecundũ tempus, ut cuius terminus inueniri non poßit: aut ſecundum potentiam, quemadmodum Deum infinitum eſſe dicimus. Alia item diuiſio eſt, qua cũ determinatione uox aliqua ſignificare dicitur, uel ſine determinatione, ut homo: quæ uox quãdo ſine determinatione dicitur, (quod quidẽ tũ maximè eſt, cùm ſimpliciter profertur) facit in intellectu audientis dubitationem, quæ tamen protinus tollitur, ſi determinatio aliqua adijciatur, ut omnis homo.

RAIIANVS.

Diuiditur autem) Aequiuocatio in ſimplici voce, ambiguitas in oratione locum habet: vt enim ęquiuocatio eſt multiplicitas ſignificationũ in voce ſimplici, ita ambiguitas in ſtructura orationis continet multiplicem ſenſum.

Aio te Aeacida) Ennij verſus eſt, quo finxit Apollinem Pyrrho regi Epirotarũ Delphis reſponſa dediſſe. Aeacida vocatiuus eſt Græcorum more, à nomine Aeacides, quod Pyrrhi patris nomẽ fuit. Ambiguitas naſcitur ab accuſatiuo te, qui vel à parte anteriori vel poſteriori verbi vincere cõſtrui poteſt.

Vt eſt mundus) Quidam in ea ſententia fuerunt, mundum neq; incepiſſe, neq; interiturũ, & ſic omnium rerum eſſe menſuram.

Vt cùm dicimus) Id de infinito potentia eſt intelligendum. eſt autem infinitum potentia res, cuius quantitatem dimetiens vel numerans aliquis, ſemper inuenit aliquid quod ſuperſit. Infinitum actu

(vt hoc quoq; in transcursu adijciamus) esset, si daretur corpus habens actu infinitam quantitatem, & tale nullum est in rerum natura, vt Aristotel. multis verbis lib. 3. de Physico auditu docet.

Quas parteis) Partes proportionales dicuntur quæ habent eandem proportionem cum partibus pręcedentibus alicuius magnitudinis. Vt verbi causa, si magnitudo cubitalis diuidatur in duas medietates, & rursus medietas in aliam, &c. tunc enim diuisio in infinitum exibit: si verò fiat diuisio seruata eadem quantitate partium, nō exibit in infinitum, vt si quis à linea centum cubitorum semper subtrahat vnum cubitum, tandem tota magnitudo exhauritur.

De diuisione quæ secundum accidens fit.

Porrò eorum quæ secundum accidens diuiduntur, alia est diuisio subiecti in accidentia, ut animalium aliud mansuetū, aliud ferum, aliud mediæ inter utrunque naturæ: quemadmodum & id à Plinio annotatum est libro octauo, capite quinquagesimo sexto. Alia accidentis in subiecta, ut feritatis alia serpentis, alia uolucris, alia reliquarum beluarum est. Alia demum accidentis in accidentia, ut candidorum aliud durum, ut margarita: aliud molle, ut lac. Quæ etiam diuisio uicißim in alterutra membra mutari potest: ut eorum quæ dura sunt, aliud album est, ut alabastrum: aliud nigrum, ut ebenum. ac rursus eorum quæ mollia sunt, aliud album, aliud nigrum.

RAIIANVS.

Porrò eorum) Diuisio subiecti in accidentia di-

citur, cùm diuiſum eſt ſubiectum, & membra diuidentia eius ſunt accidentia, vt animalium aliud ſanum, aliud ægrum.

Quæ etiam) Sumptus eſt hic locus ex Boethio, cuius hic eſt ſenſus: quando accidens diuiditur in accidentia, tunc diuiſum, & illius contrarium per eaſdem differentias diuidi poſſunt: vt ſi album per durum & molle diuidatur, nigrum eiſdem differentijs diuidi poterit, deinde ſingula membra in diuiſum, & illius oppoſitum poſſe commutari, vt durũ & molle in album & nigrum.

De quibuſdam legibus, vt rectè diuiſio fiat, obſeruandis.

VT autem rectè ipſa diuiſio procedat, certæ leges obſeruandæ produntur. Prima, ut differentiæ, per quas genus in ſpecies diuiditur, è regione conſtituantur, & inter ſe oppoſitæ ſint. Hinc nullus rectè dixerit, animalium aliud rationale eſt, aliud bipes: idcirco quòd rationale & bipes licet differant, nulla tamen à ſe inuicem oppoſitione ſeiunguntur. Huic ſanè legi etiam ſubiacet ea diuiſio, quæ ſecundum accidens fieri dicta eſt. Secunda, ut quicquid in diuiſo continetur, id totum mẽbra diuidentia explicẽt, hoc eſt, ne quid ultrà citráue dicatur, quoties quippiam diuidendum eſt. Alioqui aut ſuperflua, aut diminuta erit facta diuiſio, id quod etiam in definitione cauendũ eſt. Tertia, ut ſi fieri commodè poßit, diuiſio omnis bimembris ſit, id quod in definitione eodem modo requiritur. Verum quò minus illud fiat, uocabulorum indigentia plerunq; impedimẽto eſt, ut cùm quærit quiſpiam, quid eſt homo: reſpondenti minimè neceſſe foret dicere,

animal

animal rationale mortale, si id quod est animal rationale, proprio nomine nuncupatum esset: quod deinde cum reliqua differentia iunctum, nempe mortali, definitionem hominis uerißima atq; integra oratione perficeret. Eodem sanè modo & diuisio ipsa duobus tantùm terminis perficeretur, si non interdum propria uocabula deessent: ut cùm dicimus, Figurarũ, quæ quidẽ trilateræ sunt, aliæ sunt æqualiteræ, aliæ ex tribus duo æqualia latera habẽt, aliæ totæ inæquales. Hæc trimembris diuisio duobus clauderetur terminis, fieretq; bimembris, si ita proferretur, Figurarum quæ trilateræ sunt, aliæ sunt æquales, aliæ inæquales. Inæqualium rursus aliæ sunt duo tantùm latera inæqualia habentes; aliæ tria, hoc est, omnia simul. Sic cùm dicimus, rerum alia bona sunt, alia mala, alia indifferentia, qualia sunt, quæ neque bona, neque mala sunt. Hæc quidem diuisio trimembris quoque est, ac bimembris fit, si ita dicatur, Rerum alia sunt differentia, alia indifferentia. Differentium item alia bona, alia mala. His tribus iam expositis legibus, quarta demum accedat, quæ est huiusmodi: Quoties genus aut in differentias, aut in species dissoluitur, post factam diuisionem, eorum per quæ diuisio fit, definitiones atque exempla protinus subdenda sunt. Atque in hoc absolutus sit tractatus octauus.

RAIIANVS.

Vt autem) Profert quasdam leges bonæ diuisionis.

Prima) Differentiæ condiuidentes aliquod genus debent esse oppositæ, hoc est, diuersæ & repugnantes, ita vt non posint vni eidémque compe-

tere, nõ enim semper necesse esse videtur, vt mẽbra diuidentia aliquo oppositionis genere opponãtur: rationale enim & irrationale nullo oppositionis genere opponi videntur, id quod studiosus facilè ex inductione quatuor formarum oppositorum colliget.

Secunda) Quare hæc non est bona diuisio hominum alius est medicus, alius physicus: diuisum enim latiùs patet ipsis membris diuidentibus.

GLAREANVS.

Rerum alia sunt differentia) Ita dicimus, Colorum alius albus, alius non albus; non alborum alius niger, alius medius. nisi malimus definire per disgregatiuum ac congregatiuum visus. Est enim albus color, qui disgregat visum: niger verò, qui congregat visum. Posset tamen & ita diuidi color: Colorum alius albus, alius niger, alius medius. Sola enim diuisio generis per differentias requirit, vt sit bimembris. quod patet in arbore Porphyriana.

*

IN

IN TRACTATVM NONVM DE LOCIS DIALECTICIS,

*

PRÆFATIO.



VPEREST pars illa Dialecticæ, quæ locos nobis subministrat, è quibus argumenta ueluti eruuntur; atque ea quidem potißimùm, per quæ de quauis re, imò uerò & de principijs etiam disciplinarum probabiliter disputare cõtingit. Vnde eueniſſe reor, quòd Dialectica ipſa à quibuſdam dicta eſt ars artiũ, & ſcientia ſcientiarum, ac proinde digna iudicata, quæ primum locum inter artes atque ſcientias omnes obtineat. Tum & eodem iure diſputatoria ars appelletur, id quod nomen ipſum apud Græcos planè indicat, quippe quod non aliũde deduci certũ eſt, quàm à Græco uerbo διαλέγομαι, quod præter alia, quæ ſignificat, diſputo quoque apud nos ſignificat, id quod facilè ijs pro comperto eſſe poteſt, qui uel mediocriter illius gentis linguam callent. Quam qui improbant, ac per hoc ut inutilem comtemnunt, hi mihi uidentur uel inuidia torqueri, uel ſtupore grauari, adeò ut ſint planè ſine omni iudicio. An ijdẽ neſciunt à Quintiliano probatißimo, grauißimoq; ſtudiorum cenſore ſuaſum eſſe, ut à Græco ſermone pueri initium diſciplinarum capeſſant? Nec iniuria quidem, quippe quòd (ut idem autor eſt) à Græcis ad nos omnes bonæ artes manârint: ſed hi, ut uideo, ſicuti nihil probant, niſi quod

ad ſuum faciat palatum, ita Gryllum ſuum ducem (ut eſt apud Plutarchum) ſequentes per loca inculta prorſus, ſteriliaq́;, & penè deſerta, glandibus adhuc ueſci malunt, quàm per amœnos atq; feraces campos ſpatiantes optimas colligere fruges, unde probè paſcantur. At de hoc ſatis ſuperq; ad præſens. Cæterùm in hac parte de locis id præſtitit, quod nec antè, nec pòſt alius quiſpiam, Rodolphus Agricola è Friſia, quæ Germaniæ haud ignobilis prouincia eſt, uir profectò non ſatis laudatus etiam à laudatiſsimis uiris Hermolao Barbaro, & Eraſ. Roterod. cuius proinde ſi etiam ueſtigia imitari uelim, uix potero. Ita enim omnia & grauiter & acutè ab eo tradita ſunt, ut ueluti maieſtas quædam in his elucere uideatur. Tamen ſi quid obiter apud eundem inuenero, quod ad rem noſtram faciat (faciet autem haud dubiè plurimum) haud grauabor huic operis parti inſerere, quantum quidem noſtra hæc inſtitutio ferre poſsit.

RAIIANVS.

In tractatum nonum) Hic tractatus inuentionem, quæ locos nobis ſuppeditat, continet. cur autem Cæſarius poſtpoſuerit inuentionem iudicio, dictum eſt à nobis in præfatione quinti tractatus.

Per quæ de quauis re) Sic Ariſtoteles ſtatim in principio primi libri τῶν τοπικῶν: ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας, μέθοδον εὑρεῖν ἀφ᾽ ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μηθὲν ἐροῦμεν ἐναντίον.

Iam verò) Nam principia ſcientiarum in eadem ſcientia non habent notiora, ſed per argumenta probabilia, quæ ex locis topicis eruuntur, probantur.

Vnde euenisse) Dialectica est ars artium, non dignitate, sed via & ratione quam tradit ad disciplinas grauiores explicãdas. Locus hic est desumptus ex secundo capite primi libri Topicorum.

Tum & eodem iure) Sic Rodolphus, Nomen dialectices nonnulli latinè tentantes dicere, dissertaturam vel disputaturam, quemadmodum grammaticen literaturam dixêre.

Gryllum suum) Hoc est, ineptum & insulsum aliquem authorẽ. Plutarchus in dialogo, quem scripsit, an brutis insit ratio, fingit Gryllum gratum à Circe venefica muliere in suem conuersum, cũ multis aliis sociis Vlysis. Hos cùm repeteret Vlysses, vt ad suos reduceret, Circe se facturam negauit, nisi Vlysses priùs cum aliquo sociorum in certamẽ descenderet: quo instituto prodiit Gryllus, tanquam cæterorũ dux, à quo Vlysses, etsi astutissimus & eloquentissimus (vt Homerus vbiq; fingit) superatus est. De hoc Gryllo Angelus Politianus, vir politioribus literis egrégiè perpolitus, libro secundo epistolarum, epistola, Nõ tu, &c. sic scribit: Nam etiam huic nostro nondum audeo sperare, quoniam praua quadam consuetudine sic penè quidam homines obbrutuerunt, vt glandem adhuc defendãt repertis frugibus. similésq; mihi Gryllo videtur illi, qui cum Vlysse disputat apud Plutarchum, nec vllis potest adduci rationibus vt ex sue rursus in hominẽ redire velit, quem prius ex homine Circe mutauerat in suem.

GLAREANVS.

Ad præfationem) Tria in hac præfatione facit.

Primò, laudat Dialecticen, quòd sit scientiarum scientia, & iure disputatoria appellata. Secundò, laudat linguam Græcam, à qua incipiendum pueris esse docet, authore Quintiliano. Tertiò, laudat Rodolphum Agricolam, quem se hac in parte sequi profitetur.

De utilitate Dialectica.

Qvoniam igitur hæc pars (ut dictum est) peculiari nomine Dialectica appellatur, de utilitate eius pauca nobis ex Aristotele dicẽda uidẽtur, priùs quàm locos ipsos aggrediamur. Est autẽ utilis (ut ille ait) ad tria, ad exercitationes, ad colloquia, & ad eas quæ sunt secundùm philosophiam disciplinas: quæ eadem Græcè idem his uerbis expreßit: πρὸς γυμνασίας, ἐντεύξεις, καὶ τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας. *Ad exercitationes quidem utilis sanè est, quia methodum hanc habentes facilè de proposito quouis argumentari poterimus. Ad colloquia uerò, eò quòd multorum recensentes opiniones, non ex his quæ extranea sunt alicui disciplinæ, sed ex proprijs sermocinabimur ad eos, uel potiùs contra eos, transmutantes si quid ab his nobis perperàm dictum esse uideatur: Quod quidem tum maximè fieri consueuit, cùm inter confabulandum (ut fit plerunque, uel in congressu, uel conuictu) quicquam proponebatur discutiendum. Cuiusmodi profectò colloquia illa uideri possunt, quæ apud Aulum Gellium in Noctibus Atticis, & apud Macrobium in Saturnalibus paßim leguntur. Ad eas porrò, quæ sunt secundùm philosophiam, disciplinas utilis omninò est, quòd cùm poßimus ad utranque partem disputare, facilè in singulis intuebimur, quid uerum*

uel falsum sit. Præterea autem & ad prima eorum, quæ in unaquaque disciplina principia sunt, utilis probatur. Nam ex proprijs propositæ alicuius disciplinæ principijs dicere aut disputare de ipsis, impoßibile est: eò quòd in unaquaque disciplina, prima omnium principia sunt. Atqui id multò commodißimè fieri potest ex probabilibus, qualia præsertim in hac arte traduntur: quæ cùm sit inquisitiua, ad omnium methodorum principia uiam habere dicitur. Sed nunc quid sit locus, deinceps dicamus.

RAIIANVS.

Quoniam igitur.) Præmia, vt Plinius ait, vbique plurimum valent. Vtilitas etiam homines desidiosos excitare solet. Scripturus igitur Arist. locos dialecticos, dialecticæ vtilitatem proponit, vt ea re animos iuuenum in spem vberrimi fructus futuri erigat. Hic locus est 2. cap. 1. libri Topicorum.

Est autē.) Rodolphus Agricola 6. capite 2. libri hunc locum Aristotelis his verbis vertit: Aristoteles itaque Dialecticā tribus his vtilem putauit, exercitationi disserendi, cōfutando aduersario, & probandis primis artium principiis.

Non ex his.) Extranea Aristot. vocat aduersarum sectarum opiniones: propria verò, quæ ab aduersario concessa sunt.

Ad eas porrò.) Nam proposita quæstione aliqua, vtrunque rationib. adductis, facilè elucescet veritas. Si autem non dubitaueris (vt Plato ait) veritas te fugiet. Dubitatio enim, veritatis est inuentio. Propterea rectè dictum est ab Aristotele, διαπορηκέναι περὶ πάντων, οὐκ ἔστι ἄχρηστον: hoc est, omnia in dubiū reuocare non est inutile.

De loco, quid sit, tum & de argumento ipso.

LOcus igitur est (ut ab Aristotele & Cicerone definitur) sedes argumenti. Quæ definitio (si tamen definitio dici meretur) ab eodem Cicerone à similitudine instituta esse monstratur. Vt igitur (inquit) earum rerum, quæ absconditæ sunt, demonstrato & notato loco facilis inuentio est: sic cùm peruestigare argumentum aliquod uolumus, locos nosse debemus, è quibus argumenta ipsa promantur. Argumentum deinde ab ipso quoque definitur, ratio rei dubiæ faciens fidem. Itaque locus est ueluti publicum receptaculum, & (ut Rodolphus Agricola ait) thesaurus quidam, in quo faciendæ fidei instrumenta reposita sunt; hæc nimirum sunt ipsa argumenta. Argumentum igitur, quod fidem rei dubiæ facit, hoc est, rem dubiã probat, à loco aliquo educatur oportet.

RAIIANVS.

Locus igitur.) Locus est id, vnde ad propositam materiam conueniens ducitur argumentum. Idq; indicat finitio loci data à Rodolpho Agricola: Cõmunis quædam rei nota, cuius admonitu quid in quaque re probabile sit, inueniri potest. Et quemadmodum locus naturalis cõtinet locatum: ita locus Dialecticus continet in se argumentum. Quam sententiam Cicero quoque his verbis probat: Locus est sedes argumenti. Videndus est Aristoteles initio 1. libri Rhetoricorum ad Theodecten.

Argumentum.) Ratio, inquit, quia licet visus faciat fidem de his quæ videntur, tamen non est argumentum, quia non est ratio. Rei dubiæ inquit, quia nihil probari nisi dubium, aut tãquam dubium potest.

test. Faciens fidem ait, quia omne argumentum aut probabiliter, aut necessariò rem conficit. Sic Quintilianus: Argumentum est ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubium, per id quod dubium nō est, confirmat. Vide Fabium libro 5. capite decimo.

De multiplici argumenti significatione, & quemadmodum ab argumentatione differat, quod hic argumentum vocamus.

ARgumenti sanè multiplex significatio à Quintiliano traditur. Siquidem & fabulæ ad actum scenarum compositæ, argumenta dicuntur. Rursus omnis ad scribendum destinata materia, argumentum appellari potest. Et argumenta etiam dicūtur orationū uelut themata, quemadmodum de Ciceronis *orationibus Asconius Pædianus exponit: Argumentum (inquit) huius orationis tale est. Verùm nullum horum tale argumētum est, quale hîc quæritur, ab arguendo dictum, quòd uidelicet rem arguat, hoc est, probet. Nam arguere ueteres etiam ostendere dixerunt. Hinc illud Vergilij: Degeneres animos timor arguit.* Hoc, *inquam, tale argumentum ab argumentatione differt: quòd argumentatio est uerborum contextus, certum aliquid ex ijs quæ antecedunt, concludens, ut syllogismus & inductio: argumentum uerò, ipsius argumentationis ratio, quod & medium nonnunquam dicitur. Ac proinde ut in corpore anima, & in anima rursus mens: ita in argumentatione argumentum. Igitur uis illa atque sententia, & ratio, quæ oratione clauditur, cùm aliquid probatur ambiguum, argumentum uocatur. Ipsa uerò argumenti elocutio expreßioq́; argumētatio dicitur. Vnde à Boëthio*

thio ita definitur: Argumentatio est argumenti per orationem explicatio.

RAIIANVS.

Argumenti ſanè.) Locus hic eſt apud Fabium decimo capite 5. libri Inſtitutionum oratoriarum.

Hoc inquam.) Argumentum differt ab argumentatione, vt pars à toto. Nam argumentum eſt vna propoſitio argumentationis, vel ipſum medium, vel (vt Boëthius ait) vis, ratio, quæ in argumentatione continetur. Argumentatio eſt integra orationis ſeries.

GLAREANVS.

Argumentatio eſt argum.) Omnis argumentatio probat concluſionem per medium aliquod, ídque dupliciter: vel per medium vniuerſale, vel per medium particulare. Si per medium vniuerſale, rurſus hoc fit dupliciter: vel enim per duas propoſitiones, & ſic eſt ſyllogiſmus: vel per vnam tátùm, & eſt enthymema. Si probatio fit per medium particulare, id rurſus eſt bifariam. Vel hoc particulare infert vniuerſale, & ſic eſt inductio: vel infert particulare, & eſt exemplum.

Boëthius libro 2. de differentiis Topicis, duas ponit argumentationis ſpecies: ſyllogiſmum, & inductionem. Petrus Hiſpanus adiicit duas ſpecies, enthymema & exemplum: quia ex prioribus duabus velut emanant. Si enim argumentatio diuidatur per duas ſpecies, eſt diuiſio generis per differentias formales: ſi per quatuor ſpecies, eſt diuiſio generis in ſpecies. Poteſt enim diuidi diuerſis modis & rationibus.

De

De quæstione, quid sit, & quemadmodum ab Enunciatione, Propositione, & Conclusione differat.

ERgo cùm argumentum sit ratio, quæ rei dubiæ fidem faciat: quid hoc loco res dubia uocetur, inuestigandum quoque est. Itaque sciendũ, quòd res dubia haud aliud quippiam hîc intelligi debet, quàm propositio dubitabilis, quæ proinde quæstionis sibi nomen inuenit atque sortita est: quandoquidem quæstio, dubitabilis propositio definiri solet. Quocirca quæstio non simpliciter propositio dicenda est, sed quæ cum interrogationis nota proponitur: ut, Nunquid anima immortalis est? Eadem tamen oratio, si simpliciter proferatur, nempe citra interrogationis notam, quatenus uidelicet aliquid de aliquo enunciat, Enunciatio dicitur. Quatenus uerò ipsa syllogismi alicuius pars sit, Propositio appellatur. Insuper & conclusio esse potest, cùm ex sumptis propositionibus collecta fuerit facto syllogismo, aut utcunque aliter probata, conuenienti adhibito argumento. Est enim Conclusio argumento uel argumentis probata propositio. Sed illud exemplo nunc ostendamus. Agè igitur quæstio sit, Num anima immortalis est? Id ita quispiam probauerit, tali principio ex Platone desumpto: Quicquid semper mouetur, immortale est: anima autem semper mouetur: anima igitur immortalis est. Atque ita eadem oratio, quæ priùs in dubitationem adducta, quæstio proinde erat, postea facta est conclusio. Quæ si in altero syllogismo pars sumpta fuerit, propositio dicitur, & ante hoc enũciatio. Igitur quæstio, propositio, enunciatio, & conclusio, subiecto req; ipsa idem sunt, etsi ratione distinguantur.

RAIIANVS.

Ergo cùm.) Quæstio, propositio, enunciatio, cõclusio, sunt eadem secundùm rem, sed differunt ratione: idem enim pronũciatum potest esse quæstio, propositio, enunciatio, conclusio.

Quo pacto Locus sedes argumenti intelligatur, & de Loci diuisione, & de argumenti rursus multiplici acceptione.

SEd nunc etiam aperiamus oportet, quò pacto intelligi planè posit quod dictum est, Locus est sedes argumenti. Sanè idipsum aperire, non paruam huic parti lucem afferre uidebitur. Itaque dicamus ex Boëthio, quòd sedes argumenti partim maxima propositio intelligi debet, partim maximæ propositionis differentia, in quæ etiam, ueluti membra quædam, locus ipse diuiditur, ut sit ipsius diuisio huiusmodi: Locorum alius est locus maxima, alius locus differentia maximæ. Porrò maxima propositio quæ dicitur, aliquoties quidem intra ambitum argumenti continetur, hoc est, ipsi argumentationi inseritur: aliquoties uerò extrà posita, uim tamen argumenti supplet ac perficit. Agè igitur, exemplũ subijciamus eius argumenti, intra cuius ambitũ maxima propositio continetur, sitq; quæstio, An sit regnum melius consulatu, fiatq; argumentatio hoc pacto: Quod diuturnius bonum est, melius eo est, quod minùs diuturnum est: regnum autẽ diuturnius est quàm consulatus: regnum igitur melius est quàm consulatus. Huic nimirum argumentationi maxima propositio inserta est, quæ quidem est: Quod diuturnius bonum est, melius eo est, quod minùs diuturnum est. Quæ præterea ita nota est, ut extrinsecùs probatione non egeat

egeat: quinimò ipsa alijs probatio esse potest. Et quid inde nascitur argumentum, rectè locus, id est, sedes argumẽti uocatur. Rursus *subijciatur exemplum, in quo extrà posita maxima propositio, nihilominùs uim affert argumento. Sit ergo alicui propositum ostendere, quòd inuidus sapiens non est, à quo proinde huiusmodi nectatur syllogismus: Qui inuidus est, alienis affligitur bonis: atqui sapiens bonis alienis non affligitur: sapiens igitur inuidus non est.* Hìc *quidem maxima propositio inclusa nõ est, sed extrà posita, uim tamen argumentationi ipsa subministrat. Est enim huic argumentationi fides ex ea propositione, quæ dicit: Cuicunque definitio non conuenit, nec ipsum definitum.* Insuper & *argumentum, quo fides rei dubiæ facta est, à definitione deductum est. Sciendum autem, quòd argumenti nomine tum hìc, tum alibi. nunc quidem maxima propositio, imò & tota ipsius argumentationis probatio intelligitur: nunc ipsa argumentatio, quæ maxima propositione confirmari solet, id quod his quoque uerbis Quintilianus apertè indicat libro 5. ubi de argumentis disputat: hoc enim nomine (inquit) complectimur omnia, quæ Græci enthymemata, epicheremata, & apodixeis uocant. Interim uerò & terminus, qui medius constituitur, quoties alijs duobus adiunctis, argumentatio contexitur, ac per hcc uim tenet probationis, argumentum appellatur.*

RAIIANVS.

Sed nunc.) Finitio loci aliquid difficultatis continere videbatur, ideo Cæsarius eam copiosiùs explicat.

Itaque dicamus.) Ex hac diuisione exploratum est, omnem locum Dialecticum esse tanquam pro-

positionem per se notam, à qua argumẽta vim suam habent.

Quod diuturnius bonum est.) Maxima hæc propositio est apud Aristotelem primo capite 3. lib. Topicorum.

GLAREANVS.

Quo pacto locus sedes argumenti.) Totum negocium Topices cõsistit in maximis propositionibus, quæ sunt argumentorum sedes. Nam totius probationis vis, ex maximis illis sumitur, propterea quòd sunt notissimæ: ideóque facilem fidem faciunt, neque ipsæ vlteriore indigent probatione, vt videantur veræ.

Quid sit locus maxima, & quid locus differentia maxima.

Ex his igitur quæ dicta sunt, manifestũ euadit, quòd locus quidem maxima est uniuersalis & principalis & indemonstrabilis, atque ita per se nota propositio. Cuiusmodi est maxima illa suprà posita: Cuicunque definitio non conuenit, nec ipsum definitum: & id genus aliæ. Ideo autem uniuersales, & maximæ propositiones dicuntur, quoniam ipsæ sunt quæ cæteras continent propositiones: quippe per quas consequens, & rata conclusio fit. Locus uerò differentia maximæ est, quo maxima à maxima differt: ut si dicam, à definitione, aut à definito, aut ab alio quouis huius generis communi termino. Siquidẽ per hunc iam maxima propositio, in qua ipse ponitur, ab ea differt maxima, in qua idem terminus uel non ponitur omninò, uel si ponitur, non tamen qui argumentum præstet ad fidem rei dubiæ faciendam. Quare ab illa iam aliquoties repetita maxima, hæc differt maxima: Cuicũque

non

non conuenit definitum, nec ipsa definitio: propterea quòd tametsi idem terminus in utraq; ponitur, ab eodem tamen in utraq; non sumitur argumentum. Vnde illarum duarum maximarũ altera à definitione, altera à definito ut nomen, ita differentiam accipit. Atq; idipsum quidem est, quod Boethius his propè uerbis inuenire uisus est: Differentiæ (inquit) maximarum propositionum idcirco dictæ sunt, quod cùm plurimæ sint propositiones, quæ maximæ uocantur, per has illæ ueluti differre inter se dignoscuntur: ut cùm ex quibus terminis maximæ propositiones constituantur, per ipsas nomine expresso indicantur. Itaque non in eo quòd maximæ sunt, inter se differunt, sed in eo quòd hic à definitione, ille à definito: & hic rursus à genere, aut à toto locus dictus sit. Præterea si maximæ propositiones loci argumentorum sunt, & differentias maximarum locos esse necesse est. At de his quidem hactenus. Nunc propositum prosequamur, hoc est, rem ipsam, quam quærimus, aggrediamur.

RAIIANVS.

Ex his igitur) Propositio maxima per similitudinem sic dicta videtur: vt enim maior propositio in syllogismo dicitur, in qua est veluti firmamentum totius syllogismi, & cui minor inest: sic hęc dicitur maxima propositio, ex qua plurima depromi possunt ad varias quæstiones probandas.

Cuiusmodi est) Est igitur hæc maxima propositio. A quocunq; finitio remouetur, ab eodem finitum. &, Cui genus non conuenit, nec species. Locus verò quia est, differentia maximæ est: vt cùm dicimus, Locus est à finitione à genere, à specie. Est enim

A locus

locus differentia maximæ, qua vnam maximam ab alia separamus.

GLAREANVS.

Quid sit locus maxima) In propositionibus secũdum naturam rerum ita est, vt vna sit minor, alia maior. Contingit igitur, vt aliqua sit maxima. Item, cùm vna sit dubitabilis, altera indubitabilis erit. Maxima igitur est, quæ maximè vniuersalis, indubitata, ac notissima. Verùm quoniam hæ maximæ innumerabiles sunt, considerandum quo pacto has discriminemus, & eam multitudinem in paucas ac vniuersales colligamus differentias: ita vt alias maximas dicamus in definitione consistere, alias in genere, alias in causa, in toto, alias alio modo. Vt igitur maximæ aliarum propositionum loci dicuntur, quia eas intra ambitum suum continent; ita ipsæ quoque differentiæ illarum maximarum loci dici possunt, quòd in ipsas maximæ velut in quasdam classes reducantur. Est autem elegans exemplum in Grammaticis, vt noscatur differentia inter locum maxima, & differentia maximæ. Omnis dictio est pars orationis. quòd si quis omnes dictiones requirere velit, cùm sint infinitæ, incassum laborarit, nisi in ordinem aliquem digesserit, videlicet vt sit inter eas differentia aliqua, Itaq; Donatus in octo differentias, siue classes, omnes dictiones conclusit, quas vocauit orationis partes, Nomen, Pronomen, Verbum, Aduerbium, Participium, &c. Dictiones igitur sunt velut maximæ: orationis autem octo partes velut differentiæ maximæ,

Quo

Quo pacto loci differentiarum maximarum diuidantur.

REstat igitur, ut posthabita locorum maximarum diuisione, eos deinde subdiuidamus locos, qui maximarum differentiæ dicti sunt: idq́; ob eam in primis commoditatem, quòd hi illis pauciores sint, quippe qui eos contineant ut uniuersaliores. Vnde & per hos facilior transitus fiet, attestante id ipsum Aristotele in Topicis libro undecimo. Accedit, quòd ex horum diuisione rem, quam quærimus, citiùs assequi poterimus. Sit autem diuisio huiusmodi: Locorum, qui maximarum differentiæ dicti sunt, alij ab his dicuntur terminis, hoc est, nomen accipiũt, qui in quæstione positi sunt: alij extrinsecus sumuntur, alij inter hos medij sunt. Sed illud nunc animaduertendum hîc est, quòd cùm dicitur, ab his terminis, qui in quæstione positi sunt, id cum primis intelligendum est ab altero illorum. Nam cum duo sint unaqualibet proposita quæstione termini, subiectus unus, & prædicatus alter: ab horum altero locus differentia maximæ nomen accepit. Vt sit proposita quæstio, Estne concha animal? in hac duo sunt termini, animal & concha. Dubitatur autem, utrùm animal de concha prædicetur. Tertius proinde restat inueniendus, qui illos duos connectat, atq́; id quod propositum est, ita esse confirmet: unde & medium appellatur, & ratio, & argumentum. Hinc iam tertius ille terminus ab altero illorum nomen accipiet, utpote quod ad eum sit aut ut definitio, aut ut definitũ, aut ut genus, aut ut totum, aut ut causa, aut quomodocunq; aliter. Vt sit, exempli causa, tertius iste terminus, animalis definitio, quæ est substantia animata sensibilis. Tunc sic ar-

gumentor: Concha est substantia animata sensibilis, igitur concha est animal, quod nimirum iam antea dubitari poterat: cuius dubitationis scrupulus hinc pendere uidetur, quòd conchæ nec uideant, nec ullum aliū sensum habeant, quàm cibi & periculi, hoc est, gustus & tactus, authoribus Aristotele & Plinio. Ergo qui tertius accessit terminus, & à definitione alterius è duobus, ueluti è loco aliquo eductus, hunc scrupulum sustulit: factusq; est illius argumentationis probatio & argumentum, cuius deinde maxima superueniens propositio (quæ quidem est: De quocunque prædicatur definitio, & definitum) omnem tollit dubitationem ambiguitatemq́; : si fortè interim dubitabatur adhuc, quæ'nam sit ipsius definitionis ad definitum habitudo.

RAIIANVS.

Restat igitur) Proposita diuisione locorum maximarum, redit ad diuisionem eorum locorum, qui differentiæ maximarum dicti sunt.

Quòd hi illis pauciores sint) Omnia vniuersaliora sunt pauciora: loci qui differentiæ maximarum, sunt vniuersaliores: ergo sunt pauciores ipsis maximis. Ratio hæc est Boethij libr. 2. differentiarum Topicarum.


Locorum) Hęc diuisio locorū est Themistij, cuius Boëthius refert sententiam libro 3. differentiarum Topicarum. Aristoteles verò libro 1. Rhetoricorum, locos in artificiales & inartificiales partitur. Quam partitionem Aristot. Cicero libro 2. de Oratore ad Quintum fratrem, Quintilianus lib. 5. imitati sunt. Loci medij à Themistio constituti facilè ad internos reduci possunt: cui sententię Rodolphus

phus 4.cap.1.libri ſubſcribit.

Authoribus Ariſtotele & Plinio) Guſtus & tactus ſunt ſenſus neceſſarij omni animali: cæteri videntur ornamenta quædam. Author Ariſtoteles vltimo cap.3.lib.de Anima. Plinius in eam rem libro decimo cap.decimoſept. ſcribit: Tactus ſenſus omnibus eſt etiam quibus nullus alius. Nam & oſtreis & terreſtribus vermibus quoq;. Aeſtimauerim omnibus ſenſum & guſtatus eſſe: cur enim alios alia ſapores appetunt? in quo eſt præcipua naturæ architectio. Hactenus Plinius.

GLAREANVS.

Sed illud nunc animaduertend.) Noſtri Dialectici diuidunt locum per internum, externum, & medium. Internum vocant, quando argumentum ſumitur ab his, quæ ſunt de ſubſtantia rei: vel quando terminus inferens eſt in termino illato, ſecundum aliquem modum eſſe in. De quibus tractatu 2. cap. 4. Externam vocant, quando ſumitur argumentum ab his, quæ omnino ſeparata ſunt à ſubſtantia rei: aut quando terminus inferens non eſt in termino illato, ſecundum aliquem modum eſſe in. Locum medium vocant, quando argumentum ſumitur ab his, quæ partim conueniunt cum terminis in quæſtione poſitis, & partim differunt ab eis: vel quum terminus inferens & illatus medio modo ſe habẽt, ſic, quod aliquo modo idem ſunt, aliquo modo non idem.


Locus differentia maximarũ est triplex:
Internus, qui duplex est:
A ſubſtãtia, & ſunt tres:
à Definitione,
à Deſcriptione,
à Nominis interpretatione.
A concomitantibus ſubſtantiam, & ſunt octo:
à Toto,
à Parte,
à Cauſa,
ab Effectu,
à Generatione,
à Corruptione,
ab Vſibus,
à communiter Accidentib.
Externus, Horum ſunt decẽ:
ab Autoritate, vel à rei iudicio,
à Similibus,
à Paribus,
à Proportione,
à Minore,
à Maiore,
ab Oppoſitis,
à Repugnantibus,
à Tranſſumptione,
à Tranſmutata proportione.
Medius. Horum tres ſunt:
à Caſibus,
à Coniugatis,
à Diuiſione.

De

De tribus locis, qui à substantia dicuntur.

TErminorum porrò, qui in quæstione ponuntur, alij substantiã rei indicant, alij ipsam consequuntur substantiam. Substantiam rei indicant, siue à substantia termini dicti sunt, quicunque in definitione uel sola consistunt. Definitio quippe est, quæ substantiam rei monstrat, indicatq;. Sed id iam exemplo patefaciamus. Agè igitur, quæratur an arbor sit animal, fiatq; huiusmodi argumentatio: Animal est substantia animata sensibilis: arbor autem substantia animata sensibilis non est: non est igitur arbor animal. Locus quidem differentia maximæ, à definitione. Locus uerò maxima, Cuicunque definitio non conuenit, nec definitum. Prætereà autem, & quoties à descriptione argumentum ducitur, Locus à substantia dici potest. Nam ut definitio substantiam rei monstrat per genus & differentias, ita descriptio eiusdem intelligentiam claudit quibusdam accidentibus, unam proprietatem, quæ rei conueniat, efficientibus, uel substantialibus differentijs præter conueniens genus aggregatis. Quod quidem tum maximè contingit, cùm prima genera describuntur. Huius tale sit exemplum: Albedo nullis subiacet accidentibus, ergo albedo substantia non est. Etenim substantia est, quæ omnibus subiacet accidentibus. Locus quidem differentia maximæ, à descriptione. Locus uerò maxima, Cuicunq; non conuenit descriptio, nec descriptum. Præter hos duos à substantia locos, tertius est, qui à nominis interpretatione dicitur, quem Marc. Cicero Notationem, Aristoteles Symbolum uocat, illis haud multùm absimilis. Siquidem interpretatio nominis, eius rei quæ

nomine ipso significatur, quædam quasi designatio est. Ab hac argumentum ducitur, si quæratur: Vtrum Philosophiæ studendum sit. Ad quod probandum talis instituitur syllogismus: Philosohia amor sapientiæ est: atqui sapientiæ esse studendum nemo dubitat: Philosophiæ igitur studendum est. Locus quidem differentia maximæ, ab interpretatione. Locus uerò maxima, Cui nominis interpretatio conuenit, & ipsum nomen, cuius interpretatio facta est. Sanè hoc loco rectè uti possunt ij, qui linguarum imperiti non sunt. Siquidem interpretari nihil aliud est, quàm linguam unam per aliam exponere. Fit tamen & in eadem nonnunquam lingua: ut locuples dicitur, qui locis abundat, hoc est, prædijs & possessionibus. Cauendum autem ne temerè quicquam interpretemur, quemadmodum ij solent, qui nullius propè linguæ satagunt. Quo fit, ut ijdem dictum lapidem esse interpretentur, quòd pedem, lædat: & petram, quòd pedibus quasi trita sit: cùm utrunq; Græcam originem habeat, id quod Laurentius Valla quoque attestatur. Insuper & alia pleraque ad eundem interpretantur modum, ridiculè uidelicet magis, quàm scitè. Neque uerò nominis interpretatio ob id dicenda non est, si ad uiuum (quod dicitur) non reddiderit id quod interpretandum proponitur, ut cœlum, quod (ut Varro interpretatur) quasi cœlatum dictum est. Nec item refert, si non rei cui attribuitur, omni ex parte conueniat, ut Philippus, quod nomen interpretatur, amator equorum. Quid si non omnibus conueniat, qui hoc nomine uocentur? dummodo tamen illi conueniebat, cui primùm impositum est, patri fortaßis Alexandri Magni. Ex quo frustrà mihi laborare uidentur hi, qui duplicem nominis interpretationem inducunt. Vnam

quid

quidem, quæ cum interpretato conuertatur: alteram uerò, quæ conuertibilis non sit. At nunc illud potiùs scire debemus, quòd per dictos locos uarie argumentari possumus, nunc subijciendo, nunc prædicando eundem terminum, atque ipsum etiã de aliquo nunc construendo, nunc destruendo. Tum & cõuerso ordine totidem modis, uerbigratia, à definito, à descripto, ab interpretato nomine: simulq́; & maximas ipsas toties uariare: id quod studiosus huius artis facilè ex seipso intelliget, alioqui inutilis prorsus, qui huic studio addicatur. Sed iam ad reliquos huius diuisionis locos transeundum esset, nisi illud succurreret prius admonendum, quod ut à definitione ad definitum, à descriptione ad descriptum, & à nominis interpretatione ad interpretatum firma est & perpetua consequendi ratio: ita & à proprio, ad id cuius est propriũ, & contrà: ut si quid risibile est, idem homo est. Hinc & equus mansuescere posse probatur, cùm animal sit disciplinæ capax, iuxta illud Horatij: Fingit equum tenera docilem ceruice magister. Ire uiam, quã monstrat eques. Locus quidem differentia maximæ, à proprio. Locus uerò maxima, Si cui proprium alicuius rei conuenit, & id cuius est proprium.

RAIIANVS.

Terminorum porrò.) Locorum qui sumuntur à terminis positis in quæstione, alij sumuntur à substantia, alij à concomitantibus substantiam. Locus à substantia dicitur, quando sumitur argumentum ab his, quæ sunt de substantia rei de qua quæritur, cuiusmodi est genus, species, differentia. Finitio autem est tota rei substantia. A concomitantibus substantiam sumitur argumentum, quando ducitur ar-

 gumentum

gumentum ab aliquo, quod eius rei de qua quæritur, comitatur substantiam.

Huius tale.) Hoc Enthymema sic in syllogismũ coniicitur: Omnis substantia accidentibus substat, nulla albedo accidentibus substat, ergo nulla albedo est substantia.

Ad quod probandum.) Hic locus sic in formam syllogismi reducitur: Omni amori sapientiæ est studendum, philosophia est amor sapientiæ, ergo philosophiæ est studendum.

At nunc illud.) Ab his tribus locis, finitione, descriptione, interpretatione nominis quatuor modis argumentari possumus, duobus affirmatiuè ex parte subiecti, & prædicati: & ab iisdem terminis totidem negatiuè.

De his locis, qui terminorum substantiam consequuntur.

HIs ita præmonitis, eos iam aggrediamur locos, qui terminorum substantiam cõsequuntur. Horum sanè multifaria diuisio est. Siquidem plura sunt, quæ singularibus substantijs adhærescunt. Ex his igitur alij à toto dicuntur, alij à partibus, alij à causis, alij ab effectibus, siue ut Cicero ait, ab effectis, nonnulli à generatione, & à corruptione, & alij item ab usibus, quidam etiam à communiter accidentibus. Sed ex his omnibus, primus exponendus uenit, qui à toto dictus est: quod ut commodius fiat, quot modis ipsum totum dicatur, subijcere oportet. Dicitur autem totum duobus modis: Aut enim ut genus, quod & totum uniuersale dicitur: aut ut id, quod ex partibus integratur. A toto igitur, quod & genus est, argumentum

duci

ducitur, ut si quæratur, An iustitia sit bona, fiatq; syllogismus hoc modo: Omnis uirtus est bona, iustitia autẽ uirtus est, iustitia igitur bona est. Locus quidẽ differẽtia maximæ, à toto, hoc est, à genere. Locus uerò maxima, Quæ generi adsunt, & speciei. Rursus sit quæstio, an humanæ res prouidẽtia regantur. Dicimus ergo sic: Mundus prouidentia regitur, humanæ autem res mundi partes sunt, humanæ igitur res prouidentia reguntur. Locus quidem differentia maximæ, à totò, id est, ab integro, quod partibus constat. Locus uerò maxima, Quod toti conuenit, & partibus. Porrò ut à toto, tum hoc, tum illo argumẽta ducuntur, ita & contrà ab utriusque partibus duci possunt. Itaque à partibus totius, quod genus est, argumentum ducitur, ut si quæratur: An uirtus sit mentis bene compositæ habitus, & fiat syllogismus hoc pacto: Iustitia, fortitudo, temperantia, atque prudentia habitus sunt mentis bene compositæ: & hæc quatuor uni uirtuti uelut generi subijciuntur: uirtus igitur mentis bene compositæ habitus est. Locus quidem differentia maximæ, à partibus totius siue generis. Locus uerò maxima, Quod singulis inest partibus, id toti inesse necesse est. A partibus autem, quæ integri partes esse dicuntur, argumentum ducitur, ut sit hæc quæstio: Est ne Rhetorica utilis? Dicimus hoc modo: Inuentio utilis est, & dispositio, & elocutio, & memoria, item & pronunciatio: & hæc quinque: Rhetoricæ partes sunt, ut ex quibus ipsa integratur: Rhetorica igitur utilis est. Tum uerò & per destructionem argumẽtatio procedit, ut si quærat quispiã, num hic, quem seruum esse constiterit, liber sit. Hunc si quis non esse liberum monstrare uelit, hic dicet: Si neque censu, neque uindicta, neque testamento liber factus est, liber non est: At nulla earũ parte liber

te liber factus est: non est igitur liber. Locus quidem differentia maximæ, à partibus, siue (ut Ciceroni placet) à partium enumeratione. Locus uerò maxima, Si omnes partes à re qualibet abiunctæ fuerint, & totùm necessariò abiungetur.

RAIIANVS.

His ita præmonitis.) Explicat hoc capite locos quosdam, qui substantiam eius rei de qua quæritur, consequuntur.

A toto igitur.) A toto vniuersali affirmatiuè colligimus, quando ipsum totum cum nota vniuersali sumitur: vt, Traianus omnibus virtutibus præditus fuit, ergo etiam iustitia.

Quæ generi.) Quæ generi insunt, etiam alicui formarum conueniunt. Videndus est Aristot. 2. cap. 2. lib. Topicorum.

De alijs quibusdam modis totius.

SVnt præterea ab his duobus modis alij modi totius. Nanque & totum dicitur in quantitate, & totum in modo, & totum in tempore, & totum in loco. Quorum tamen duos posteriores sub toto in quantitate comprehendere planè licet: horum uerò partes sunt, quæ sub ipsis particulariter sumuntur. Totum ergo in quantitate est, cùm uniuersaliter quicquam dicitur: ut est, omne animal, cuius partes sunt homo, leo, bos, & aliud quoduis animal. Totum in modo dicitur, cùm simpliciter aliquid proponitur, ut homo, aut ambulat. Pars uerò in modo est, quoties idem cum adiectione aliqua proponitur, ut homo literatus, aut ambulat pedetentim. Totũ in tempore est, ut cùm dicimus, semper: cuius partes sunt, nunc, hodie, aliquãdo. Totum in loco, ut cùm dicimus, ubique: cuius partes sunt, hic,

hic, alicubi, Romæ. At horum omniũ nunc exempla subijciantur. Igitur à toto ad partem secundum quantitatem exemplum sit: Si in omnibus est uerus uates Apollo, & in hoc uerus esse perhibetur, quod dixit: Aio te Aeacida Romanos uincere posse. A toto autem ad partem secundũ tempus, ut si Deus semper est, & nunc est. Rursus à toto ad partem secundum locum, ut si ubique Deus est, & hic est. Cæterùm in his haudquaquam id consequens est, si à parte ad totum argumentum ducitur, nisi per negationẽ siue destructionem: ut non est hîc, ergo nec ubique est. At uerò à parte secundum modum utique rectè argumentatio procedit, licet non contrà: ut, si quoquo modo mouetur Deus, & simpliciter mouetur: irascitur autem Deus, ergo mouetur. &, si quis pedetentim ambulat, & simpliciter ambulat. Talibus ferè exemplis tum hîc, tum alibi per hũc tractatum, si cui id magis libeat, uti omnino potest, ut à toto uniuersali, siue à genere ad species, siue partes. per destructionem quidem, ut si non est animal, quod eminus uidetur, ergo nec homo est, nec equus. per cõstructionem uerò, ut homo est, aut equus: ergo animal. Sic & à toto, quod partibus integratur, ad ipsas partes per constructionem quidem: ut domus est, ergo tectum est, & parietes, & fundamentum. Per destructionem uerò, ut si non est paries, aut tectum, aut fundamentum, neque domus est.

RAIIANVS.

Sunt prætereà.) Totum in quantitate hoc loco dicitur quilibet terminus cõmunis cum nota vniuersali sumptus. Totum verò vniuersale est terminus communis sine nota vniuersali sumptus, vt iustitia est totum vniuersale, omnis iustitia est totum

in quantitate. Ab vtroque termino eodem modo argumentamur.

Cæterùm in his.) A parte in loco ad totum validum est argumentum negatiuè tantùm, vt in cœlo non sunt mala, ergo nec vbique.

De locis qui à causis dicuntur.

A Causis loci dicuntur, uel ab efficiente, uel à materiali, uel à formali, uel à finali. Tot enim modis causa dicitur. Et efficiens quidem causa est, quæ principiū motus præstat, ut aliquid fiat. Materia, quæ formas rerum subiecta suscipit. Forma autem, quæ cuiuslibet rei species est & ratio. Finis uerò, cuius gratia aliquid fit. Effectus porrò, qui has sequitur. Ab efficiente igitur causa argumentum ducitur, ut si quis iustitiam naturalem esse ostendere uoluerit, & dicat hoc modo: Congregatio *hominum naturalis est: homo quippe naturaliter ciuile animal est. Iustitiam uerò hominum fecit congregatio: Iustitia igitur naturalis est. Locus quidem differentia maximæ, à causa efficiente. Locus uerò maxima, Quorum efficiens causa naturalis est, ipsa quoque naturalia sunt. A materiali uerò, ut si quis Mauros non habere arma contendat, idcirco quòd ferrum eis desit. Vel hoc modo: Ferrum non est, igitur gladius non est. Locus quidem differentia maximæ, à causa materiali. Locus uerò maxima, Si non est causa materialis, neque ipsa, quæ ex ea conficiuntur, esse possunt. A formali autem: ut si quis probet Dædalum non potuisse uolare, quoniam nullas naturali forma pennas habuisset. Locus quidem differentia maximæ, à causa formali. Locus uerò maxima, Tantum unumquodque potest, quantum forma eius naturalis permittit. A fine, siue à causa finali argumentum ducitur: ut sit propositum, an iustitia*

tia bona sit, fiatq; hoc modo argumentum: Si beatum esse bonum est, & iustitia bona est. Hic est enim iustitiæ finis, ut si quis secundum iustitiam uiuat, ad beatitudinem perducatur. Locus quidem differentia maximæ, à fine siue à causa finali. Locus uerò maxima, Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est.

RAIIANVS.

A causis.) Causa dicitur in vniuersum, ad cuius esse aliud sequitur. Causarum tractatio frequēs est, & apud Dialecticos & Physicos. Causæ pertinent ad philosophum naturalē, quatenus principia quædam sunt, & ad motum reducūtur. Ad dialecticum verò, quatenus vel per eas finit, vel demonstrat, vel ab eis argumenta ducuntur.

Congregatio hominum naturalis est.) Hic locus sic ad syllogismum reducitur: Omnis congregatio hominum est naturalis: iustitia orta est ex congregatione: ergo iustitia est naturalis.

Tantum vnumquodque potest.) A causa formali metimur vniuscuiusque rei virtutem: ergo si forma non adfuerit, quæ requiritur ad talem operationē, & operatio aberit: vt calor est quædam forma accidentalis, qua mediante ignis calefacit, ergo si hæc cesset etiam cessabit calor.

GLAREANVS.

De locis qui à causis dicuntur.) De quatuor causis etiam suprà dictum est, Tractatu 7. Cap. 13. Hîc autem breuiter eas definit ex Boëthio lib. 2. de differentiis Topicis: deinde à singulis, vt argumenta ducantur, ostendit. Notantur autem quatuor causarū

prop

proprietates in his duobus maximè plebeiis uersiculis:

Ex,de,Materiam:notat à,vel ab,Efficientem:
Per,dat Formalem:sed propter,dat tibi Finem.

Nam ex efficiente nihil fit,sed ab efficiente : neque ex fine,sed propter finem aliquid fit.ita nihil ex forma propriè, sed per formam. Item, ex sola item materia nihil fit,sed ex materia & forma.

Finis uerò,cuius gratia aliquid fit.)Finalis causa prima est in mouendo, & vltima in consequendo. Efficiens prima est in exequendo,Materialis in subministrando,Formalis autem in perficiendo.

De locis, qui ab effectibus dicuntur, & item à generatione & corruptione.

AB effectibus quoque harum argumenta ducuntur. Verùm ad hoc ipsum scire oportet,duplicem esse cuiuslibet effectus causam:necessariam, ut sine qua effectus esse non potest : & sufficientem.quæ certè huiusmodi est, ut si adsit,impoßibile sit effectum non esse. Itaque *ab effectu ad causam necessariam ita argumentari possumus per constructionem : Gladius est ,ergo ferrum est : & domus est, ergo intritum est, & lapides,& ligna.*Locus *quidem max.ab effectu ad causam necessariam.* Locus *uerò maxima,* Posito *effectu, ponitur & eius necessaria causa.* Rursus *ab effectu ad causam sufficientem per destructionem potiùs quàm per constructionem,quando construendo argumentationem non semper euenit, quod inferre uolumus.*Vnde *non rectè sequitur:*Hic *interijt,ergo iugulatus est.*Siquidem *id euenire posset alio quouis casu, aut lethali morbo correpto alicui.* Destruendo *tamen ratum*

est quod

est quod infertur: ut, non interijt, ergo iugulatus non est. Item, lumen solis non est, ergo eius lux non est. Propterea *scire debemus, quòd ex ipsis causis latior patet argumentandi campus, authore* Hegio. *Itaq; ab efficiente quidem causa arguere possumus statuam commendabilem esse, quia* Phidias *eam fecerit, aut* Polycletus, *aut* Praxiteles. Hinc *illud* Ouidij. *Materiam superabat opus. A materia uerò res pretiosas aut uiles esse, quippe quòd tela serica pretiosior sit lanea, & lanea item linea.* Et *iuxta* Horatij *sententiam:* Vilius *argentum est auro.* Hinc *etiam scientia de anima honorabilior ab* Aristotele *dicta est cætera quauis de natura parte. A forma autem res extare, & item dignas, & minus dignas esse: ut hominum, quòd rationale animal sit, digniorem quolibet animali. A fine, res bonas siue utiles: ut exempli causa, liberales artes, quòd bonos & utiles habeant fines. Cæterùm qui ab effectibus dictus est locus, hunc* Boethius *eundem esse dicit cum loco à generationibus. Sed nos eos seiunximus, quòd generatio uidelicet non sit, quæ ad causas ipsas sequatur, cuiusmodi tamen effectus definitur: sed quæ potiùs uia quædam sit ad effectus producendos: quemadmodum corruptio ad eorum desitionem. Atqui horum speculatio alium postulat locum. A generatione igitur argumentum ducitur hoc modo: Assuefactio ad uirtutem bona est, igitur uirtus bona est,* Lo. qu. diff. max. à generatione. Lo. *ue. max.* Cuius *generatio bona est, ipsum quoq; bonum est.* A *corruptione uerò: ut desuefactio à uitio bona est, igitur uitium malum est.* Loc. qu. diff. *ma. à corruptione.* Locus *uerò max.* Cuius *corruptio bona est, ipsum quod corrumpitur, siue quod corruptum est, malum est.* Sane *sciendum, quòd quoties ab hoc loco argumentamur, prædicatum consequentis*

contrarium seu oppositum esse debet prædicato antecedentis. Quod tamen non ita euenit in loco à generatione, ob eam fortaßis causam, quòd per hanc aliquid acquiratur, per illam autem deperdatur acquisitum. Etenim ut generatio rei productio est ita corruptio eiusdem abolitio.

RAIIANVS.

Ab effectibus) Diuisio quam hoc loco Cæsarius proponit, est apud Aristot.3.lib. Auscultatoriorum. Est autem causa necessaria, vel vt loquitur Aristot. actu, quam necessariò sequitur effectus, vt ex arbore bona fructum ferente, necessariò bonus sequitur fructus. Alia ex causa sufficiens, non tamen necessaria, quæ impellit & adiuuat ad effectum consequendum, vt colloquium respectu amoris.

Hic interijt) Sic iugulare est causa sufficiens interitus, non tamen necessaria.

Atqui horum) in his duobus locis à generatione, & corruptione argumentationes componuntur prędicatis euariatis secundum has voces, bonum & malum, A generatione sic: generatio domus bona est, ergo domus est bona. Generatio Catilinæ pernitiosa fuit, ergo Catilina pernitiosus. At in loco à corruptione diuersum sumitur prædicatum in antecedente & consequente: vt domicilia latronum funditus euertere bonum est, ergo ipsa domicilia mala sunt. Aristotel, in Topicis sæpè hos locos inculcat.

GLAREANVS.

De locis qui ab effectibus dicuntur, &c) Valde generalia hîc colligit exempla: nempe quòd hæc argu

argumenta, vt diximus, etiam à causis nonnunquam debilia videntur, quibus tamen oratores, qua sunt dexteritate, optimè vti possunt, sed circunstantijs alijs additis ad singulas propè causas & effectus.

De locis, qui ab vsibus & communiter accidentibus dicuntur.

VSum definiunt rei cuiusque operationem, at minùs propriè. *Quādoquidem multarum rerum usus aliquis esse probatur, quarum tamen nulla est operatio, ut librorum quidem est aliquis, nulla autem operatio : & agri item, & gladij. Itaq; rectiùs definitur, cuiusque rei functio. In quibusdam tamen coincidunt usus & operatio, ut uisio oculi usus eius est, & functio & operatio pariter. Sed & illud hìc cauendum moneo, ne abusum pro usu usurpemus, ut hi faciunt, qui ita argumentantur. Interficere hominem malum est, igitur gladius malus est: quando certè in hoc non usus gladij est, sed abusus. Quippe ad propulsandam potiùs iniuriam, non ad inferendam gladius factus est. Vnde illud Diui Pauli ad Romanos cap. 13. Non frustrà gladium gestat is, qui in Republic. potestate fungitur. Dei enim minister est uindex ad iram ei qui malè agit. Ab usibus igitur, siue ab usu argumentum ducitur, si ita argumentetur quispiam : Equitare bonum est, igitur equus bonus est. Locus quidem differentiæ maximæ, ab usibus, siue ab usu. Locus uerò maxima, Cuius usus bonus est, ipsum quoq; bonum est. Communiter accidentia, ut hoc loco accipiuntur, sunt quæ sese comitantur, idq; uel semper uel plurimùm. Ab his igitur argumenta ducuntur, quoties ea sumuntur accidentia, quæ*

relinquere subiectum uel non possunt, uel non solent: ut si quis hoc modo dicat: Sapientem non pœnitet, pœnitentia enim malum factum sequitur, Quod quia in sapientem non cadit, ne pœnitentia quidem. Loc. q. d. m. à communiter accidentibus. Locus uerò maxima, Cui non inest aliquid, ei nec illud quod illius est consequens, inesse potest. Rursus & hoc modo secundum affirmationem: Pluit, ergo uapores in sublime leuati sunt. Vnde nec illud iam prætereundum est, quòd aliquoties quæ naturaliter priora sunt, in propositione tamen sunt consequentia: ut Peperit, igitur cum uiro concubuit. Quocirca non rectè ita proponitur: Inimicitiæ sunt, igitur bellum est. Sed è contrario potius: Bellum est, igitur inimicitiæ sunt. Nam ut ludum plerunque comitatur certamen & ira, ita ex ira inimicitiæ sæpe oriuntur, & ex his funebre bellum. id quod ab Horatio elegantissimè adnotatum est tertia ad Mecœnatem epistola: Ludus enim genuit trepidum certamen & iram: Ira truces inimicitias, & funebre bellum. Aliquoties uerò quæ naturaliter antecedunt, ea & in propositione priora sunt: ut arrogans est, ergo odiosus est, Ex arrogantia enim quisque fit odiosus. Tale est & illud, quod Anselmus inter medij ordinis theologos (nisi iudicio fallor) collocandus, in libro de casu diaboli adnotauit his uerbis: Aliud est, inquit, rem aliquam causam esse alterius rei: aliud positionem rei causam esse, ut aliud sequatur. Nam cùm incendium non sit causa ignis è diuerso incendij positio tamen incendij causa est ut ignem esse sequatur.

RAIIANVS.

Vsum definiunt) Vsus, vt inter locos numeratur, nihil

nihil aliud est, quàm actus ipse vtẽdi, siue operatio siue functio vocetur.

Sed & illud) Dicitur argumentum ab vsu, quando ab ipsa rei bonitate vel malitia colligimus. Nã ex hoc loco sumitur maxima per contrarium, Cuius vsus malus est, ipsum malum est: & cuius vsus bonus est, ipsum bonum est.

Communiter accidentia) Hæc sunt quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, hoc est, frequenter eueniunt: vt comptus est, ergo amat. philosophus est, ergo suum negotium agit, & hominum conspectum fugit.

Rursus & hoc modo) Est enim pluuia vapor calidus, fumosus, eleuatus à corporibus humidis per calorem solis vsque ad mediam aëris regionem, à cuius frigore condensatur, & in nubem conuertitur, quæ nubes rursus in aquam dissoluitur.

GLAREANVS.

De locis qui ab vsibus, &c.) Vsus duę definitiones sunt. Prior est Petri Hispani, quam reijcit, & aliam subijcit: deinde monet, ne abusum pro vsu vsurpemus. Atqui Petrus Hispanus accepit operationem largè: cùm verbalia in io significent actiuè, pasiuè, & neutraliter. Ergo operatio pro functione optimè capi potest: non ergo est reijcienda Petri Hispani definitio.

Interficere hominem malum est) Non est aliud magis consuetum vulgò, quàm abusum accipere pro vsu: & inde etiam sæpè argumenta fiunt vulgò pessima. vt, Inebriari malum est, ergo vinum malum est. Item, Multi Græcè docti sunt hæretici, ergo lingua Græca non est discenda. Multi per tortionẽ

iuris innoxios opprimunt, ergo iura ſunt mala. Item Medici ſæpe occidunt homines, ergo medicina eſt mala. Multi mali Poetæ impuris carminibus corrumpunt iuuẽtutem, ergo Poeſis mala eſt. Multi oratione ſplendida bonos viros lædunt, ergo Oratoria vituperanda eſt. Item. Sacerdotes multi ſunt impuri, ergo cœlibatus eſt malus. Quin illi ita argumentantur: Incendere domum eſt malum, ergo ignis eſt malus. Item, Multi in matrimonio conſtituti ſunt mœchi & adulteri, ergo matrimonium malum eſt. In his omnibus eſt fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.

De locis, qui extrinſecùs ſumuntur, qui & quot ſint.

Expoſitis locis, quod ab ipſis terminis in quæſtione poſitis ſumuntur, reſtant dehinc exponendi, qui licèt extrinſecùs ſumpti, argumenta tamen quæſtionibus ſuppeditant. Hi uerò ſunt, à rei iudicio ſiue ab authoritate, à ſimilibus, à partibus, à proportione, à maiore, à minore, ab oppoſitis, à repugnantibus, à transſumptione, & à transmutata proportione.

RAIIANVS.

Expoſitis locis) Extrinſeci loci dicuntur, quando ſumitur argumentum ab his, quæ ſunt omnino ſeparata à ſubſtantia rei de qua quæritur: vt, liberalitas eſt virtus, ergo non eſt vitium.

De loco ab authoritate, ſiue à rei iudicio.

Locus qui rei iudicium tenet, ſiue ab authoritate dicitur, huiuſmodi eſt: ut ſi dicamus id eſſe, quod uel

omnes

omnes iudicant, uel plures, & hi uel ſapientes, uel in unaquaque artium penitùs eruditi. Huius exemplum eſt, præter firmamentum eſſe planetarum orbes ſeptem: quoniam id ita aſtrologi doctiſsimi, & in aſtrologia ſapientes penitusq́; eruditi iudicarint. Locus quidem differentiæ maximæ, ab authoritate, ſiue à rei indicio. Locus uerò maxima, Quod omnibus uel pluribus, uel ſapientibus hominibus uidetur, ei contradicere non oportet. Huic & illa aſtipulatur maxima, Vnicuiq; in ſua arte perito credendum eſt. Sanè hic locus & ſi per alias quoque complures diſciplinas uſum ſuum præſtat, in duabus tamen id præcipuè ſpectatur, obſeruaturq́;. Vna quidem, quæ ueluti cæterarum artium fundamentum quoddam eſt, ac per hoc omnium infima, quippe literas docens, unde & nomē habet, à Græcis γραμματικὴ dicta: altera uerò, quæ quoniam circa diuinos uerſatur ſermones, Theologiæ nomen ab illis accepit. Hinc etiam diſciplinarum omnium ſuprema exiſtit, & tanquam aliarum regina haberi debet. Verùm ut illius authoritas in primis apud Poetas eſt atq; Hiſtoricos, cæterosq́; idoneos atq; probatos ſcriptores: ita huius authoritas ex nouo & ueteri Teſtamento petenda eſt. Porrò cùm duplex ſit authoritas, humana atque diuina: ſcire debemus, quòd humana plerunq; uacillat, diuina ſemper firma manet. Humanæ igitur contrauenire interdum licet, diuinæ nunquam: illa ſæpè rationibus fulcitur, hæc rationibus nullis indiget, ſibi ſufficientiſsima. Ergo cùm in humanis diſciplinis aliquis inſtituēdus eſt, is (ut Aurelij Auguſtini & uerbis & ſententia utar) duplici uia ducitur, authoritate & ratione. Et tempore quidem authoritas, natura uerò ratio prior eſt. Itaque quamuis imperitis adhuc authoritas uideatur eſſe

accommodatior (oportet enim, ut Aristoteles ait, addiscentem credere) ratio tamen apertior est eruditis. Authoritas igitur imperitis adhuc ianuam quodam modo aperit doctrinarum, & discentem ducit. Ratio autem eundem iam eruditum preßis uestigijs hærere facit, & omnia intromissa luce commonstrat.

RAIIANVS.

Locus qui) Locus ab authoritate illis maximè nititur, quæ in finitione probabili explicantur: est enim probabile, vt Aristoteles primo capite primi libri Topicorum finit, quod vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis videtur.

Vna quidem.) Grammatica minimùm ratione, plurimùm vsu, tota authoritate constat.

Porrò) Humana authoritas est, cuius prima origo à nobis est: vt syngraphum, instrumentum. Diuina, quæ vel Dei vel numinis voce profertur. Videndus est Cicero initio partitionum Oratoriarũ, & Rodolphus Agricola vicesimo tertio capite primi libri.

Altera verò) Plus valet authoritas in sacrosancta Theologia, quàm ratio: quia circa arduas res, & à sensibus remotas versatur, in quibus ratio humana nutat.

GLAREANVS.

De loco ab authoritate) Notandum, magnam esse contentionem de hoc loco apud eruditos, num negatiuè valeat. Vt si quis ita dicat, Euangelistæ hoc non dicunt, ergo non est. nam hoc ferè est huius ætatis argumentum. Hoc igitur docet: Erasmi

opinio

opinio est, in his quæ ad salutis necessitatem pertinent, esse efficax argumentum: sed non huius loci, verùm alterius, nempe loci à minore ad maius. Nã si Euangelistæ narrant multa, quæ non tantum videbantur ad animæ salutem pertinere, quantũ quædam, de quibus disputamus: videbitur certum esse, nihil eos omisisse eorum, quæ pertinebant ad animæ salutem. Item, apud doctos frequens sermo est, Plinius non meminit, Aristoteles nihil dicit, obticet Dionysius, cùm alia tam diligenter descripserint, argumento hercle sunt, non esse vera illa, quæ illi omiserint. Talia sanè argumenta virtute loci à minore ad maius, satis probabiliter procedunt.

De locis à similibus, & à paribus.

Similia sunt, quibus eadem qualitas inesse perspicitur. Vnde & similitudo definitur, rerum differentium eadem qualitas. Atqui simile, ut hìc accipi uidetur, sunt qui ita definiant: simile est, quod eandem cum altero suæ ueritatis probabilitatem habet. A similibus ergo siue à simili, hoc pacto argumentum ducitur: ut si dubitetur, an homini proprium sit bipedem esse, id ita probamus: Similiter inest equo quadrupedem esse, ut homini bipedem: at non est equo quadrupedem esse proprium: igitur nec homini esse bipedem. Locus quidem differentia maximæ, à similibus. Locus uerò maxima, De similibus idem est iudicium. Sanè hoc loco usus est Diuus Paulus: Si Christus (inquit) mortuus resurrexit, & nos mortui resurgemus. Vnde errare conuincuntur, qui hunc locum uno pede claudicare dicunt: quòd (ut aiunt) fallat plerunque adducta similitudo. Verùm id quoties accidit, non iam à similitudine, sed

 potiùs

potiùs à dißimilitudine erroris sui causam habet. Quapropter Quintilianus huic præcipuè loco iudicium adhibendum monet: Solent enim (inquit) nos fallere plerunque similitudinum species, ideóque adhibendum est his iudicium. Huic loco haud dißimilis est locus, qui à paribus dicitur. Sunt autem paria, quæ eiusdem sunt quantitatis: & paritas ipsa quantitatis ueluti similitudo quædam est. Ab hoc argumentum fit, si ita proponatur: Si cui in animo est Demosthenem laudare, cur non & Tullium laudabit, cùm alter alteri par sit? Nempe quãtus in eadem persuadendi arte unus, tantus & alter. Locus quidem differentia maximæ, à paribus. Locus uerò maxima, Parium idem est iudicium.

RAIIANVS.

Similia sunt.) Vt coruus & Aethiops dicuntur similia, quia eis eadem qualitas secundùm speciem inest.

Vnde errare.) Omnium locorum, è quibus argumenta ducuntur, nulli minus inest virium, quàm loco à simili: parum contra renitentem valet aduersarium, plurimum ad illustrandã orationem. Vt apud Quintilianum: Quemadmodum vascula oris angusti sparsam humoris copiam respuunt, sensim auté instillantibus replentur: ita tenera puerorum ingenia pro modo virium suarum docenda sunt. Insuper in loco à simili hoc obseruandum est, sat esse similia in vno tantùm consentire, non autem in omnibus. Vt: Quemadmodum oculus in corpore, ita mens in anima: in eo est similitudo, quia vt oculus est ornamentum corporis, ita mens animæ. Si quis autem ita ratiocinaretur: Vt oculus in corpore, ita

mens

mens in anima: sed oculus est corporeus, ergo mens est corporea: fallaci vteretur conclusione, quia in eo non consistit similitudo. Hanc rem totam paucis verbis Cicero in præceptis Herennianis libro quarto expressit: Non enim res tota toti rei necesse est similis sit: sed ad ipsum, ad quod confertur, similitudinem habeat oportet.

Si cui in animo.) De comparatione Demosthenis & Ciceronis videndus est Plutarchus.

GLAREANVS.

De locis similib. & à paribus.) Ex hac definitione sequitur, omnem similitudinem re ipsa esse dissimilium rerum. In hoc igitur loco oportet argumentari penes similia, in quantum similia: id est, penes prædicata illa, in quibus conueniunt res, non in quibus disconueniunt.

Vnde errare conuincuntur.) Nota, necesse est omnem similitudinem aliqua ex parte claudicare, nec posse dari similia vlla, in quibus non & aliquid dissimile dari queat. Nam nisi hoc esset, iam non essent similia sed eadem: hoc est, nō esset similitudo, sed identitas.

De loco à proportione.

COnfinis porrò duobus illis quodammodò est, qui à proportione locus dicitur. Nam ut similitudine res rei comparatur secundùm qualitatem, & paritate secundùm quantitatem: ita proportione habitudo comparatur habitudini. Est enim proportio quædā habitudinis comparatio. A proportione igitur argumentum ducitur, ut si quæratur, an sorte eligendi sint in ciuitatibus magistratus: dicimus, minimè: quia nec regēdis nauibus sorte præficitur

ficitur gubernator. Locus quidem differentia maximæ, à proportione. Locus uerò maxima, Quod in unaquaque re euenit, id in eius proportionali euenire probabile est. Hoc loco Aristoteles usus est in Ethicis libro primo, cum ait: Vt oculus in capite, ita mens in anima. Sanè hic locus accommodari in primis iudicibus potest, necnon & negotiatoribus. Siquidem ut operatio ad operationem, ita merces ad mercedem: & ut meritum ad meritum, ita præmium ad præmium: & rursus, ut delictum ad delictum, ita pœna ad pœnam. Hæc enim omnia proportionalia sunt.

RAIIANVS.

Confinis porrò.) Locus à proportione similis est duobus locis superioribus, à pari & à simili. Est igitur locus à proportione vnius habitudinis ad alteram comparatio, hoc loco.

Aristoteles.) locus est apud Aristotelem sexto capite primi libri Ethicorum. Huius exempli in superiori capite à nobis facta est mentio.

Siquidem vt operatio.) Huius loci plenior explicatio ex libro quinto Ethicorum Aristotelis, cùm de iustitia distributiua disputat, repetenda est.

GLAREANVS.

De loco à proportione.) Boëthius li. 2. de differētiis Topicis: Hic autem locus distat ab eo, qui à simili b. dicitur. Ibi enim vna res vnicuilibet alij comparatur: In proportione verò non est similitudo rerū, sed quædam habitudinis comparatio. Hæc ille. Petrus Hispanus autē ita discriminat: Quòd in loco à simili sumitur comparatio secūdum similitudinem inhærentiæ, in hoc verò loco secundum comparationem habitudinis. Quidam addunt, quòd in loco à si

à ſimili vtamur verbo ineſt,in hoc autem loco vtamur verbo habet. Quidam etiam aiunt, ſimilitudinem eſſe conuenientiam inter res cõuenientes ſpecie, ſed proportionem inter res conuenientes genere.

Sanè hic locus accommod.) Hoc etiam hîc cauendum,vt proportio non mutetur:videlicet Geometrica in Arithmeticam,ſiue illæ duæ in Muſicam, ſiue harmonicam. Nam in hoc argumento,vt ſe habent quatuor ad ſex:ita ſex ad octo. De Arithmetica proportione,vbi eſt æqualis exceſſus numerorũ, eſt verum:at de Geometrica, vbi eſt aqualis habitudo proportionum, non eſt verum. Nam in prioribus eſt proporttio ſubſeſqui altera, in poſterioribus verò ſubſeſqui tertia.

De locis à maiore,& à minore.

Maius quod hîc dicitur,& item minus,hoc pacto definiri poſſunt: Maius eſt,quod ſuæ ueritatis maiorem habet probabilitatem:è diuerſo minus,quod minorẽ. A maiore autem argumentum ducitur, ſi ita dicas: Non poteſt rex arcem aut urbem expugnare, ergo nec miles. Item:Si non licuit Herodi habere uxorem uiri alieni,igitur neque fratris. Locus quidem differentia maximæ, à maiore. Locus uerò maxima, Si id quod magis uidetur ineſſe,non ineſt, nec id quod minùs uidetur ineſſe, inerit. A minore uerò conuerſo modo;ut, Si quilibet uel gregarius miles poteſt expugnare aut arcem,aut urbem:& Imperator. Item:Si Scipioni priuato licuit Caium Gracchũ mediocriter Reipublicæ ſtatum labefactantem interficere:quanto magis Conſulibus licuit perſequi,ac demum ultimo afficere ſupplicio Catilinam, terras cæde atq; incendio

dio uastantem? Item: Si feræ diligunt partus suos: quánam in liberos nostros uti diligentia debemus? Locus quidem differentia maximæ, à minore. Locus uerò maxima, Si id quod minùs uidetur inesse, inest: & id quod magis uidebitur inesse, inerit. Hos locos Cicero & Quintilianus uocant à comparatione maiorum & minorum. A comparatione quidem maiorum: ut, Si quis sacrilegium aut peculatum committit, & furtum committet. A comparatione uerò minorum (qui tamen Oratoribus magis, quàm Philosophis usui est) ut: Qui facilè palàm mentitur, idem & peierabit.

RAIIANVS.

Maius quod hîc dicitur.) Horum locorum plena sunt omnia apud Dialecticos & Rhetores. Vnũ hoc est dignum obseruatione, maius dici duobus modis. Primo secundum rem, & quantitatem: huius exemplum est apud Aristotelem primo Rhetoricorum: Hìc patrem interfecit, ergo quemuis alium interficere audebit. Hoc est argumentum à maiori, si rem spectemus: sed à minori, si probabilitatem. Secundo aliud est maius secundùm probabilitatem, quod habet maiorem vel minorem suæ probabilitatis veritatem: vt, Imperator non potest par esse viribus Turcarum, ergo neque dux aut comes. Eodẽ modo distinguendum est minus. Ex qua distinctione facilè est intelligere locum Ciceronis in Topicis, cùm ait: Quod valet in maiore, valet in minore: & contrà. Quod enim valet in maiore negatiuè, etiam valet in minore. Si enim quod est difficilius & probabilius fieri non potest, ergo nec id quod est facilius, & minus probabile: vt, Si fines non regantur

tur in vrbe, nec aqua arceatur. Et quod valet in minori, valet in maiori affirmatiuè: vt, Aqua in vrbe arceatur, ergo fines regātur. Huius loci duo elementa Topica apud Aristotelem frequenter repetita sunt: Si id quod videtur magis inesse, non insit: nec id quod videtur minus inesse, inerit. Et si id quod minùs videtur inesse, insit: & id quod magis, inerit.

Si Scipioni.) Hæc historia est apud Plutarchum in vita Gracchorum, & Valerium Maximum libro tertio, capite de fortitudine.

De loco, à transsumptione.

Caeterùm qui à transsumptione locus dicitur, non is est, quem uulgus Dialecticorum *esse putat, atque definit, quoties nomen magis notum transsumitur pro nomine minùs noto.* In *qua tamen opinione &* Boëthium *esse deprehēdo, uirum alioqui de arte* Dialectica *optimè meritum. Sed ut cum bona eius uenia dixerim, quandoque bonus dormitat* Homerus*: imò idem* Poëta *ait, Sæpè opere in longo fas est obrepere somnum. Itaque acutiùs atque subtiliùs hoc animaduertens* Alexander Hegius*, nostra ferè ætate apud* Dauentriam*, nobile profectò & præclarum* Germaniæ *oppidum, haud incelebris gymnasiarcha, uir alioqui inter priscos* Philosophos *connumerandus, & post hunc* Iacobus Faber Stapulensis*, obseruandissimus quondam præceptor meus, cùm* Parrhisijs Philosophiæ *studijs operam nauarem, & ante hos* Buridanus*, homo certè ingenio felicior, quàm institutione, longè aliter hunc locum exponunt, atque exemplis insuper declarant: unde & ab his transsumptio definitur esse, quoties nomen metaphoricōs, hoc est, translatitiè sumptum, per proprium explicatur. Ab hoc autem argumentum ducitur,*

tur, uerbi causa, si dicamus: Dialectica utilis est ad om- nem methodum, igitur ad omnem scientiam utilis est. Lo- cus quidem differentia maximæ, à nominis transsumptio ne. Locus uerò maxima, Quicquid alicui conuenit sub nomine metaphoricōs sumpto, eidem conuenit & sub no- mine propriè sumpto. Sanè hoc loco non Philosophi mo- dò utuntur interdum, cæteriq; scriptores, sed & sacræ li- teræ eo plenæ sunt, ac scatent propemodum: ut, Si leo ru- giẽs fugiendus est, & Diabolus fugiendus est. Item, si Chri stus leo est, & rex est.

RAIIANVS.

Cæterùm.) Huius loci triplex est vsus. Primus, quando thesim ad hypothesim transferimus: vt si quæratur quid iustitia in omni re valeat, & ostenda tur eam multum in Reip. administratione posse. Se- cundus, quando nomen notius sumitur pro igno- tiore: vt sapiens pro philosopho. Tertius, quando nomen per metaphoram sumptum, per proprium explicatur: vt si quis pro ardere amore, vehementer amare dicat.

Ad omnem methodum.) Μέθοδος est breuis via: hinc per trãslationem significat dicendi compen- dium, & rationem rerum dicendarum.

Et rex est.) Nam leo animal est ferox, & omnium animalium generosissimum: & leones tantùm ex fe- ris clementia vtuntur in supplices: prostratis enim parcunt. Vide Plinium libro 8. cap. 16.

De locis ab oppositis, & à repu- gnantibus.

AB oppositis uerò toties argumenta ducuntur, quoties inter se aliqua opponi dicũtur. Opponuntur autem

modis

modis quatuor. Aut enim contrariè, ut album, nigrum: aut priuatiuè, ut iustum, iniustum: aut relatiuè, ut dominus, seruus: aut contradictoriè, ut uidere, non uidere. At de his quidem in tractatu de prædicamentis satis (ut arbitror) dictum est. Itaque à contrarijs argumentum ducitur hoc modo: Si bona est sanitas, ægritudo mala est. Vel si est aliquod animal sanum, idem ægrum non est. A priuatiuis: ut, Si iniustitia fugienda est, sequenda est iustitia. Vel, si quid uidens est, idem profectò non est cæcum. A relatiuis autem: ut, Quisquis pater est, filium habeat necesse est. Vel, si quis pater est alicuius, eius filius non est. Porrò à contradictorijs: ut, Si quis est uidens, idem iam non est non uidens. Locus quidem differentia maximæ, ab oppositis. Locus uerò maxima, In contrarijs, priuatiuis, relatiuis, & contradictorijs opposita sibi conuenire non possunt. In relatiuis insuper alterum sine altero esse non potest. Præter hæc autem sunt & repugnantia, quæ à nonnullis disparata dicuntur. Repugnantia quidem, quòd licèt nulla oppositione inter se aduersa sint, à se tamen adeò diuersa sunt, ut alterum de altero nequaquam prædicari poßit: disparata uerò, quòd ueluti dispares res significent. Ab his igitur argumentum ducitur, ut si dicamus: Homo est, igitur lapis non est. Item: Si quid homo est, id neq; bos est, neq; equus, neq; aliorum quicquam, quod ab homine diuersum est. Locus quidem differentia maximæ, à repugnantibus, siue à disparatis. Locus uerò maxima, Quæ sibi repugnant, hæc neutiquam conuenire possunt.

RAIIANVS.

Ab oppositis) Regula tradi solet, Ab affirmatio-

ne vnius oppositorum ad negationem alterius, ratæ & exploratæ fidei est argumentum. Quam regulam ex inductione facilè est probare.

A relatiuis) Aliud sunt relata, aliud relatiuè opposita. Dicuntur relata, quando sumuntur sine comparatione alicuius tertij, & sic mutuò se inferunt: vt, dominus est, ergo seruus est. Relata opposita dicuntur, quando conferuntur ad idem tertium, & sic affirmatio vnius infert negationem alterius: vt: Anchises fuit pater Aeneæ, ergo non fuit eius filius.

GLAREANVS.

At de his quidem in tractatu) Contraria quædam sunt immediata: vt, sanum ægrum, par impar. Et in his valet argumentatio constructiuè & destructiuè ab antecedente: Hoc animal est sanum, ergo non ægrum. Hoc animal non est sanum, ergo est ægrum. Quædam sunt mediata: vt, album & nigrum. & in his argumentatio valet constructiuè, sed non destructiuè, nisi remoueas omnia media. Cõstructiuè sic: Corpus hoc album est, ergo non est nigrum. Destructiuè sic: Corpus non est album, nec vllo medio colore coloratum. ergo non est nigrum. Cæterùm hoc quoq; obseruandum, vt argumentum fiat respectu subiecti susceptibilis. Quare non valet, Lapis non est sanus, ergo est æger. Quod etiam in priuatiuè oppositis verum est. neq; enim valet argumentum: Lapis non est videns, ergo est cæcus. Porrò relatiua aliquando inter se comparantur, quia sunt simul natura, & ab eis sumitur locus, qui vocatur à relatiuis, sed nullo prædicato. Constructiuè: vt, Pater est, ergo filius est. Destructiuè: Pater non

est

est,ergo filius non est. Aliquando autem comparátur ad subiectum aliquod, cui non possunt simul inesse,respectu saltem eiusdem.Et sic sumitur ab eis locus à relatiuè oppositis, qui valet destructiuè à consequente: Philippus fuit pater Alexandri, ergo non fuit ejus filius.

Præter hæc autem sunt & repugnantia) Notandum,si rectè argumentari volumus ab hoc loco,necesse est vt disparata ponantur in abstracto, non in concreto, quia concreta cõnotant subiectum. Vnde non valet,Hoc est album,ergo nõ est dulce. Sed illud valet, Hoc est albedo, ergo non est dulcedo. Item. Disparata debent poni in prædicato, non in subiecto. Quare non valet, Homo est animal ergo asinus non est animal.

De loco à transmutata proportione.

ADijcitur à quibusdam præter prædictos locos, qui extrinsecùs sumuntur, locus à transmutata proportione dictus. Is autem huiusmodi est, ut si ita dicamus: Sicut octo ad quatuor, ita sex ad tria: quippe quòd utrobique dupla sit proportio. Ergo sicut octo ad sex, ita quatuor ad tria: quæ numerorum ad se inuicem habitudo proportionem utrobiq; constituit sesquitertiam. Octo enim sex superant binario, quæ tertia pars est senarij. Itidem & quatuor tria unitate, quæ & ipsa pars est tertia ad tria, siue ad ternarium. Hinc & transmutata proportio dicitur, quòd ab una in aliam quasi transitus fiat. Cæterùm talem argumentationem hac maxima corroborant: Si ut primum ad secundum, tertium se habet ad quartum: & ut primum ad tertium, secundum, se habet ad quartum.

RAIIANVS.

Adijcitur) Proportio est mutua duarum quantitatum inter se commensurabilium habitudo: vt dupla inter vnum & duo. Colligimus igitur ab hoc loco, ex quantitatum commutatione ab vna proportione ad aliam: vt in exemplo Cæsarij à proportione dupla ad sesquitertiam. Huius loci exempla ab Arithmetica petenda sunt. Proportio dupla est, quando maior numerus bis minorem continet. Sesquitertia est, quando maior numerus continet minorem & tertiam eius partem: vt inter quaternarium & ternarium.

GLAREANVS.

De loco à transmutata proportione) Hic locus potest idem esse cum loco à proportione: in quo cauendum est, vt in eadem maneamus proportione Arithmetica, Geometrica, vel Musica.

De locis medijs.

MEdij dehinc loci sequuntur, quibus expositis, finem protinus huic tractatui imponemus. Sed cur ita dicantur, dicendum priùs. Medij quidem loci dici uidentur, quoniam in his argumenta neq; extrinsecùs omninò petuntur, neque ab ipsa terminorum substantia, sed ab ipsorum terminorum (ut exempli causa) uel casibus, uel coniugatis, leui quadam mutatione deflectuntur. Similiter & qui à diuisione locus dictus est, medius inter utrosq; collocatur: quoniam ex eo nunc ab ipsis in quæstione positis terminis, nunc extrinsecùs argumenta sumuntur. Sint igitur loci medij tres, à casibus, à coniungatis, à diuisione. Et casus quidem est, cùm principale aliquod

nomen

nomen in aduerbium deflectitur: ut à iustitia iustè. Coniugata uerò dicuntur, quæ ab eodem diuersimodè deducta fluxerunt: ut à iustitia iustè, & iustus, iusta, iustum. Sed *hæc omnia à* Cicerone *coniugata dicuntur, quòd quasi ab uno iugo deducantur. quæ & idem ita definit:* Coniugata *dicuntur, quæ sunt ex uerbis generis eiusdem.* Eiusdem *generis uerba sunt, quæ orta ab uno, uariè commutantur: ut sapiens, sapienter, sapientia.* A *casibus igitur argumentum dicitur, ut si quæratur de quopiam, sit ne prudens: & arguatur esse talis, hoc modo:* Prudenter agit, *ergo prudens est.* A *coniugatis uerò, si hoc pacto:* Iustitia *bona est, ergo qui iustus est, bonus est.* Locus *quidem differentia maximæ, à coniugatis.* Locus *uerò maxima:* Si *unum coniugatorum cuipiam conuenit, & reliquum.*

RAIIANVS.

Medij dehinc) Medius locus dicitur, quando ducitur argumentum ab eo quod partim conuenit cũ eo, de quo quæritur & partim differt. Vt si in dubiũ reuocetur an iustitia sit laudanda, sic colligendum est: iustus est laudandus, ergo iustitia est laudanda. Argumentũ ducitur à coniugatis, quę partim conueniunt & partim differunt.

Et casus quidem est) Casus hoc loco dicuntur ea nomina, quæ à primo deriuata cum eo ipso componuntur, vt sapienter iustè à sapiens iustus. Hęc tamẽ omnia, quia pertenui separantur discrimine, eodem nomine coniugata dicuntur. Locus est in Topicis Ciceronis ad Trebatium. Orta ab eodem verba vocat, quę habent idem principium & finem diuersum, vt temperans temperantia. Hanc verborum

coniugationem Græci συζυγίαν vocant, quam Aristot. in Topicis multum & sæpè commendat.

GLAREANVS.

A casibus igitur argumentum ducitur, &c.) Hic locus tum constructiuè, tum destructiuè, valet. Constructiuè: Iustè agit, ergo iustus est. Destructiuè: Iustum non est malum, Ergo quod iustè fit, non malè fit. Item, Non agit prudenter, ergo non est prudens.

A coniugatis verò, si hoc pacto, &c) A coniugatis valet locus tantum in essentialibus, vt in primo modo per se. Et vt arguatur non respectu vnius prædicati. Vnde non valet, iustitia est virtus, ergo iustus est virtus: sed ita, Ergo iustus est virtute præditus.

De loco à diuisione.

Restat locus à diuisione, qui (ut Boethio *placet) hoc modo tractatur,* Omnis *enim (inquit) diuisio uel negatione fit, uel partitione.* Negatione *quidem, ut si quis ita pronunciet:* Omne *animal aut habet pedes, aut non habet.* Partitione *uerò, ut si quis ita dicat:* Omne *animal aut sanum est, aut ægrum. & quoties uox diuiditur in sua significata.* Fiunt *igitur argumenta à diuisione, tum per negationem, tum per partitionem.* Verùm *qui diuisionibus utuntur, hi aut directa ratiocinatione contendunt, aut ad aliquod impoßibile inconueniensq́; ducunt, atq́; id quod reliquerant, rursus assumunt.* Sit *igitur in quæstione propositum, an ulla origo temporis fuerit: quod qui negare uolet, is directa ratiocinatione id demonstrabit hoc modo:* Tempus *aut originem habet, aut non habet:*

Sed quia mundus æternus est (id enim paulisper disciplinæ gratia concedatur) tempus quoq; æternum, quippe quòd mundus sine tempore esse non potuerit. Quod uerò æternum est, origine omnino caret: tempus igitur originem non habet. At si per impoßibile idem ostendi desideretur, dicetur hoc pacto: Tempus aut originem habet, aut non habet: sed si tempus habet originem, non fuit semper: Tempus autem habet originem: fuit igitur quando non fuit tempus. Atqui fuisse, temporis est significatio: fuit igitur tempus, quando non fuit tempus: quod fieri prorsus impoßibile est: non est igitur ullum principium temporis: Quo fit, ut ad alteram diuisionis partem tandem redeatur, & dicatur tempus origine carere. Locus quidem differentia maximæ, à diuisione. Locus uerò maxima, Condiuidentium uno sublato, alterum manet: & posito altero, tollitur reliquum. At uerò qui per partitionem diuisionibus utuntur, hi id duobus modis tentant. Nam quæ diuiduntur, aut simul esse possunt, aut non possunt. simul esse possunt, cùm uocem in significationes diuidimus: non possunt uerò, quæ negationis modo diuiduntur: ut aut sanus est, aut æger. Itaq; si quæratur, an canis substantia sit, tum quispiam per diuisionem id ita monstrabit: Latrabile animal substantia est, belua marina substantia est, sidus item cœleste substantia est. Hæc autem tria canis nomen significat: est igitur canis substãtia. Per modum uerò negationis à diuisione argumentum ducitur hoc modo: Aut sanus est, aut æger: sed sanus non est: igitur æger. Vel sic: æger non est, igitur sanus. Vel ita: sanus est, igitur æger non est. Vel hoc modo: Aeger est, igitur sanus non est.

RAIIANVS.

Restat locus) Quemadmodum diuisio fit duob. modis, per negationem & partitioné: ita etiam duobus modis argumentamur à diuisione, per diuisionem & partitionem. Diuisio fit per negationé, quando alterum membrorū negatiuè circunloquimur. Per partitionem, quando membra diuidentia affirmatiuè efferuntur. Cùm diuisio fit per negationem, colligimus ab affirmatione vnius membri ad negationem alterius.

At verò) Quando diuisio fit affirmatiuè, ostendere oportet id de quo dubitamus singulis membris inesse diuidentibus, & sic inerit etiam diuiso.

GLAREANVS.

Tempus autem habet originem. fuit igitur, &c.) Illud Fuit, ante Igitur, impersonaliter accipiendum est. Valla tamen ita legit: Fuit igitur quid, quando non fuit tempus, vt intelligatur mundus, per Quid. Sed dicitur ad hæc argumenta, quòd Fuit hîc absoluitur à tempore, & est copula extremorum: vt in hac propositione, Homo est animal.

At verò qui partitionem) Cicer. in Top. partitionem à diuisione ita separat: In partitione, inquit, quasi membra sunt: vt corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, &c. In diuisione sunt formæ, quas Græci ἰδέας vocant: nostri, si qui hæc fortè tractant, species appellant. Hæc ille. Accepit igitur partitionem pro diuisione totius integralis. At Boethius videtur partitionem pro diuisione non totius integralis, sed pro alijs diuisionibus accepisse, vt æquiuoci in æquiuocata, & subiecti in accidentia.

Quemad

Quemadmodum Dialectica probatio à demonstratione differat.

EXpeditis locorum differentijs, illud postremò ueluti coronidem adijcere operæpretium est, quo uidelicet pacto Dialectica probatio à demonstratione differat. Differt autem primò, quòd demonstratio omnis ex proprijs concinnatur: Dialectica uerò probatio ex communibus. Deinde, quòd demonstratio ex solis necessarijs commeat: Dialectica uerò probatio interdum ex necessarijs, interdum ex probabilibus. Tertiò, quòd demõstratio duabus tantùm utitur speciebus argumentationis, nempe syllogismo, & inductione: Dialectica uerò probatio omnibus ferè, utpote nunc syllogismo, nunc enthymemate, nunc exemplo. Quo fit, ut non sit proprium dialecticæ opinionem aggignere cũ formidine de opposito, ut nonnulli falsò persuadent: sed dialecticam potiùs fidem, quæ cùm ex necessarijs fit, colligiturque, non minùs certa est, quàm quæ per demonstrationem paritur: Hoc tamen à scientia differens, quòd scientia ex proprijs aggignitur: illa uerò ex communibus, & nulli scientiæ peculiariter addictis. Cæterùm opinionem facere, infirmiori ipsius dialecticæ parti competit: qua proinde oratores frequentiùs, Philosophi rariùs utuntur. Quod quidẽ & diuus Seuerinus Boëthius ita esse comprobat, atque his contestatur uerbis: Sed ea quidem argumenta (inquit) quæ ex definitione, uel genere, uel differentia, uel causis, uel ex diuisione dicuntur, demonstratiuis maximè syllogismis uires atque ordinem subministrant. Reliqua uerò dialecticis & uerisimilibus.

RAIIANVS.

Differt autem.) Prima differentia inter probationem demonstratiuam, & dialecticam. Demonstra-

tio constat ex principiis certæ sciẽtiæ addictis: Dialectica verò vt communis est facultas, ita etiã omnibus principiis vtitur. Id docet Aristot. initio lib. 1. Rhetoricorum, & 6. cap. 1. lib. posteriorum, & 9. ca. 1. lib. Elenchorum.

Deinde.) Secunda differentia: demonstratio cõponitur ex omnibus & solis necessariis, sed dialectica probatio ferè ex probabilibus. Videndum est 6. cap. 1. lib. posteriorum.

Tertio.) Tertia differentia: demonstrator vtitur tantùm duabus formis argumentationis, syllogismo & inductione. Nam hæ si rectè componantur, semper necessariò conficiunt conclusionem, quod proprium est demonstratoris: at Dialecticus omnibus formis promiscuè vtitur.

GLAREANVS.

Quemadmodum Dialectica probatio, &c.) Treis ponit differentias demonstrationis à Dialectica probatione. Cæterùm quòd Cæsarius eos reprehendit, qui dicunt, Proprium esse Dialectices, opinionem aggignere cum formidine de opposito: satius omisisset. Cum ex prima hic differentia, Dialecticem ex communibus esse, é quibus & mox etiam opinionem esse, asserat.

*

IN

IN TRACTATVM DECIMVM PRAEFATIO.



ABSOLVTIS hactenus à nobis nouem ex decem, quos instituimus, tractatibus artis Dialecticæ, in quibus eas partes ipsius artis pertractauimus, quantũ compendio licet, per quas rectè diligentèrque disserendi ratio comparatur, qui certè & finis totius artis esse existimatur (quippe per quem uerum à falso discernitur (instituto huic nostro iam satisfecisse uideri possumus. Cæterùm quoniam falsum sub ueri specie plerunque obrepit, quo & incauti facilè illuduntur (fallit enim uitium specie uirtutis, ut non tam eleganter quàm uerè à Iuuenal. Satyrico poeta dictum est, & ab Horatio in eundem sensum, Decipimur specie recti) idcirco ab Aristot. prouido nimirum artis magistro id etiam curatum est, ut post artis præcepta talia quoque relinqueret præcepta, quibus etsi nihil quod ad artem faciat, discere-mus, his tamen instructi facilè uitare possemus sophistarum argutias captionésque, quorum hæc est præcipua intentio, ut fallant, non doceant: magis appareant scientes, non sint reuera. Vnde & hic illud neque incommodè, neque importunè ex Aurelio Augustino adiecero, quod uir ille de eadem re in tertio de doctrina Christiana scriptũ reliquit. Cuius hæc sunt uerba: Sunt multæ falsæ conclusiones rationum (quæ sophismata appellantur) & ueras plerunque ita imitantes, ut non solùm tardos, sed ingeniosos minùs diligenter attentos decipiãt. Quare & nos iam

ob

ob eandem certè cauſam, Ariſtotelem hac quoque in parte ſequentes, decimum illis nouem adijcere in animo conſtituimus tractatum. In quo proinde de ſophiſticis elenchis (ſic enim ab illo appellati ſunt) ſiue de locis ſophiſticis agamus, ut ſtudioſi adoleſcentes, ſi quibus hæc noſtra lucubratio quoquo modo profuerit unquam, poſt artem uel mediocriter perceptam, ex hoc iam etiam percipere poßint, quæ'nam ſint propria huius artis, quæ non ſint: tametſi ſine his nec ars ipſa ſatis ſibi cõſtare poteſt, ut nec Grammatica, quæ rectè loquendi ſcientia definitur, niſi in hac quoque de Barbariſmo atque Solœciſmo fœdißimis eius artis uitijs cura deſumeretur non parua, id quod & in morum diſciplina iam pro comperto omnibus eſſe poteſt. Atque adeò hæc cura de artium quoque uitijs pro- dẽdis neceſſaria eſt, quòd uitia latiùs ſerpere ſoleant ſuapte natura, & (ut ſuprà dictum eſt) nonnunquam uirtutũ ſpecies ſibi induant, quò citiùs circumueniant incautos. Hinc rectißimè ab eodem Horat. dictum eſt, In uitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte. Sed iam de Elencho quid primum dicamus, & unde huius tractatus inſcriptio.

RAIIANVS.

Cæterùm quoniam.) Ex hoc loco præcipua ratio ſumitur loci ſuperioris. Etſi is qui nouit contexere verum ſyllogiſmum, etiam nouit fallacem (rectum enim eſt index ſui & obliqui, vt primo de anima Ariſtotel. docet) tamen quoniam ſæpenumero falſum ſub veri ſpecie irrepit, viſum eſt Cæſario etiam poſt Ariſto. eos addere locos, quibus cognitis captioſas concluſiunculas dextrè diſſoluere poſsimus. Non enim minùs eſt ingenioſum acutè poſſe ponere quęſtionem, quàm promptè diluere. Eſſe autem quoſdã impoſt

impoſtores ſyllogiſmos, Ariſtot. 1. cap. 1. lib. Elẽchorum ſimilitudine eleganti docet: Quemadmodum quidam homines, à natura formoſi ſunt, quidã fuco ſe exornãt: & vt argentum quoddam eſt verum, quoddam adulterinum: ita etiam quidam ſunt veri ſyllogiſmi, quidam fallaces. Quod non ſolùm in Dialectica, ſed Rhetorica & aliis artibus vſu venit. Vnde Ariſtot. ad finem 2. Rhetoricorũ locos quoſdam tradidit, quibus falſas argumentationes diſſoluere poſſemus.

Quorum hæc eſt præcipua intentio.) Id ex Platonis ſophiſta perſpicuum eſt. Plato enim poſtquàm ſex propoſuit ſophiſtæ finitiones, eas epilogo perſtringens ait: Prima inueſtigatio docuit ſophiſtam mercenarium venatorem iuuenum ac diuitum. Secunda Mercatorem circa animi doctrinas. Tertia circa hæc eadem cauponem. Quarta ſuorum inuentorum venditorem. Quinta circa ſermones artificioſum nimium litigatorem. Sexta purgatorem animæ, extirpantem eas opiniones quæ doctrinis impedimento ſunt. Septima accedat, ſophiſta eſt contradictor. Ad vltimum Plato ita colligit: Sophiſta in omnibus repugnat, ergo ſophiſta in omnibus ſapiẽs eſſe videtur. Eſt enim præſtigiator, & verarum rerũ imitator. Ariſtot. verò paucis verbis multa complexus eſt: Ait enim ἐστὶ γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία οὖσα μή· καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς, ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης. Hoc eſt: ſophiſtice eſt apparens ſapientia, ſed quæ nõ exiſtit. Et ſophiſta eſt aucupator pecuniarum ab apparente ſapientia, ſed quæ reuera non eſt. Hæc copioſiùs fuſiúſque ex Platone, & Ariſtotel.

ſtotel. commemorari, vt tyrones ſophiſtæ nomen quod in inuidiam nunc abiit, & cuius toties mentio incurrit, planè intelligerent.

Nonnunquam virtutum ſpecies ſibi induant.) Eſt enim quædam virtutum & vitiorum vicinitas, vt Ouidius libro I. de Remedio amoris eleganter docet:

Et mala ſunt vicina bonis, errore ſub illo,
Pro vitio virtus crimina ſæpè tulit.

Quem locum nos etiam in ſcholiis quæ in Panegiricum Plinij ſcripſimus, copioſiùs enarrauimus.

GLAREANVS.

Ad præfationem.) In hac Præfatione cauſas reddit, quare poſt totam artem traditam, de vitio artis etiam præcipere tradit. Sunt autem tres. Prima ab vtili. Vtile enim fuerit noſcere ſophiſtarũ technas, vt caueamus. Secunda, ab exemplo Ariſtotelis, qui idem tractauit. Tertia, à ſimili: nam & hoc in aliis quoque fit diſciplinis, & maximè in morum præceptionibus.

Qua ratione de ſophiſticis elenchis inſcriptio huius tractatus.

SEd antequàm reliqua huius tractatus exequamur, dicere haud grauabor, cur de ſophiſticis elenchis inſcriptus ſit tum qui ab Ariſtotele nobis relictus eſt liber eiuſdem negotij, tum qui nobis iam inſtituitur tractatus ad illius imitationem: quamuis de locis ſophiſticis inſcriptio à nonnullis facta ſit. Exiſtimat Iacobus Stapulenſis *id ab Ariſtotele factum eſſe, partim quòd hic præcipuus ſit ſophiſtarum finis inter quinque, quos illi coniectant, ac ſibi*

propon

proponunt, de quibus mox plura: partim quòd huiusmodi syllogismus, Elenchus inquam sophisticus, instrumentum sit maximè idoneum ad conuincendum, hoc est, ad coarguendum coaltercantem. Vnde & apud Græcos ἔλεγχος nomen quod dicitur, apud Latinos præter alia argumentum siue probationem significat, & uerbũ ἐλέγχω, quod arguo significat. Sed cùm elenchus dicitur hoc loco, sophisticus idcirco additur, ut per sophisticum elenchum eum intelligamus syllogismum, si tamen syllogismus dici ullo modo posset, non per quem probatio & fides rei dubiæ fiat, cuiusmodi certè dialecticus syllogismus est, sed deceptio.

RAIIANVS.

Sed antequam.) Cæsarius obiter explicat tractatus huius inscriptionem. ἔλεγχος, hoc est, argumentum, probatio fallax conclusiuncula.

GLAREANVS.

Partim quòd huiusmodi syllogismus.) Nomen elenchos, id est, redargutio, in bonum sonat. Sed sophistæ, id est, homines qui malunt docti ac sapiẽtes uideri, quàm esse, abutuntur eo. Nam uideri uolunt redarguisse coaltercantem aut condisputantem, reuera autem non redarguerunt. Quid verò sit elenchus, latè postea patebit. nam ad ea multa requiruntur: neque enim tam facile est aliquem redarguere veris rationibus.

De syllogismo sophistico quid sit, & quo pacto à dialectico differat.

EX his iam quæ dicta sunt, haud obscurum esse potest, eundem syllogismum esse, qui nunc sophisticus, nunc

litigiosus,

litigiosus, siue contentiosus dicitur. Eius porrò duplex ab Aristotele definitio traditur. Vna quidem, qua syllogismus esse intelligitur, sed ex his colligens: quæ uidētur probabilia, imperitis uidelicet, cùm tamen non sint. Altera uerò, qua apparet quidem esse syllogismus, attamen non est: tametsi ex probabilibus nonnunquam colligitur. Vnde etiam liquidò nūc apparet, ab huiusmodi syllogismo dialecticum syllogismum duplici ratione differre. Primùm, quòd hic syllogismus planè sit, deinde quòd ex probabilibus colligat. Cæterùm probabilia ab Aristotele esse definiuntur, quæ uidentur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his quidem uel omnibus, uel plurimis, uel maximè familiaribus & probatis: ut, unumquenque amare eū, à quo beneficia acceperit.

RAIIANVS.

Ex his iam.) Aristot. 1. cap. 1. lib. Topicorum duplicem syllogismum sophisticum constituit: alterū, qui falsum sumit & bene concludit: vt omnis substantia est animal, omnis homo est substantia, ergo omnis homo est animal: alterum, qui verum assumit & malè colligit: vt omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo. Priorem Aristot. putat dignum nomine syllogismi, posteriorem minimè.

De quinque sophistarum finibus, quas & metas vocant.

CVm ergo sophista omnem neruum, omnémque conatum eò intendat, ut coaltercantem circumueniat illaqueétque; uidendum est, quot & quæ sint, quæ ipse coniectet ac sibi proponat, ut fines initi certaminis: quos ubi

etiam assecutus fuerit, se iam uictorem aduersus corrixantem nimis superbe insolenterq; proclamat ac uociferatur. Sunt uerò hæc numero quinq;: Redargutio, Falsum, Inopinabile: Solœcismus, & Nugatio. Est autem Redargutio, cùm ui disputationis cogitur quispiam aut negare quod anteà concesserat, aut quod priùs negauerat, rursus concedere. Falsum uerò, quod nullam habet ueritatis causam, ac ne apparentem quidem. Inopinabile uerò, quod præter opinionem omnium, & maximè sapientum proponitur, ut matrem odisse filium suum. Tametsi id de Medea fingunt poetæ. Solœcismus est quoties secundum locutionem cogitur respondens barbarizare. Et à Donato definitur uitium in contextu partium orationis contra regulam artis Grammaticæ factum. Videtur tamen hoc loco & pro barbarismo communiter accipi, qui ab eodem Donato definitur, una orationis pars uitiosa in communi sermone. A Diomede uerò, contra Romani sermonis legem, aut scripta, aut pronunciata uitiosa dictio. Nugatio porrò est, cùm respondens cogitur idem sæpiùs dicere. Vnde & à nonnullis definitur, eiusdem uerbi inutilis repetitio.

RAIIANVS.

Cùm ergo) Sophistæ qui fucatã quandam speciẽ sapientiæ profitebantur, semper in vnũ ex his quinque finibus collimabant. & cùm vnum horum assequuti erant, se aduersarium vicisse existimabant.

Vi disputationis) Rectè hoc dictum est: nam si respondens ingenij ostentandi gratia, vtranque partem Thematis propositi defendat & affirmet, quod priùs negauerat vel contrà, nõ dicitur impegisse in metam redargutionis.

D Falsum

Falsum verò) Hic finis est quando respondens cogitur concedere id, quod omnibus est perspicuum, esse falsum, vt virtus est vitium.

Inopinabile) Id quod παράδοξον apud gręcos est, hoc loco inopinale dicitur: vt peccata omnia æqualia sunt. omnia mouentur, nihil mouetur.

Nugatio) Hæc est eiusdem verbi ab eadem parte orationis inutilis repetitio: vt Cato se Vticæ interfecit. Nisi idem ornatus causa bis repetatur, vt Cęsar, Cęsar faueas Reip. De hac figura videndum est initium 4. lib. ad Herennium.

GLAREANVS.

Inopinabile verò, quod præter opinionem, &c.) Inopinabile etiam est, vt si quis Peripateticus vi argumentationis adactus, cogatur concedere quid, quod est contra Peripateticos, & maximè contra Aristotelem.

Videtur tamen hoc loco & pro barbarismo) Solœcismus videtur esse, Syntaxeos error: Barbarismus autem, dictionis: vt, alba homo, pulcher puella, Ioannem currit, solœcismus est. Barbarismus autem, vel scripto fit: vt Tempno, Impnus: vel pronunciando, vt inquîno media producta, suffoco media correpta, cùm contrarium sit pronunciandum.

Nugatio porrò est, cùm respondens, &c.) Multi nugationem putant, cùm dicitur, Hieronymus vir eloquentissimus, Cicero orator, Maria virgo: sed falluntur. Quoties enim sequens dictio declarat priorem, non est inutilis repetitio, ne si genus quidem sequatur speciem, vt Lupus piscis: quippe dubitatio

bitatio hîc per genus tollitur, quæ alioqui æquiuocationem faceret.

De locis sophisticis & eorum diuisione.

NVnc ad ipsos locos ueniamus, locos dico sophisticos: hoc enim nomine à Georgio Valla Placentino mihi non absurdè appellari uidentur: quippe quòd ex his perinde fallaciæ & sophistica argumenta ducuntur, atque ex locis dialecticis argumenta & probationes dialecticæ. Ab Aristotele tamen modi dicuntur, nonnunquam etiam loci. Horum autem prima diuisio hæc est, quòd alij in dictione positi sunt, alij extra dictionem. In dictione rursus, alius ab æquiuocatione, alius ab amphibologia, alius à compositione, alius à diuisione, alius ab accentu, alius à figura dictionis. Extra dictionem item, alius ab accidente, alius ab eo quod est secundum quid, ad id quod simpliciter dicitur, alius ab ignorantia elenchi, alius à petitione principij, alius à consequenti, alius ab eo quod est non causam pro causa ponere, alius ab eo quod est plures interrogationes unam facere. Patet igitur huiusmodi siue locos, siue modos in summa esse numero tredecim, ex quibus quidem in dictione sex enumerati sunt, extra dictionem uerò septem. Præterea sciendum, quod argumentationes, quæ istiusmodi struuntur fallacijs, nunc sophismata, nunc paralogismi à Græcis dicuntur, nominibus profectò accommodatissimis: quippe quæ à uerbis deducuntur σοφίζεσθαι & παραλογίζειν, quæ uerba apud Latinos interpretantur imponere, siue decipere. Hinc & imposturæ, & deceptiones. Adeò enim his cauillationibus atque argutijs decipitur imperitus quispiam, ut credat id

esse quod non est, & non esse quod est. Vnde etiam Aristoteles fallacias ipsas & sophistica argumenta, quòd intra colorem tantùm sint ueritatis, orichalco rectè comparat, auri uidelicet respectu. Nam ut orichalcum imperitis hominibus aurum esse uidetur, ita hæc ab imperitis uera argumenta esse creduntur, cùm tamen à peritis statim falsa esse deprehendantur.

RAIIANVS.

Nunc ad ipsos locos veniamus) Quemadmodum ex locis Dialecticis argumenta eruuntur ad thema propositum probandum vel improbandum: ita ex locis sophisticis argumenta ducuntur ad fallendũ decipiendumq;. Et vt loci Dialectici in locos internos, & externos diuiduntur: ita etiam loci sophistici in eos qui in dictione, & eos qui extra dictionem sunt, diuiduntur. Vtriusque membri Cesarius hoc cap. partes enumerat, sequenti capite diuisionem declaraturus.

Vt credat) Hinc potest colligi descriptio fallacię, quæ est deceptio qua aliquis opinatur id quod est verum, esse falsum: vel id quod est falsum, esse verũ.

GLAREANVS.

De locis Sophisticis, &c) Fallacia accipitur bifariam: Actiuè, & est habilitas decipiendi, vt aliquis credat esse, quod non est, & non esse quod est, atq; hoc plantastica visione, & hoc modo idem est cum loco sophistico. Pasiuè, pro deceptione, qua respondens decipitur argumentatione sophistica. Cæterùm in omni fallacia ac deceptione duplex est causa. altera, apparentiæ, quæ facit apparere argu-

mentum

mentum esse bonum, & est velut principium motiuum, vt aliquis credat argumentationi sophisticæ: altera defectus causa eit, quæ latet sub causa apparentiæ, sicut sub vnitate vocis latet pluralitas significatorum. Exemplum à natura, orichalcum videtur aurum: Causa apparentiæ, est color, & splendor. Defectus causa est Grauitas in auro, & alia multa ab orichalco differentia.

Fallaciæ in dictione VI.

1	2	3	4	5	6
Aequiuocâs,	Amphi,	Componit,	Diuidit,	Acc.	Fig.

Fallaciæ extra dictionem VII.

1	2	3	4	5	6	7
Acci.	Quid.	Ignarus,	Petit,	Infert,	Causa,	rogat plus.

Qua ratione ex his locis alij in dictione, alij extra dictionem existere dicantur.

NEc illud omittendum putauerim (quanquam fortaßis haud ita magni momenti) cur ex dictis iam locis alij in dictione, alij extra dictionem existere dicantur. Sane in dictione dici ob id uideri poßunt, quòd quæ ex his locis fallaciæ struuntur, apparentiæ suæ causam habent ex proprietate siue affectione aliqua, quæ uoci, hoc est dictioni in primis conuenit. Cuiusmodi sunt, quæ iam dictæ sunt, æquiuocatio, amphibologia, compositio, diuisio, accentus, & uocis figuratio. Extra dictionem uerò, quòd ex his sumpta argumenta & compositæ fallaciæ credulitatis suæ causam sumunt, uel ex rebus ipsis quæ significantur, uel ex animi intentione, quæ sola rerum rationes, & earum pariter ad se inuicem consequentias expendit atque

discernit. Vnde & inter ipsas quoque fallacias nonnihil discriminis habetur: quippe quòd per fallacias, quæ ex dictione proueniunt, decipitur quispiam potißimùm, quoties cum alio quolibet disputat. Per fallacias uerò, quæ præter dictionem accidunt, quoties secum disputat, aut quippiam considerat, pensiculatq; attentius.

RAIIANVS.

Nec illud omittendum) Sophisticus syllogismus dicitur fieri in dictione, quoties causa cur verus syllogismus esse videatur potissimùm ex dictione sumitur: vt si quis ita colligat, Omne sanum est animal, omnis vrina est sana, ergo omnis vrina est animal. Cùm dico deceptionem esse in dictione, dictionem tam pro simplici quàm pro cōposita accipio. Fallax syllogismus dicitur fieri extra dictionem, quandò ratio, causa, cur verus in speciem appareat, non propriè ex dictione, sed ex habitudine rei ad rem sumitur. Quod tamen sine vocibus non fit: vt, quidam homo est animal, quidam equus est animal, ergo quidam equus est homo.

GLAREANVS.

Sanè in dictione dici) Nota: Dictio hîc non tantùm capitur pro voce incomplexa, vt sunt octo orationis partes: sed etiam pro oratione complexa, vt patet in fallacia compositionis & diuisionis. Eodem modo & verbum apud veteres accipiebatur.

Extra dictionem verò) Fallacia in dictione sumit causam apparentiæ ex parte dictionis, seu vocis: sed fallacia extra dictionem sumit causam apparentiæ ex parte rei.

De

De loco ex æquiuocatione.

5 AEquiuocatio dicitur, cùm dictio siue uox simplex plura significat. Cæterùm æquiuoca uox duobus dicitur modis. Aut enim simpliciter talis est, aut analogicῶς. Simpliciter quidem, ut canis, quod omnem æquè quadrupedem latrabilem, piscem marinum, & sydus cœleste significat. Analogicῶς autem, ut animalis nomē, quod tam uiuum, quàm pictum animal significat: sed non ex æquo. Itaque & paralogismos, quorum ex hoc loco argumenta ducuntur, tot modis uariari contingit. Primo, cùm id quod in argumentatione sumitur, simpliciter æquiuocum est: ut, Omne expediens bonum est: malum autem expediens est: malum igitur bonum est. Expediens hoc loco æquiuocum est. Nam & necessarium, & ad aliquid utile, & opportunum, expediens dicitur, & quod per se bonum est. In minore igitur propositione pro utili siue necessario assumptum est: pecuniæ nanq; & mercium abiectiones, & id genus alia, cùm per se mala sint, sæpenumerò tamen utilia sunt & necessaria. In maiore autem expediens sumptum est, ut per se bonum significans: ac per hoc ex æquiuoco paralogismus nomen inuenit. Tali cauillo olim usus (ut est apud Herodotum) Apollo diuinus uates, si credimus, cùm Crœsum Lydorum regem oraculo consulto induceret, ut Cyro Persarum regi bellum indiceret, ita dixit: Perdet Crœsus Halyn, transgressus plurima regna. Perdo enim significat & destruo, & amitto. Sciendum tamen, quod hic Versus apud Herodotum Græcè integer non legitur, sed apud Suidam aliunde haut dubiè repetitus: κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. Quem Cicero secundo de Diuinat. libro ita uertit, ac

Latinum reddidit: Crœsus Halyn penetrans magnam per uertet opum uim. Secundo, cùm id sumitur, quod analogicῶs æquiuocum dicitur: ut, Omne animal est motus, sensuumq; per se particeps: quod autẽ pictum est, animal est: igitur quod pictum est, sensibus & motu participat. Item: Omnes gemmæ sunt pretiosi lapilli: at in palmitibus gemmæ reperiuntur, testante id Vergil. Turgent in palmitæ gemmæ: igitur in palmitib. pretiosi reperiuntur lapilli. Sunt porrò qui præter duos æquiuocationis modos addant insuper & tres alios: nempe ex compositione, & consignificatione, & ex transsumptione. Ex compositione quidem, quoties uox siue dictio simplex & incomposita, unum aliquid significat duntaxat, composita autem plura: ut immortale, quod nomen compositum significat & id, quod potest non mori, & quod non potest mori: cùm tamen simplex mortale id significet, quod potest mori. Ex consignificatione autem, ut cùm sic contexitur sophisma: Quicunq; sanabatur, sanus est: ægrotans autem sanabatur: ægrotans igitur sanus est. Participium ægrotans, cùm aliâs unum aliquid significet, ex consignificatione tamen ad diuersa tempora trahitur: nempe ad præsens, & præteritum imperfectum. Ex transsumptione uerò, ut si quis pratum os habere dicat, quia rideat, hoc est, lætum sit, & fertile & pingue. Hinc & Vergilius in Bucolicis dixit, Omnia nunc rident, de arboribus & fructibus inibi loquens.

RAIIANVS.

Aequiuocatio) Simpliciter æquiuocum hoc loco vocat ęquiuocum à casu, quod plura habet significata æque primo, nec vnum propter similitudinē

alter

alterius: vt canis. Id dicitur æquiuocũ ἀναλογικῶς, quod vulgò à consilio æquiuocum dicitur, quod plura habet significata, sed vnum propter similitudinem alterius: vt homo. Id enim consilio, studio factum esse videtur, vt vnum significatum propter similitudinem alterius significaret. Nec debet quis hanc æquiuoci distinctionem, tanquã sophisticam & inutilem, conuellere: ea enim ex ipso Aristotele 6. cap. 1. lib. Ethicorum sumpta est. Vt ergo duplex est æquiuocum, ita etiam duplex ex hoc loco construitur fallacia.

Tali cauillo.) Hac de re Vergilius Polydorus lib. 5. cap. 8. hunc in modum scribit: Fallebant præterea mortales eiusmodi dæmones amphibologiis nodosis, flexiloquis responsis, hoc est, ita ambiguis, vt in ambas partes agi possint. Nam vt Crœsus victus à Cyro rege Persarum: ita Pyrrhus à Romanis. quorum vterque se ex oraculo superiorem fore sperabat. Hi erant cacodæmones, quibus homines humanas hostias immolabant.

Quod nomen compositum.) Theologi multum interesse putant inter has propositiones, homo potest non mori, & homo non potest mori. Vltima negat potẽtiam, prima minimè. Vnde ex hoc loco hæc fallacia componi potest: Omne quod est immortale, non potest mori: homo secundùm statum primæ naturæ erat immortalis (quia poterat non mori) ergo non poterat mori.

GLAREANVS.

De loco ex æquiuocatione.) Nostri Dialectici distinguunt triplex, multiplex, actuale, potentiale, &

D 5 appar

apparens, siue phantasticum. Actuale, inquiunt, est dictio, uel oratio vna secundum materiam & formam plura significans. Dictio, vt canis: oratio, vt liber Aristotelis. Dictionis materia, sunt literæ & syllabæ, hoc est, vox. Forma autem est proferendi modus, hoc est, prolatio. Potentiale est dictio, vel oratio eadem secundum vocem: & diuersa, secundum modum proferendi plura significans. Dictio, vt populus. Oratio: Quicquid viuit, semper est. Apparēs, siue phantasticum, est dictio vnum significans, quæ videtur aliquid significare propter conuenientiam ipsius, cum alia quapiam dictione: vt, Vigere videtur actiuum, sicut videre. In primo multiplici peccant duæ primæ in dictione fallaciæ, æquiuocatio, ac amphibolia. In secundo tres sequentes, compositio, diuisio & accentus. In tertio vltima, nempe figura dictionis.

Cæterùm æquiuoca vox.) Fallacia æquiuocationis est deceptio proueniens ex eo, quòd aliqua dictio manens vna, & secundum substantiam, & secūdum proferendi modum, diuersa significat. Cuius tres sunt modi. Primus, quando simplex dictio ex æquo plura significat: vt, omnis canis currit, sydus cœleste est canis, ergo sydus cœleste currit. Dicendum, quòd canis est æquiuocum. Secundus modus ex metaphora, id est, ex transsumptione: vt, Quicquid ridet, habet os: pratum ridet, ergo pratum habet os. Dicendum, quòd ridet est analogum. In maiori accipitur propriè, in minori impropriè. Tertius modus, quando dictio composita significat plura, separata verò vnum solū: vt hæc dictio Immortalis:

talis, accipitur aliquando negatiuè, pro non potens, sicut Deus est immortalis: aliquando priuatiuè, pro potens non mori, sicut Adam fuerat in Paradiso. Vnde hic syllogismus non verè texitur: Omne immortale est perpetuum: omne potens nō mori, est immortale: ergo omne potens non mori, est perpetuum. Conclusio est falsa, vt apparuit in Adā. Sed in maiore accipitur immortale negatiuè, in minore priuatiuè.

Perdet Crœsus.) Potest in his Apollinis verbis esse amphibolia, id est, duplex & captiosus sensus, qui tamen nascitur ex amphibolo & ambiguitate vnius dictionis. Crœsus euersurus erat magnū imperium, vel Cyri, vel suum. Sed alterū potius apud eundem Herodotum oraculum est eius loci, quando Apollo dixit: Tunc Crœso fugiendum longè, quando Medis mula regnatura esset. Quod de Cyro verum erat: nam patre Persa, in nullo imperio existente; & matre Meda, regis filia, natus erat. vt pater asinus, mater equa intelligeretur.

Ex compositione quid.) Tales sunt multæ dictiones: vt inuincibile, incorruptibile, inuiolabile. Exēplum: Omne potens non corrumpi, est incorruptibile: virginitas est potens non corrumpi: ergo virginitas est incorruptibilis. In maiore propositione Incorruptibile capitur priuatiuè, in conclusione negatiuè. Quòd si in conclusione etiam priuatiuè capiatur, concedi potest.

Participium ægrotans cùm aliàs.) Participia in ων apud Græcos, sed in ans & ens apud Latinos, sunt tum præsentis, tum præteriti imperfecti temporis.

Aegrotans igitur in hoc syllogismo, si in minore pro præterito imperfecto accipitur, tunc est vera: sin pro præsenti, est falsa. Sed in conclusione accipitur pro præsenti, propter verbum præsentis temporis.

De loco ex amphibologia.

Amphibologia autem (quemadmodum ex nomine ipso intelligi datur) dicitur, cum oratio intra se ambiguam claudit sententiam: qualis illa Apollinis, Aio te Aeacida Romanos uincere posse, ad Pyrrhum Epirotarum regem, cùm oraculum consuluisset ipse super euentu belli, quod contra Romanos animo destinauerat. Quem uersum ex Ennio depromptum esse idem Cicero testatur eodem de Diuinatione libro. Sane tota orationis ambiguitas ex eo dependet, quòd accusatiuus te, ut etiam Romanos, nunc à tergo, nunc à fronte eius uerbi uincere, construi potest. Atque ita incertum relinquitur, ab Aeacide, hoc est, à Pyrrho Romanos uinci posse, an contrà Aeacidem à Romanis. Ex hoc igitur loco captio struitur, cùm tale sophisma conficitur: Quicquid uidet quispiam, hoc ipsum uidet: at uidet aliquis columnam: columna igitur uidet. Item: Quoscunque uellem me apprehendere, uellem ut me apprehenderent: hostes autem uellem me apprehendere: igitur uellem ut hostes me apprehenderent. Similiter autem & hoc modo: Quisquis arat littus, littus proscindit aratro: Ast operam perdens littus perhibetur arare: Ergo operam perdens littus proscindit aratro. Differt autem amphibologia ab æquiuocatione, quòd æquiuocatio quidem ex nomine ipso res diuersas significante in captionem adducit: Amphibologia autem

ex

ex oratione fallaciam inuenit. Quo ſanè nomine hunc locum appellare libuit, quãquam apud Ariſtotelem Græcè legitur ἀμφιβολία.

RAIIANVS.

Amphibologia.) Vt æquiuocatio in vocibus ſimplicibus, ita amphibologia in oratione plura ſignificat.

Aio te.) Locus hic ſuprà à nobis explicatus eſt.

Quicquid videt quiſpiam.) Deceptio eſt in vocabulo hoc ipſum: nam ſi accuſatiuus eſt, vera eſt oratio: ſin nominatiuus, falſa.

Quoſcunque.) Captio eſt ex accuſatiuo me, qui poteſt pendere vel à verbo apprehendere, à parte anteriori, & tunc ſenſus eſt, quicquid ego apprehenderem: vel à parte poſteriori, & tũc ſenſus eſt, quod me apprehenderent.

GLAREANVS.

De loco ex amphibologia.) Vulgata regula eſt puerorum: Verba ſubſtantiua, vocatiua, & quæ eorũ vim habent, regunt ante & poſt ſe nominatiuos: idque etiam apud Græcos. Sed notandum de infinitiuis verborum horum. Quoties verbum actiuum coniungitur illis infinitiuis, verbi actiui regimen ſæpè præualere illis, vt infinitiui dictorum verborum ſuſcipiãt accuſatiuos pro nominatiuis: vt, Dico te eſſe iuſtum, non iuſtus. Aiunt hunc fuiſſe bonũ virum, non bonus. Dicunt hunc vocari Iohannem, non Iohannes. Aio hunc lapidem eſſe, non lapis. Sed in Græcis ſecùs eſt, φὴς λίθος εἶν, id eſt, ais lapis eſſe. Odiſſeæ ſeptimo, οὐ δὴ φὴς ἐπὶ πόντον ἀλώμενος ἐνθάδ᾽ ἱκέσθαι.

ἰκέτα. Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari Catullus:

Phaselus iste, quem videtis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus.

Et Lucanus in 10. -- Tutúmque putauit
Iam bonus esse socer.--

Vide D. Erasmum in conuiuio Poëtico, aliquot hosce locos tractantem.

In omnibus amphibologicis orationibus duo sunt sensus: Vnus, de natura sermonis, & proprietate linguæ: alter, coactus & tortus, secundum regularitaté Grammatices, sed inusitatam. Vnde in his locutionibus, Vellem me capere te, Dico Iohannem vincerè Petrum, secundum naturã linguæ sensus de priore accusatiuo verificatur: atque ita sensus est, Vellém me capere te, id est, quòd ego caperem te, non tu me: Dico Iohannem vincere Petrum, id est, quòd Ioannes vincit Petrum, non contrà. Sed quòd in authoribus nonnunquam inuenitur contrariũ, vel ex negligentia, vel quia alter sensus prorsus falsus apparet, cõcessum est id genus locutionis per diuersum: & prior sensus secundum naturam linguæ vocatur compositus, alter verò diuisus. Cuius diuisi exempla sunt hæc. Liuius lib. 7. ab Vrbe cond. Quia Hister Tusco verbo Ludio vocabatur: id est, Ludio vocabatur Tusco verbo Hister: est enim Hister Tuscum verbum, non Ludio. Curtius lib. 5. Bion transfuga ad regem peruenit, nuncians murices ferreos in terram infodisse Darium. Iustinus lib. 18. Nam Romanis eadem causa mittendi auxilia Carthaginensibus fuerat. Hæc ille. Et primus sensus qui se lectori

ctori offert, est, quòd Romani miserint auxilia Carthaginensibus: cum author cõtrarium dixerit, quòd Carthaginenses miserint Romanis auxilia.

Ex hoc igitur loco captio struitur.) Aristoteles tres tum huius, tum præcedentis fallaciæ facit modos. Primum, quando vel nomen, vt canis: vel oratio, vt liber Platonis, principaliter plura significat. Secundum, quando in dictione, vt ridere, currere: vel in oratione, vt littus arare, metaphora est, id est, transsumptio. Tertium, quando compositum plura significat, separatim verò non plura: vt incorruptibile & immortale. Sanè orationis multiplicitas duplex est: quædam prouenit ex vnius dictionis tantùm parte, & illa causat fallaciam æquiuocationis: alia prouenit potissimùm ex parte totius orationis, & illa causat fallaciam amphibologiæ.

De loco ex compositione & diuisione.

Compositionem hoc loco pro oratione composita, & diuisionem pro oratione diuisa accipere debemus. Et composita quidem oratio est, quæ sensum habet compositum. Diuisa autem, quæ diuisum. Porrò compositus sensus est, cùm in ipsa oratione partes secundùm situm magis debitum intelliguntur. Diuisus uerò, cùm econtrà. Rursus autem debitus partium in ipsa oratione situs is est, quem idiomatis peritus magis talẽ adiudicârit. Quod tamen ut faciliùs deprehendatur, tres ad hoc regulæ à Iodoco Clichthoueo traditæ sunt, tribus uocabulis à Iacobo Fabro Stapulensi priùs annotatæ: quas proinde hìc subscribendas haud abre existimauerim. Vocabula autem sunt, Modus, Determinatio, Determinabile. Itaque ex his

prima regula est: Si modus fuerit aut subiectum, aut prædicatum propositionis, situs partium orationis magis debitus est: ut, poßibile est sedētem ambulare: aut, sedentem ambulare est poßibile. Secunda: *Si determinatio posita inter duo determinabilia utrique ex æquo propinqua, præcedens determinauerit, situs magis debitus est: ut, Quicquid uiuit semper est.* Adiectum est autem, *ex æquo propinqua: quoniam si non ex æquo utrique propinqua fuerit, tunc si propinquus determinauerit, sensus magis debitus intelligitur: ut, Quicunque scit literas, nunc didicit illas.* Tertia regula est: *Si determinabile positum inter duas determinationes utrique ex æquo propinquum cum præcedenti iungatur, sensus compositus est, & situs partium orationis magis debitus: ut, Vidi imaginem auream uestem habentem.* His ita prælibatis, ad sophismata ueniamus, quorum ex hoc loco deceptio struitur. Interea tamen & illud præmonendum: quoties contexitur syllogismus iuxta expositos locos, si in eo sumpta oratio, in sensu quidem diuiso uera fuerit, in composito autem falsa, deceptio ex loco à compositione prodijsse dicetur: sin uerò contrà, captio per locum ex diuisione facta esse intelligetur.*

RAIIANVS.

Compositionem.) Quid sit compositio & diuisio, hoc loco Cæsarius quadam gradatione docet.

Si modus.) Sic contrà, quando modus determinat verbũ, situs orationis est minùs debitus, & sensus diuisus: vt, hominem possibile est ambulare.

Quicquid viuit.) Aduerbium semper est determinatio posita inter duo determinabilia, scilicet viuit & est: debet autem cum verbo est cohærere.

Intereatamen.) Est ergo fallacia compositionis, quando

quando à ſenſu diuiſo vero proceditur ad ſenſum compoſitum falſum: fallacia verò diuiſionis, quando proceditur à ſenſu compoſito vero ad diuiſum falſum. Id exempla ſequentis capitis declarant.

GLAREANVS.

De loco ex compoſitione & diuiſione) De compoſitione Rhetorum videntur hæc tracta, de qua diligentiſſimè Quintilianus lib. 9. capite vlt. Eſt enim compoſitio concinna verborum iunctura, ſecundun linguæ cuiuſq; proprietatem. Naſcuntur autem hæ duæ fallaciæ ex amphibolo. Cæterùm in hac duplici fallacia ingens eſt difficultas, maximè ex eo quòd non ſtatim apparet, vtrùm propoſitio compoſita an diuiſa, nec in quo ſenſu ſit vera. Neq; enim apparet ſtatim ſitus debitus, nec idem omnibus videtur. Vt in hac propoſitione: Quicquid viuit, ſemper eſt. Petro Hiſpano viſum eſt, Semper cum Eſt coniungendum: Cæſario & Clithtoueo, cũ Viuit. Grammatici Latini, vt Donatus, Porphyrius, Seruius, incertam diſtinctionem vocant. Horatius Epod.

Deus Deus nam me vetat
Incœptos olim promiſſum carmen Iambos
Ad vmbilicum ducere.

Poteſt enim aduerbium Olim referri tum ad participium Incœptos, tum ad Promiſſum.

Vidi imaginem auream veſtem habentem) In hoc exemplo eſt potius determinatio, id eſt, adiectiuum Auream inter duo determinabilia, Imaginẽ & Veſtem. Ineptum planè exemplum ad hanc regulam: ſed ipſe ita intellexit, vt Veſtem ſit determinabile

inter duas determinationes Auream & Habentem. Sed admittit determinationem priorem, ſecundum Cæſarium.

De ſophiſmatis, quæ per locos à compoſitione & diuiſione fiunt.

IGitur iuxta tria ſuperiùs annotata uocabula, ſophiſmata conficiuntur tribus quoque modis. Primo, *cùm modus uariatur: ut, Quemcunque poßibile eſt ambulare, fieri poteſt ut ambulet: atqui ſedentem poßibile eſt ambulare: ergo fieri poteſt ut ſedens ambulet.* Secundo, *cùm determinatio uariatur: ut, Quicunque ſcit literas, nunc didicit illas: atqui Grammaticæ peritus ſcit literas: igitur Grammaticæ peritus nunc didicit eas.* Item, *quod unum ſolum poteſt ferre, plura poteſt ferre: quod autem unum ſolum poteſt ferre, non poteſt plura ferre: igitur quod poteſt plura ferre, non poteſt plura ferre.* Tertio, *cùm determinabile uariatur: ut, Quicunque bonus eſt, bonus eſt. atqui malus, artifex bonus eſt: malus igitur artifex, bonus eſt.* Et *hactenus quidem ſecundum compoſitionem facti paralogiſmi peccant. Qui uerò ſequuntur, ſecundùm diuiſionem totidem modis peccant, iuxta trium uocabulorum ſuprà poſitorum annotationem.* Primo: *ut, Quieſcentem ambulare eſt impoßibile, igitur quieſcentem poßibile eſt ambulare* Secundo: *ut, Quocunque uidiſti hunc percuſſum, hic percuſſus eſt: atqui oculo uidiſti hunc percuſſum: oculo igitur hic percußus eſt.* Tertio, *ſed eſto, ſit quiſpiam artium imperitus, moribus autem probus: tunc tale connexo ſophiſma: Quicunque malus eſt, malus eſt: at malus artifex, eſt bonus: igitur malus, artifex bonus eſt.* Per diui*ſionem prætereà fiunt paralogiſmi, quoties coniunctio*

tum copulatiua tum disiunctiua nunc terminos, nunc ipsas copulat desiungituc propositiones: ut, Quæcunq; sunt duo & tria, sunt paria atque imparia: at quinq; sunt duo & tria: quinq; igitur sunt paria & imparia.

RAIIANVS.

Igitur) Modum determinationem, determinabile intelligit.

Vt quemcunq;) Maior propositio in sensu composito est vera, minor in sensu composito est falsa.

Vt quicunq;) Si particula nũc, construatur cum verbo scit, verus est sensus: si autem cum verbo didicit sensus est falsus.

Item quod) Sophisma est compositionis, quia ex parte prædicati plura ponuntur, ad quæ subiectum referri potest coniunctim & diuisim: coniunctim facit propositionem falsam.

Tertio) Fallax est collectio ex nomine malus: nã in antecedente sumitur pro malo moris, in consequente pro malo artis, hoc est, imperfectione.

Secundo) Si ablatiuus oculo, construatur cum verbo vidisti, sensus est compositus & verus: si cum participio percussus sensus est diuisus, & falsus.

Vt quæcunq;) Accipiendo duo & tria secundùm compositionẽ, minor est vera: quia quinq; sunt duo & tria simul. secundùm diuisionem autem falsa, quia quinq; neq; duo, neq; tria sunt.

GLAREANVS.

Atqui sedentem posibile est, &c.) Ad primum modum dicendum: Si in minore prædicatum Ambulare conuenit dicto, supple Sedentem, pro actu & potentia, est falsa: sic & conclusio. Contrà, si

ſolùm pro potentia, ita etiam in concluſione. Dici etiam poteſt, præmiſſas eſſe diuiſas, concluſionem compoſitam, ergo non valere conſequentiam.

Quicũq; ſcit literas, nunc didicit eas) Ad maiorem dicendum, Quicunq; ſcit literas, quòd in ſenſu compoſito eſt falſa, videlicet ſi Nunc determinet verbum Dicit: & ſic etiam concluſio. Sed in ſenſu diuiſo eſt vera. At ſic ſubſumẽdo, aduerbium Nunc etiam ponendum eſt in minoris propoſitionis prædicato: & non in concluſione. Simile eſt: Omne quod eſt, neceſſariò eſt: Socrates eſt, ergo Socrates neceſſariò eſt. Maior eſt duplex: quia τὸ Neceſſariò poteſt determinare ſecundum Eſt. Et ſic eſt compoſita falſa, & ſequitur concluſio falſa. Vel, poteſt determinare prius Eſt, & ſic eſt diuiſa & vera. Sed in minore repetendum eſt Neceſſariò, & concluſio ſequetur, Ergo Socrates eſt.

Diuiſus verus ſenſus.
- Da Quicunq; ſcit literas nũc, didicit eas:
- Ri Antiquus Grammaticus ſcit literas nunc:
- I Antiquus Grammaticus didicit eas.

Compoſitus & fals⁹.
- Da Quicunque ſcit literas, nunc didicit illas:
- Ri Antiquus Grammaticus ſcit literas:
- I Antiqu⁹ Grãmaticus nũc didicit eas.

De loco per accentum.

Accentus, quem & ueteres Latini, authore Quintiliano, tenorem appellauère, & à Græcis προσῳδία

&

& item τόνος dicitur, à Prisciano definitur lex siue regula ad eleuandam deprimendam ue syllabam uniuscuiusq; particulæ orationis. Ab eodem insuper in acutum, grauem, & qui ex utrisq; fit, circunflexum diuiditur. Porrò acutus (ut Diomedes tradit) apud Latinos in correptis semper, interdum in productis syllabis uersatur. Circunflexus in his quæ producuntur. Grauis autem per se nusquam consistere in uerbo ullo potest: sed in his, in quibus circunflexus est, aut acutus, cæteras syllabas obtinet. Apud Græcos autē cùm acutus in dictione tria loca obtineat, ultimum, penultimum, & antepenultimum: circunflexus, quotlibet syllabarum sit dictio, non nisi penultimum tenebit locum. Igitur ut nulla uox sine uocali est, ita nulla sine accentu. Ac proinde rectè quidam putauerunt, accentum ueluti animam uocis esse. Sed de accentu quidem hactenus plus satis, quando apud Latinos pronunciatio uocum iuxta accentuum regulas in totum propemodum abolita est, cuius tamen loco quantitas syllabarum perinde obseruatur. Fiunt autem per locum ab accentu sophismata tribus modis. Primo, quando pro syllabæ quantitate uariata, uariatur & significatio: ut, Quicquid malum est, fugiendum est: pomum autem malum est: igitur pomum fugiendum est. Secundo, quando uariatur ipsius syllabæ aut aspiratio, aut orthographia: ut, Ad aram fiunt sacra: atqui hara porcorum stabulum est (unde illud Ouidij, Immundæ cura fidelis haræ, & illud item Ciceronis, Ex hara productæ, non schola) igitur ad porcorum stabula fiunt sacra. Tertio, quando dictio aliqua interim diuiditur, interim tota manet: ut, Quicquid inuitè fit, coactè fit: uinum fit in uite: ergo uinum fit coactè. Cæterùm de loco siue modo per accentum Aristoteles dicit non facilè esse

Dialecticis orationes facere in his, quæ sunt sine scriptura. In scripturis autem & poematibus magis, quòd in his scilicet accentuum per certas notas, & syllabarum ob metri legem, accuratior habeatur obseruatio.

RAIIANVS.

Accentus) Totum hoc caput partim ex Latinis, partim ex Græcis Grammaticis est perspicuum. Cũ ait Cæsarius, circunflexum accentum apud Græcos non nisi penultimam afficere syllabam, id canonibus accentuum apud Græcos omninò repugnat: accentus enim circunflexus vltimam & penultimam syllabam afficit: quare hunc locum mendosum aut mutilatum esse puto, & sic legendum: Nisi vltimum vel penultimum tenebit locum.

Primo) Deceptio est in nomine malum: nam prima longa, significat pomum: breui, paruum.

Secundo quando) Ara authore Varrone, quasi ansa dicta est; quia sacrificantes aram manibus tenebant: sic etiam iurantes olim aram tenebant. Vnde est illa nobilis Periclis sententia: Sum amicus vsque ad aras.

GLAREANVS.

De loco per accentum) Accentus tum apud Græcos, tum apud Latinos, sunt decem. Tenores tres, Acutus, Grauis, ac Circũflexus. Tẽpora duo Longũ & Breue. Spiritus duo Asper & Lenis. Passiones tres, Auersio, Subunio, & distinctio. Et in his omnibus deceptiones fieri possunt. Hîc autem exempla sunt de tempore, malum. De spiritu, ara hara. De passionibus, inuitè, in vite.

Accen

Accentus tum apud Latinos, tum apud Græcos, sunt decem:

- Tenores III.
  - Acutus, ´, quo leuamus syllabam: vt, Populusq́;, patresq́;.
  - Grauis, `, quo acuta deprimitur: vt, à te, è foro.
  - Circũflexus, ˜, quo leuamus & deprimimus syllabam: vt, rûs, môs, pâx, lûx, mûsa.
- Tẽpora II.
  - Longum, ¯, quo indicamus lõgam syllabam: vt, Imprūdens.
  - Breue, ˘, quo indicamus breuẽ syllabam: vt, Impŭdens.
- Spiritus II.
  - Asper, ʽ, h, quo indicamus vocali aspirandum: vt, ἕκτωρ, ὅλος, hic.
  - Lenis, ʼ, quo Græci indicãt nõ esse vocali aspirandũ: vt, ὄνος. Latini non habent, & ineptũ planè est hoc Græcorum institutum.
- Paſsiones III
  - Apostrophos, ʼ, id est, auersio, qua significamus dictioni in fine deesse vocalem: vt, Men'.
  - Hyphen, ‿, id est subunio, qua malè disiuncta connectimus: vt, Prope‿modum.
  - Hypodiastole, qua malè cõnexa disiungimus: vt, Per, peram.

Grauis autem per ſe nunquam conſiſt) Acutus accentus tria habet loca. Vltimæ ſyllabæ natura breuis: vt, vír, quíd. Penultimæ: vt, díes, Antepenultimæ: vt, pópulus, dóminus, légere, ſcríbere. Circunflexus, vltimæ: vt, Môs, Sapphûs. Penultimæ: vt, Mûſa, in nominatiuo & vocatiuo. Et ſemper ſupra natura longam ponitur; nunquam ſuper breuem Grauis autem accentus eſt in omnibus ſyllabis, quæ neq; acutum habent, neq; circunflexum: neq; vnquam ſignatur, niſi quandò ex acuto factus eſt grauis, propter ſequentiam: vt, à te audiui. Eſt enim alius accentus, quàm ſi dicas, Ate, dea Homerica. Dici etiam ſolet, quòd grauis accentus eſt orationis tenor, & velut filum, in omnibus, inquam, ſyllabis, quæ neq; habent acutum, neq; circunflexum accentum: vt in longiſsima dictione, Inhonorificabilitudinationibus, ſola o, ſyllaba acutum habet accentum, reliquæ grauem.

De loco à figura dictionis.

A Figura dictionis hic locus nominatur, quòd per eum quicunq; fiunt paralogiſmi, cauſam apparẽtiæ non aliud habeant, quàm à uocis ſiue dictionis cum alia qualibet ſiue uoce, ſiue dictione configuratione: hoc eſt, ut planiùs dicam, à conſimili dictionis cum alia qualibet dictione deſinentia ſiue terminatione. Nec uideo *tamen, cur à quibuſdam tam longè repetatur hoc loco figuræ definitio, qua à* Geometris *definitur, magnitudo, quæ termino uel terminis clauditur, cùm ſecundùm hanc definitionem, figura nihil commune cum dictione habeat, unde ſimilitudo aliqua intelligi poßit.* Ex *hoc igitur loco captiones ſtruuntur, quoties argumentationem factam*

factam constare ac rectè se habere quis autumat, similitudine uocis hallucinatus, cuiusmodi hæc est: Discere est circa disciplinam exerceri: at exerceri circa disciplinam, est docere: discere ergo docere est. Captio est, per figuram dictionis. Figuratum siquidem est paßiuum in actiuum, & actiuum in paßiuum. Nam exerceri circa disciplinã, & actionis & paßionis expreßiuum est. Quandoquidem exerceri esse potest tam impersonalis quàm paßiui uerbi modus infinitiuus, ita ut ab impersonali actio, à paßiuo paßio significetur. Fiunt præterea secundum hunc locum paralogismi, cùm ab uno prædicamento transitus fit ad alterum: ut, Quicquid heri uidisti, hodie uides: atqui album heri uidisti: album igitur hodie uides. Hîc transitus est à substantia ad qualitatem. Similis huic argumentatio est, hoc modo: Quicquid heri emisti, hodie comedisti: crudum heri emisti: ergo crudum hodie comedisti. Atque id quidem est, quod Aristoteles his uerbis significare uidetur: Quæ autem per figuram dictionis (inquit) fiunt sophismata, accidunt, quando uel non idem ut idem interpretantur, ut masculinũ fœmininum, uel fœmininum masculinum: uel quod inter hæc est, nempe neutrum, alterum horum. Vel rursus quale quantum, uel quantum quale: uel faciens patiens, & alia, quemadmodum hæc priùs diuisa sunt. Siquidem aliquid est, quod non est eorum quæ sunt facere aut pati, etsi uocis figura uideatur: ut ualere, quod qualitatem potiùs dicit, nempe sanitatem (est enim ualere, sanum esse) quàm actionem aut paßionem.

RAIIANVS.

A figura dictionis.) Hæc fallacia est, quando vna dictio est similis alteri terminatione, sed non significatione. vt si quis sic colligat: Poëta est primæ in-

flexionis, ergo etiam poëma.

Quicquid heri emisti.) Dictio hæc quicquid, in antecedente significat substantiam, album in minore significat qualitatem: & sic à prædicamento in prædicamentum fit transitus.

Quæ autem.) Ex tertio capite primi libri Elenchorum addit multos modos, quibus hæc fallacia committitur.

GLAREANVS.

Siquidem aliud est, quod non est eorum.) Multa verba sunt terminatione actiua, quorum significatio est passiua: vt vapulo. Item verba sensus: vt videre, quod est colorum species intra oculum suscipere: & sic est passiuum. Currere terminatione est neutrum: tamen significat actionem, quanquam immanentem.

De loco ab accidente.

SEquuntur loci, qui extra dictionem dicti sunt. Ex *his primus est, qui ab accidente dicitur.* Is *autem est (quemadmodum & Aristoteles tradit) per quem captiones fiunt, quoties similiter quodcunque existimabitur rei & accidenti inesse.* Nam *quia multa eidem accidunt, nõ est necesse omnibus prædicatis, & ei de quo prædicantur, omnia illa similiter inesse.* Quandoquidem *hoc pacto omnia illa eadem erunt, quemadmodum sophistæ dicunt: ut, si Socrates est alter à Platone: Plato autem homo est: Socrates igitur ab homine alter est.* Tale *est & illud apud* Aulum Gellium *sophisma, quod proponitur hoc pacto:* Quod *ego sum, tu non es: ego autem sum homo: tu igitur homo non es.* Item *& hoc modo:* Homo *animal*

mal est: animal autem genus: homo igitur genus est. Ac rursus: Polycarpus est homo: at uerò homo dissyllabum est: Polycarpus igitur dissyllabum est. Sanè hæc & illa alia id genus sophismata, per accidens fieri dicuntur. Per accidens, inquam, hoc est, per extraneum siue diuersum quodammodo aliquid, ut in quibus complexio orationis, eas quæ circa naturam sunt diuersitates, ad naturã ipsam transtulit. Aliud quippe est, secundùm naturam esse, & aliud secundùm personales accidentalésque proprietates: ut, uerbi causa, Animal cùm de homine prædicatur, essentialiter de homine dicitur: cùm uerò de animali genus prædicatur, huiusmodi prædicatio essentialis non est, sed per accidens (ut nec, cùm de ea uoce, quæ est homo, dissyllabum prædicatur) propterea quòd aliud est animal homo, aliud animal genus. Animal siquidem genus simpliciter animal est, hoc est, tale animal, quod cunctas sub se species communi ratione colligit, eatenus uidelicet, quatenus uitam absolutam sentiendi ui præditam gerant. Homo autem animal una talium est specierum, quæ uitæ tali, nempe absolutæ rationalitatem & dexteritatem affert. Homo igitur non est simpliciter animal, sed tale animal. Tale porrò animal non est genus, sed species. Sed hæc fortassis multò altiùs repetita sunt, quàm præsens institutio ferat.

RAIIANVS.

Sequuntur loci.) Captiunculæ hactenus tractatæ ad distinctionem significationum cuiusque vocis referuntur: pertinent enim ad genus sermonis. sequentes verò captiones potiùs à reb. quàm à genere sermonis (vt iam dictum est) oriuntur.

Is autem est.) Ex hoc loco oriuntur fallaces syllogismi,

logiſmi, quoties ſimiliter quid exiſtimamus rei & accidenti ineſſe: nam cùm plura eidem, ſed diuerſa ratione, accidunt, ſi accidentia malè accommodantur, vitioſum fit argumentum.

Vt ſi Socrates.) In hoc ſophiſmate non fit diſtinctio ſubſtantiæ & accidentis. Nam eſt alter à Platone ſecundùm accidens, ſed Socrates ſecundùm eſſentiam eſt homo.

Tale eſt.) In huius ſophiſmatis ſolutione multos vehementer impeditos & occupatos fuiſſe video. Alij aſſerunt collectum eſſe, vt olim barbari ſophiſtæ loquebantur, non à diſtributo ad diſtributum: alij alias tenebroſas excogitant ſolutiones. Sed his nugaciſsimis omiſsis nugis, id quod res eſt, dicamus. Cùm ſic colligimus: Quod ego ſum, tu non es: ego ſum homo, ergo tu nō es homo: in maiore propoſitione proponitur me alium à te eſſe, ſecundùm perſonæ proprietatem: in minori verò eſſentiam & naturam intelligimus: quare falſa intelligitur concluſio.

Item & hoc modo.) Soluuntur hi duo ſyllogiſmi fallaces, quia mutatur genus ſuppoſitionis ſiue ſignificationis terminorum: nam à termino primæ intentionis ad terminum ſecundæ proceditur.

Sed per accidens.) Ratio huius eſt, quia omnis prædicatio in qua prædicatur terminus ſecundæ intentionis de termino primæ, eſt accidentaria: vt animal eſt genus, homo eſt ſpecies.

Propterea quòd.) Senſus huius loci hic eſt: Non eodem modo accipitur animal, cùm prædicatur de homine, & cùm ſubiicitur generi: nam in hac prædicat

dicatione, homo est animal, animal sumitur pro re ipsa quam significat ex impositione: sed in hac, animal est genus, animal sumitur pro ipso vocabulo, quod talis rei est significatiuum.

Quo pacto à recentioribus hic locus tractetur.

NEc tamen ignoro, hunc locum ab accidenti latiùs explicari à recentioribus, hoc modo: ut sit accidens, & id cui accidit, uidelicet res subiecta, & præter hæc attributum: quæ & ita distinguunt nominibus magis familiaribus, ut accidens sit, quod medium in syllogismo dicitur, res subiecta minor extremitas, attributum maior extremitas. Hinc paralogismos per hunc locum fieri dicunt, quoties uel medium, uel maior extremitas, uel minor extremitas in syllogismo non rectè sumitur. Medium quidē, ut si ita arguatur: Cuiuslibet contradictionis altera pars est uera (& accipio hìc nunc uerbum cuiuslibet, more istorum, contra uim propriam pro signo distributiuo, ut ipsi dicunt, qualia sunt Omnis & Nullus) atqui hæc propositio, homo est lapis, est contradictionis altera pars: igitur hæc propositio, homo est lapis, uera est. Captio est in uerbo contradictionis. Assumendum nanque erat, Atqui hæc propositio, homo est lapis, est contradictio: eò quòd hic terminus in maiore solùm uniuersaliter sumebatur. Maior uerò extremitas, ut si ita proponas: Omne animal substantia non est: omnis autem homo est animal: igitur nullus homo substantia est. Hìc captio est in uerbo substantiæ, quod in maiori (ut oportebat) uniuersaliter sumptum non est, propterea quòd negatio ei proposita non sit. Verùm id ita sophistæ pro arbitrio statuerunt, contra authorum & eorum qui rectè loqui didicerunt, consuetudinem. Minor

porrò extremitas non rectè sumitur, si ita contexas syllogismum: Nullum dextrum est sinistrum: cuiuslibet autem hominis oculus est dexter: ergo neuter oculus hominis est sinister. Hîc oculus minor extremitas particulariter sumitur in minore, contra præscriptum secundi modi primæ figuræ legem. Quare ita assumendum erat, Cuiuslibet autem hominis uterque oculus est dexter.

RAIIANVS.

Nec tamen.) Latissimè patet hæc fallacia accidẽtis: nam complectitur omnes syllogismos in materia & forma vitiosos.

Captio est.) Nam hîc terminus contradictio solùm sumitur vniuersaliter in maiore: debet autem totum esse medium in minore, & non hoc totum aggregatum contradictionis altera pars: propterea deceptio pendet à termino medio.

Maior verò extremitas.) Substantia maior extremitas sumitur particulariter in maiore, quia nota vniuersalis affirmatiua distribuit terminum tantùm immediatè sequentem: at in conclusione vniuersaliter sumitur.

GLAREANVS.

Quo pacto à recentiorib.) Vt in omni syllogismo tria sunt, nempe tres termini: ita tria in hac fallacia ponunt, attributum, accidens, & rem subiectã. Vt in hoc paralogismo: Homo est species, Socrates est homo: ergo Socrates est species. Hîc species attributum est, homo accidens, Socrates res subiecta.

Medium quidem, vt si ita arguatur.) In hac maiore propositione sunt duo subiecta, nempe locutionis, & distributionis. Locutionis subiectum est altera

tera pars, videlicet nominatiuus:ſed diſtributionis genitiuus cõtradictionis, cum ſigno vniuerſali Cuiuſlibet. Atque ſubiectum locutionis, nempe altera pars, non eſt diſtributum:ſed alterum, ſcilicet genitiuus, qui non poteſt eſſe verum ſubiectum. Ergo eſt ſyllogiſmus ex meris particularibus. Et deceptio eſt in verbo, Altera pars: quod in maiore indeterminatè capitur, in minore verò determinatè, nempe pro affirmatiua. Aptius exemplum erat de medio, quod eſt vulgò cõmuniſsimum: Homo eſt ſpecies, Socrates eſt homo, ergo Socrates eſt ſpecies. Nam in maiore Homo conſideratus, vt ei attribuitur ſpecies, videlicet pro natura vniuerſali, extraneus eſt Socrati: hoc eſt, accidit ei. Idem homo in maiore etiam eſt accidens homini, pro natura in communi: vt, Quodlibet inferius accidit ſuo ſuperiori.

Ex Petro Hiſpano.) Noſtra ætate tres ponuntur modi huius fallaciæ. Primus eſt, quando argumentamur in prima regula antepraedicamentali, in prædicatis non eſſentialibus: aut in quarta figura, quando aliquid attribuitur alicui, ſed non ea de cauſa tertio conuenit, etiamſi inter ea eſt conuenientia: vt, Socrates eſt homo, homo eſt ſpecies, ergo Socrates eſt ſpecies. Secundus modus eſt, quando argumẽtamur ex puris negatiuis in ſecunda figura, vel ex meris particularibus: vt, Omnis homo eſt animal, omnis aſinus eſt animal, ergo omnis aſinus eſt homo. Vel ſic: Socrates eſt homo, Plato eſt homo, ergo Plato eſt Socrates. Tertius modus, quãdo malè argumentamur à diuiſis ad coniuncta. De quibus tractatu 6. capite 14. vt, Iohannes eſt bonus, & eſt citharœd

tharœdus:ergo est bonus citharœdus. vel, Iste canis est pater, & est tuus: ergo est pater tuus.

De loco ab eo quod est secundùm quid, ad id quod simpliciter est.

DEfinitur hic locus ab Aristotele per id, quòd hoc quidem simpliciter dicitur, illud autem quoquo modo & non præcipuè. Quoquo modo inquit, hoc est, uel secundùm locum, uel secundùm tempus, uel ad aliquid, uel secundùm aliquid: uidelicet cùm quod secundùm partem dicitur, simpliciter accipitur. Itaque & paralogismi secundùm hunc locum quatuor fiunt modis. Primo in his, quæ secundùm locum dicuntur: ut, Apud Thraces quædam gentes olim, ut Solinus author est, recens natos cum fletu excipere, & defunctos gaudio prosequi pium esse ducebant: igitur pium est, puerperia deflere, & funera gaudio prosequi. Secundo in his quæ sunt secundùm tempus: ut, bonum est uti uictu tenui cùm ægrotamus, igitur simpliciter uti bonum est. Item, expedit merces in mare proijcere, cùm timetur naufragium: igitur expedit proijcere merces. Tertio in his, quæ sunt ad aliquid: ut, Diuitiæ malè utentibus non sunt bonæ, ergo diuitiæ bonæ non sunt: cum tamen ipsæ (ut diuus Ambrosius ait) uirtutum sint instrumenta. Quarto autem in his, quæ sunt secundùm aliquid: ut, Aethiops dentibus albus est, igitur albus est. Præterea cum ex diuisis coniunctum infertur, hoc pacto: Coriscus bonus est, & idem citharœdus: Coriscus igitur bonus est citharœdus. Esto autem uita bonus sit, non arte. Huiusmodi paralogismus per hunc locum factus esse intelligitur.

RAIIANVS.

Definitur.) Techna ex hoc loco struitur, quando id quod particulariter siue secūdùm partem in antecedente sumitur, in conclusione sumitur vniuersaliter, & secundùm totum. talis non est rata colectio, quoniam à particulari vno ad vniuersale non est firma consecutio: vt, diuitię malè vtentibus obsunt magis quàm prosunt, ergo diuitiæ malę sunt. Honestum est apud Tribalos populos patrem sacrificare, ergo id vbiq; honestum.

Vt apud Thraces) Historia hęc est apud Pomponiū Melam, secundo cap secundi lib. Itaq; lugentur apud eos puerperia, natiq; deflentur, funera contrà festa sunt, & veluti sacra cantu deflentur. Huius ratio, vt existimo, est, quia, vt Plinius ait, existimabant vel optimum esse non nasci, vel natos statim emori. Vide Plinium primo capite septimi libri.

Secundo in his) Huius loci multa exempla sunt apud Aristotelem in fine vltimi capitis, secundi libri Topicorum.

Virtutum sunt iustrumenta) Sic Aristoteles octauo capite primi libri Ethicorum: Fieri non potest, aut non facilè fit, vt is res agat præclaras, cui facultates desunt.

GLAREANVS.

Quarto autem, in his quæ sunt secudum aliquid.) Duplicia sunt accidentia. Quædam determinant certam in subiecto partem, ideoq; cùm illi insunt, satis sunt ad denominationem totius, à quibus argumentando non peccatur penes hanc fallaciam: vt, Iste est simus secundum nasum, ergo est simus. Et,

Est cæcus oculis, ergo est cæcus. De claudo & manco eadem est ratio. Alia sunt accidentia, quæ non determinant certam subiecti partem, & talia non possunt denominare subiectum: vt, Aethiops albus secundum dentes.

De loco ab ignorantia Elenchi.

PEr ignorantiam Elenchi, siue, quod idem est, per inscitiam redargutionis, fiunt paralogismi, quoties omittitur aliquid eorum, quæ ad orationem (ut Aristoteles ait) hoc est, ad ipsius Elenchi definitionem requiruntur. Definitur autem ab eodem hoc pacto: Elenchus est contradictio unius & eiusdem non nominis, sed rei, & nominis non synonymi, sed eiusdem, ex his quæ data sunt ex necessitate, non cõnumerato eo quod est in principio, ad idem secundùm idem, similiter. & per idem tempus. Qua quidem definitione certum est, nusquam ab Aristotele longiorem factam esse, idq; (ut reor) propter sophistarum importunitates. Quapropter & singulas eius particulas latiùs explicare, atque distinguere necessum fortaßis fuerit. Quandoquidem in ea quædam syllogismi tantùm causa ponuntur, quædam ob contradictionem solùm, quædam etiam ad utrunq; spectant. Syllogismi causa ponuntur, partim ex his quæ data sunt ex neceßitate: partim non connumerato eo, quod est in principio. Ob contradictionem uerò, ut quæ postremo loco enumerata sunt: cuiusmodi sunt, ad idem, secundùm idem, similiter, & per idem tempus. Præter hæc autem ad utrunq; reliqua pertinẽt. Porrò paralogismi, qui per hunc locum fieri consueuerunt, hoc præcipuè peccant, quòd ex quatuor postremis aliquid omittitur. Vnde & quatuor quoque

modi

modi aßignantur. Primus, cùm omittitur particula ad idem: ut, Decem sunt dupla ad quinque, & non sunt dupla ad sex, ergo decem dupla sunt, & dupla non sunt. Similiter si quis Socratem inter duos locatum, idcirco pronunciet ipsum dextrum esse & non dextrum. Secundus modus est, quando omittitur particula secundùm idem: ut, Hoc est duplum secundùm longitudinem, & non est duplum secundum latitudinem: duplum igitur est, & non duplum. Aut si quis oculum nigrum esse dicat, & non nigrum, propterea quia id quod circa orbem ipsius oculi est, qui medius pupillam tenet, album sit, ipse uerò orbis niger spectetur. Tertius, quando omittitur particula similiter: ut, Cognosco Socratem, & eundem non cognosco uenientem: igitur cognosco Socratem, & eundem non cognosco. Quartus uerò, quando omittitur particula per idem tempus: ut si quis Socratem proponat sedentem, & non sedentem, ad diuersa tempora respiciendo.

RAIIANVS.

Per ignorantiã) Hęc fallacia committitur, cùm aliqua particula finitionis Elenchi omittitur: nam Elenchus est conclusio opposita alicui propositionum concessarum in syllogismo, quę in modo & figura conclusionem colligebant: syllogismus verò Elenchi, est syllogismus, qui ex opposito conclusionis cum altera propositione colligit oppositum alterius, scilicet contrariam vel contradictoriam.

Qua quidem definitione) Locus est apud Aristotelem tertio cap. primi libri Elenchorum. Nũquam ab Aristotele datam esse existimo finitionem tam tenebrosam (cùm tamen ipse præcipiat omnem fi-

nitionem perſpicuam eſſe oportere: datur enim diſcendi cauſa) nec ex tot partibus compactam. Sed puto Ariſtotelem tot particulis in hac finitione vſum, ad explodendas omnes omnium ſophiſtarum cauillationes.

Eſt contradictio) Hoc eſt, concluſio contradictoria alicui præmiſſarum.

Vnius & eiuſd) Scilicet ſubiecti & prędicati, & ſecundùm nomen & ſecundùm rem. vt homo, homo.

Non nominis ſed rei) Non ſatis eſt eſſe eandem vocem, ſed oportet eandē rem eſſe per vocem ſignificatam.

Et nominis) Oportet Elenchum contradictionem eſſe, non eiuſdem nominis ſynonymi, ſed eiuſdem ſecundùm vocem.

Ex his quæ data) Hoc eſt, cōceſſa ab aduerſario.

Non connumerato) Non accepto quæſito ad ſyllogiſmum demonſtrationis.

Ad idem) Reſpectu eiuſdem.

Similiter) Vt dictio eodem modo acipiatur.

Per idem tempus) Vt dictio ſecundùm diuerſum tempus non accipiatur. Cætera ſatis dilucidè à Cęſario explicantur.

Ob contradict.) Hoc addit, authore Ariſtotele, qui ait: Dico autem opponi eiuſdem de eodem, non autem æquiuocè, & quæcunq; cætera contra ſophiſticas determinauimus importunitates.

GLAREANVS.

Quandoquidem in ea quædam) De ratione Elenchi ſunt tria, Illatio, Probatio, & Cōtradictio. Hoc eſt, vt ſit ſyllogſimus verus, dialecticus, & contradictorius.

dictorius. Ratione primæ conditionis ponitur hæc particula, Ex his quæ data sunt. Ratione secundæ conditionis ponitur hæc particula, Non connumerato eo quod est in principio. Ratione tertiæ ponuntur quatuor particulæ vltimæ. Ratione autem omnium modorum ponuntur ab initio tres particulæ, Vnius & eiusdem, Non nominis, sed rei, &, Nominis non synonymi, sed eiusdem. Elenchus igitur erit dispositus in modo & figura. Item, in Elencho præmissæ debent probare conclusionem. Denique, Elenchus vere contradicere debet respondenti.

Porrò paralogismi) Notandum, quòd fallacia ignorantiæ Elenchi capitur dupliciter. Vno modo generaliter, pro quacunq; deceptione, quæ prouenit ex aliquarum particularum in Elenchi definitione positarum omisione: & sic omnes fallaciæ, tum in dictione, tum extra dictionem, ad hanc reducentur, vt postea probabitur capite 20. huius. Alio modo specialiter, pro deceptione proueniẽte ex omisione vltimarum tantum quatuor particularum: & sic est fallacia specialis extra dictionem, authore Petro Hispano, quem hîc sequitur.

De loco à petitione principij.

IN principio petere est id, quod ad demonstrationem propositum est, ponere & accipere ut confessum. In principio igitur petitur aliquid, cùm eius adhuc desideratur demonstratio, quod tamen ut confessum accipitur. Vnde & ab Aristotele definitur secundo priorum Analyticorum uolumine hoc modo: Petere (inquit) id quod est in principio, est ostendere quidquam per id, quod per

se ipsum manifestum non est: quod profectò est propositum non ostendere. Accidit autem modis quatuor, Primo, quãdo asyllogista & incollectilis ratiocinatio fuerit. Secundo, quando id quod sumitur, ignotius eo est, quod colligere uolumus. Tertio, quando quod sumimus, æquè ignotum est, atq; id quod conficere uolumus. Quarto, cùm posterius sumitur ad demonstrãdum id quod prius est. Cæterùm præter hos sunt & alij quatuor modi, quos octauo libro Topicorum idem author recenset. Primus, cùm quod particulaliter demonstrandum est, uniuersaliter quis postulauerit: ut si quis uolens probare, contrariorum eandem esse disciplinam, postulauerit idcirco omnium oppositorum eandem esse disciplinam. Secundus, cùm quod uniuersaliter est ad ostendendũ propositum, particulariter ab aliquo petitur: ueluti si de omnibus contrarijs propositum est, de aliquibus solùm quispiam postulet. Tertius uerò, cùm quis diuidens propositum petit: ut si cùm oportet quempiam coniunctim ostẽdere, medicinam sani & ægri esse, is tum utrunque postulet seorsim, atque diuisim, uerbi causa: Est ne medicina sani? & rursus, Est ne medicina ægri? atque idem dehinc ita argumentetur: Medicina sani est, & medicina item ægri est: igitur medicina sani est, & item ægri. Quartus demum, cùm quis eorum quæ ex necessitate se inuicem sequuntur, alterum petit: ut si cui propositum est ostendere, quòd diameter est incommensurabilis lateri quadrati, is aßumat, quod diametro latus incommensurabile est.

RAIIANVS.

In principio) Hæc captio committitur, quando antecedens non probat consequens: quia id quod tan

tanquàm manifeſtum & perſpicuum ſumitur, ęquè ignotum eſt. atq; id quod eſt probandum: vt ſi quis ita colligat: ſunt qui aduerſa nobis veſtigia figant, ergo ſunt antipodes.

Primo quando) Vt, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt equus, ergo nullus homo eſt animal.

Secundo quando) Vt Pythagoras docuit animas in diuerſa migrare corpora, ergo eius aſſertores nõ errant.

Tertio quando) Vt anima equi non remanet ſeparata à corpore. ergo nec anima bouis.

Quarto) Vt homo eſt capax diſciplinę, ergo animal rationale eſt capax diſciplinæ.

GLAREANVS.

De loco à petitione principij) Eſt duplex principij petitio. Vna nomine & re, vt ſi probare velis, quod Socrates ſit prudens, quia eſt prudens, dixeris. Quidam vocant hanc Statim, & eſt planè ſtulta. Alia eſt petitio principij, quando ſub alio nomine quid probatur, ſed per ignotum, vel magis, vel æquè. Id quod hîc multis indicatur modis. Quidam vocant petitionem principij Non ſtatim.

Cæterùm præter hos ſunt & alij, &c) Ariſtoteles ponit quinq;: ſed hîc omittitur primus modus, quando petitur idem ſecundum rem & vocem ſimul: vt, Homo currit, quia homo currit: quod videre non eſt difficile. At in ſynonymo citius fallit: vt, Cicero currit. quia Tullius currit.

Notandum: Non eſt inconueniens, in eodem argumento, & Dialecticum & Sophiſticum ſæpè eſſe locum. Si enim antecedens eſt notius reſpon-

 denti

denti, fundat locum Dialecticum. Sin æquè ignotum, aut ignotius etiam, Sophisticum. Quando enim argumentamur à prædicatis, quæ notiori modo conueniunt definitione quàm definito, est locus Dialecticus. Sin æquè ignota fuerint, aut ignotiora etiam, est locus Sophisticus.

De loco à consequenti.

A Consequenti *locus dicitur, quemadmodum & Aristoteles tradit, quoties propter consequens redargutio fit, ut si quis petat consequentiam conuerti, quæ tamen conuertitur minimè.* Exempli *gratia, si quis, quia hoc ex necessitate est, & illud est, idcirco putauerit, quia illud sit, & alterum quoque ex necessitate esse.* Vnde *& deinceps, quæ propter opinionem ex sensu sunt, hoc modo plerunque fiunt.* Hinc *sæpenumerò id quod fel est, mel esse suspicantur, eò quòd flauus color ut fel, ita & mel quoq; consequitur.* Quapropter *si quis ita argumentetur: hoc mel est, igitur flauum, rectè quidem sequitur: at contrà non rectè, si hoc modo:* Hoc *flauum est, igitur mel est.* Huius *autem loci alij duos, alij tres statuunt modos.* Ex *his primus est, quoties quis, ut ab antecedente ad consequens rectè sese habet consequentiæ ratio, ita è contrario à consequente ad ipsum antecedens firmam similiter atq; constantem consequentiæ uim esse existimauerit: ut si animal est, homo est: igitur si homo non est, animal non est.* Secundus, *quoties facta consequentia, ab abolitione antecedentis credit aliquis & consequens peræquè aboleri posse: ut si homo est, animal est: igitur si homo non est, animal non est.* Tertius *uerò modus est, quoties ex communiter accidentibus per id, quod*

con

consequens esse solet, uolumus ostēdere id, quod praecedit: ut qui insanus est, in solitudinē fugit, Democritus *autē in solitudinem fugit, igitur* Democritus *insanus est.* Dicitur *autem per consequēs, quoniam consequitur insanum esse in solitudinem fugere, ueruntamen non conuertitur.* Non *enim si quis fugit in solitudinem, consequens cōtinuò est, ut insaniat.* Inuenias *siquidem qui res humanas despiciēs, stabilitatem & quietem quaerat, & ob hoc ad loca à tumultibus libera secedat: quemadmodum* Democritum *fecisse memoriae proditum est: proinde falsò creditum est ab* Athenienſibus, *eum insaniuisse.* Quemadmodum *falsò quoque creditum est olim, ab infidelibus nostrae religionis, monachos desipuisse, quòd relictis omnibus quae possederant, in deserta loca secesserint: unde &* Anachoritae *dicti sunt &* Eremitae: *ut de* Paulo *primo* Eremita *&* Hilarione Hieronymus, *de diuo* Antonio Athanasius, *& de alijs compluribus* Seuerus Sulpitius *in eo libro, quem de uita* D. Martini *inscripsit, memoriae prodiderunt.*

RAIIANVS.

A consequenti.) Hæc fallacia committitur, cùm credimus consequens conuerti cum antecedente, quod tamen non conuertitur: vt si pluit, terra est madida: ergo si terra est madida, pluit. si iustitia est, virtus est: ergo si est virtus, est iustitia. hæc captio complectitur omnes vitiosas argumētationes, quæ canones consequentiarum non obseruant.

Vt si animal est.) Hoc Exemplum non conuenit huic primo modo, nam animal esse non infert hominem esse, quare sic legendum puto: si animal non est, ergo homo non est: igitur si homo non est, ani-

mal non est. fallacia est consequentis, quia antecedens infert consequens, sed consequens vicissim non infert antecedens.

Secundus.) Hic syllogismus est in primo modo syllogismorum conditionalium, in quo à positione antecedentis ad positionem consequentis est colligendum.

Et quemadmodum.) De hac re videndus est Virgilius Polydorus, de inuentoribus rerum, primo cap. septimi libri.

GLAREANVS.

De loco à consequenti.) Differunt, Antecedens, Consequens, & Consequentia. Antecedens est, propositio Categorica, vel Hypothetica, inferens conclusionem. Categorica, vt in Enthymemate: Homo est, ergo animal est. Hypothetica, vt in Syllogismo. Consequens est, quod illatum ex antecedente, & in Syllogismo vocatur conclusio. Consequentia autē est, habitudo consequentis ad antecedens, vt habetur Tractatu sexto capite decimoquinto.

De loco ab eo quod est, non causam vt causam ponere.

Hic locus ab eo nomen habet, quod est non causam ut causam ponere, quod quidem fit, dicente Aristotele, cùm assumitur id quod non causa est, tanquam propter illud fiat redargutio. Accidit autem tale quid in his syllogismis, qui sunt ad impoßibile, in quibus scilicet necessariū est interimere aliquid ex his, quæ sumpta sunt. Huius quidem exemplum est, quo & Aristoteles ipse utitur, ut si quæratur. Sunt'ne anima & uita idem? quod si à responde

dente concedatur, ita deinde elench. sophisticus sit: Omne quod est contrariũ corruptioni, generatio est: atqui mors corruptio quædam est uitæ contraria, & anima & uita sunt idem: uita igitur est generatio, & uiuere generari. Hoc autem impoßibile est: quippe qui uiuit, iam non generatur, sed genitus est. Hic si is, qui proposuerat, num anima & uita sunt idem, per interemptionem inferat, ob consequentis scilicet falsitatem, igitur idem nõ sunt anima & uita, & respondens hoc quoque concedat argumentationis ui impulsus, ne tunc quidem subterfugere poterit redargutionis notam, quippe qui quæ anteà cõcessa sunt, eadem ipse posteà negauerit: quod certè per imperitiam eius accidit, non aduertentis eam propositionem, quæ interempta est, causam non esse cur illatum sit consequens falsum, ac per hoc ne interimendam quidem fuisse. Quandoquidem ipsa posita, aut non posita, nihilominus id quod impoßibile est, eodẽ syllogismo collectum sequitur. Quin hæc potius interimenda erat: Mors corruptio quædam est: quæ nimirum falsa propositio est. Siquidem neq; mors mors corruptio, neque uita generatio est: sed ut generationem uita, ita corruptionem mors comitatur. Itaque in syllogismo superiùs facto, quæ propositio causa non erat, ut causa sumpta est.

RAIIANVS.

Hic locus.) Hic elenchus componitur, quando putamus aliquid esse causam conclusionis, quod tamen non est causa: vt ebrietas est mala, ergo vinum est malum.

Quæ interempta est.) Hæc scilicet, anima & vita sunt idem: nam ea sublata, nihilominùs falsa sequitur conclusio.

Siquidem.)

Siquidem.) Huius ratio est, quia generatio est motus ad formam acquirendam, corruptio verò formæ est abiectio. Mors autem & vita nō sunt motus, sed motum cōcomitantur, & eius termini sunt.

GLAREANVS.

De loco ab eo quod est, &c.) Præmissa non causa dicitur propositio, quæcunque non est causa cōclusionis falsæ: quæ etiamsi non poneretur, non minus sequeretur conclusio falsa. Quanquam ipsa causa videtur, atque adeò ad aliam, quæ verè causa est, assumitur: vt in hoc Aristotelis exemplo, Anima & vita sunt idem. Quæ ad minorem assumitur, cùm non deberet.

De loco ab eo quod est, plures interrogationes vt vnam facere.

Restat ultimus ex his, qui extra dictionem dicti sunt, locus, nomen hinc sortitus, quòd per eum plures interrogationes factæ una esse credantur. Quoties igitur duæ plurésue interrogationes fiunt, ad quas responsio datur perinde atque una facta sit, captio per hūc locum fieri dicitur. Quod profectò tunc euenire solet, cùm latet respondentem, plures esse, ídque uel per imperitiam, uel ob non diligentem ad respondendum circunspectionem. Porrò interrogationes plures dicuntur, quum plura de uno, aut unum de pluribus, aut plura de pluribus interrogantur. De quibus & Aristot. hoc modo: In harum autem aliquibus quidem, inquit, facile est uidere, quòd non una, sed plures quoque dandæ sunt responsiones, ut utrum terra est mare, an cœlum? In aliquibus uerò non ita facilè, ut putásne hic & hic homo est? Quo fit, ut cùm aliquis

percuss

percußerit hunc & hunc, hominem, & non homines percußiße dicatur. Rursus, cùm interrogamus. Sint'ne hæc bona an nõ? demonstratis tam bonis quàm malis, utrumuis responderit aliquis, redargutionẽ haudquaquam effugiet, ob falsi uidelicet concessionem. Quandoque autem assumptis, hoc est, admißis quibusdam, redargutio nõ minus fiet, ut si quis concedat similiter & unum & plura dici, ut exempli causa, alba, uel nuda, uel cæca. Nam si cæcum est, quod uisum non habet, natum tamen habere: & cæca erunt, quæ uisum non habent, nata tamen habere. Igitur cùm hoc quidem uisum habet, illud autem non habet: si tum interroget quispiam, sunt'ne hæc uidentia, an non uidentia? utrumlibet respondens dederit, erunt proculdubiò ambo uel uidentia, uel non uidentia. Quod quidem utique falsum esse statim deprehenditur ex hypothesi facta. Hæc ita ex Aristotele penè ad uerbum, ut cætera magna ex parte, quæ in hoc tractatu continentur, omißis multorum ambagibus in re non magni momenti.

RAIIANVS.

Restat vltimus.) In hãc impingimus captionem, quando duæ pluresve nobis proponuntur interrogationes, ad quas vnam damus responsionem. similis captio est apud Gellium, lib. 16. cap. 2. Postulo vt respondeas, desierisne facere adulterium, an non? vtcunque Dialectica lege respondeas, hærebis in captione, siue aias siue neges: tam si te dicas adulterum, quàm si neges.

Vt vtrum) Exemplum in quo plura prædicata interrogantur de vno subiecto.

In aliquibus verò.) Exemplum in quo vnum prædicatum de pluribus subiectis dicitur.

Sintne.)

Síntne.) Distinctione hic cauillus est submouendus: hæc sunt bona, hæc verò mala.

Igitur.) Exemplum quando plura prædicata dicuntur de pluribus subiectis, adhibenda est etiam distinctio, hæc esse videnda, illa verò non.

GLAREANVS.

De loco ab eo quod est, &c.) Propositio dicitur Plures, quæ non est vna simpliciter. Dicitur autem propositio simpliciter vna, vbi simplex prædicatum dicitur de simplici subiecto, Homo est animal. Vnde interrogatio plures, vt vna, est, in qua plura interrogantur de pluribus, sub vno signo interrogationis. Atque inde est error, quòd interrogatio plures creditur vna esse: & ita vnam esse dandam responsionem, cùm debeant dari plures.

Quemadmodum ad ignorantiam Elenchi omnes prædicti loci reduci poßint, & quòd dupliciter Elenchus accipiatur.

INquirendum deinceps, quo pacto prædicti loci omnes, siue elenchi sophistici ad redargutionis inscitiam reuocari poßint, ídque ex Aristotelis præsertim instituto, ut qui de omnibus his ita pronunciat: Aut distinguendi sunt, inquit, apparentes syllogismi omnes, atque redargutiones: aut ad ignorantiam elenchi reducendi, uel ab ijs præcipuè, qui hanc omnium dictorum modorum principium faciunt: quatenus elenchus ipse generatim accipiatur, simulq; omnes intra suæ definitionis ambitum positas particulas amplectatur. Dico autem *generatim, quando alioqui ex dictis modis siue locis unus & ipse habeatur, nempe ad quatuor ultimas particulas factæ definitionis*

nis relatus. Itaque sciendum, quòd omnes paralogismi, quicunque iuxta præscriptos modos fiunt, peccant, uel quia syllogismi non sint, tametsi uidentur: uel quia contradictio in his non rectè sese habeat: uel quia non eadem ubique tam rei quàm nominis ratio obseruetur: id quod nunc per singulos locos discurrendo breuiter ostendere operæpretium fuerit. Ergo quicunque fiunt per æquiuocationem, per amphibologiam, & per figuram dictionis, omnes ad elenchum reducũtur, eò quòd in his duplex tum nomen, tum oratio sumitur, ob rei uidelicet significatæ diuersitatem. Similiter autem & qui per compositionem, & diuisionem, & accentum fiunt, ob ipsius tum orationis, tum nominis uariationem. Porrò qui secundum accidens fiunt, & item propter consequens, & per id, quod est sumere quod in principio est, necnon per id, quod est non causam ut causam ponere: propterea quòd unusquisque horum præuaricator sit præscriptæ nuper syllogisticæ legis. Qui uerò propter id, quod quoquomodo & simpliciter, quoniam nõ de eodem affirmatio & negatio est: quare nec in his ulla est uera contradictio, licet credatur. Postremò autem & qui fiunt propter id, quod est plures interrogationes ut unam facere: quòd in his non enucleamus, neque discernimus propriam ipsius propositionis rationem, quæ quidem est ut unum de uno dicatur. Nam eadem est unius rei, & rei simpliciter definitio, ut hominis, & unius hominis. Cùm ergo quæ in syllogismo sumũtur, apparet esse propositio, & non est, quatenus in ea nõ unum de uno prædicatur, manifestum quòd & hic ad inscitiam redargutionis reuocandus est. Est enim redargutio syllogismus quidem, nempe contradictionis. Ex quo iam palàm factum est, omnes locos siue modos ad ignorã-

tiam

tiam elenchi reuocari posse, hos quidem, qui in dictione sunt, quoniam in his apparens est contradictio: illos autẽ, qui extra dictionem, maiori ex parte propter syllogismi rationem definitionémque.

RAIIANVS.

Inquirendum.) Quoniam fallacia elenchi latissimè patet, docet quomodo cæteræ fallaciæ ad eam reduci possint.

Quatenus elenchus.) Cæsarius innuit elenchum duobus modis accipi. primo generatim, vt est quoddam vniuersale omnium fallaciarum, & omnes fallacias suo ambitu complectitur, & sic omnes redargutiones ad elenchum reducuntur. secundo modo elenchus accipitur particulariter pro quatuor vltimis particulis finitionis, & hoc sensu elenchus est ex numero fallaciarum.

Præuaricator fit.) Hoc est, transgreditur præscriptas leges.

Vt vnũ de vno.) Vna propositio est in qua vnú, hoc est, vniuocum de vniuoco dicitur, vt iustitia est virtus. Videndus est Aristot. 7. cap. 1. libri de interpretatione.

GLAREANVS.

Quemadmodum ad ignorantiam.) Aequiuocatio, Amphibolia, & figura dictionis, deficient à vero Elencho hac particula, Non nominis tantùm, sed rei & nominis simul: nam in eis sumitur duplex, vt vnum. At compositio, diuisio, & accentus, peccãt hac particula, Vnius & eiusdem, cùm in eis neque vocis, neque significati sit vnitas. Et sic sunt sex in dictione, septem autem extra dictionem: ita peccãt à vero

à vero Elencho. Accidentis & consequentis fallaciæ peccant contra particulam, Ex his quæ data sunt: non enim ex necessitate inferunt: Item à dicto secundum quid, & ignorãtia Elenchi, peccant in quatuor vltimis particulis, Ad idem, secundum idem, similiter, & in eodem tempore. Petitio principij cõtra particulam, non connumerato eo quod est in principio. Secundum causam, vt causam peccat sicut accidens & consequens. Ita etiam, Quæ secundum plures interrogationes, vt vnam. Oportet enim in omni syllogismo propositiones esse, quæ vnum de vno significent, quod non fit in hac fallacia.

Ex quibus causis sophistica prodeant deceptiones.

Consentaneum fortaßis fuerit inuestigare quoque quibus ex causis huiuscemodi imposturæ atque deceptiones proueniant. Itaque dicamus ex Aristotele, quòd deceptio omnis prouenit in his quidem, quæ per æquiuocationem & amphibologiam fiunt, sophismatis, eò quòd non potest quispiam distinguere id quod multiplex est, siue multipliciter dicitur, ab eo quod uno modo dicitur dumtaxat. At in his, quæ per compositionem, & diuisionem: eo quòd nihil interesse putatur inter orationem compositam & diuisam, Similiter autem & in his, quæ per accentum fiunt: propterea quòd nonnullis idem significare uidetur eadem uox intensa & remissa, hoc est, acuto uel graui accentu prolata. Et in his item, quæ per figuram fiunt ob dictionis similitudinem: quod difficile sit dijudicare, quæ similiter atque aliter proferantur. Fere,

re enim quisquis hoc facere poterit, is in procinctu est, ut quod uerum est uideat: & per hoc promptus erit uel concedere quod concedendum est, uel negare quod est negandum. R*ursus autem in his, quae per accidens: eò quòd quis nescit dijudicare, idem ne sit an diuersum quod sumitur, tum an unum, an multa.* S*imiliter autem in his, quae per consequens fiunt: per hoc quòd arbitramur, ut consequens ab antecedente non separatur unquam (est enim ipsum antecedentis pars quaedam) ita nec à consequente antecedens separatum iri.* P*orrò in his, quae fiunt propter omißionem orationis, hoc est, alicuius particularum, quae in elenchi ratione positae sunt, & in his quae sunt propter id, quod aliquo modo & simpliciter dicitur: & in his item, quae quod in principio est, sumunt: tum & in his quae per non causam ut causam accidunt: & quaecunque plures interrogationes ut unam faciunt: propterea quòd in his omnibus non exactè discernimus, neque sumptas propositiones, neque ipsius syllogismi uerum terminum, hoc est, rationem definitionemq;: per hoc quòd parũ nobis differre uideantur ea, quae iam dicta sunt, ut non causa & causa, quod simpliciter & quoquo modo, & interrogationes plures & interrogatio una.*

RAIIANVS.

Consentaneum) Epilogo quodam ex 6. cap. 1. li. elenchorum fontem & originem omnium deceptionum indicat.

Similiter autem) Consequens non separatur ab antecedente, posito antecedente: vt si homo est, animal est: consequẽs tamen potest animo & mente separari ab antecedẽte, vt Porphyrius in communitatibus docet.

GLAREANVS.

Ex quibus causis, &c.) Decipimur specie recti, inquit Flaccus. Vnde in quauis fallacia est causa apparẽtiæ, & est velut motiuum principium; quòd res sit, quæ tamen non est. Sed ea apparentia mouet nos ad temerè credendum, quod concedendum non est. Est & in quauis fallacia causa defectus, per quam percipitur, nos temerè hallucinatos, nec rem ita se habere, vt nobis visa fuit. Cuius rei initio huius tractatus Aristotelica exempla data sunt, de auro apparente orichalcum, & argento apparente stanno, vel contrà. At huius rei dandum est vnum exemplum, in æquiuocatione: vbi causa apparentiæ est vnitas dictionis eiusdem, tum secundum substantiam, tum secundum modum proferendi, diuersa significantis. Causa autem defectus siue falsitatis est, diuersitas significatorum. Vnitas enim prædicta in æquiuocatione mouet ad credendum id quod non est, vnitatem significandi. Diuersitas autem, ostendit creditum esse falsum. Hæc Petrus Hispanus.

De recta solutione paralogismorum.

QVia uerò non minor ars est soluere nodos, quàm eosdem implicare atq; constringere, quod quidem ita esse, argumento nobis esse potest Gordij Phrygiæ regis nodus in Iouis templo suspensus, quem Alexander Magnus (ut est apud Iustinum historicum) idcirco quòd ingenio soluere nequiuisset, gladio usus uiolenter abscidit: ob hanc nimirum causam, quia sophistarum argutias captionesq́;, quòd syncategorematum nexibus, ceu nodis

quibusdam implicitæ atq; inuolutæ sint, ut struere fortassis nõ facile, ita proculdubio soluere longè est difficilimũ: Aristoteles tandem ipse, cùm quemadmodum struantur illæ certis locis præscriptis id iam monstrasset, eædem quo pacto etiam dissoluerentur, pari cura atq; diligentia docere instituit. Vnde & ab eodem recta solutio definitur, falsi syllogismi manifestatio. Porrò falsus syllogismus duobus dicitur modis. Aut enim quia ex falsis collectus sit: aut quia syllogismus non est, tametsi uideatur. Ergo cùm duobus modis falsum esse syllogismum contingat, duobus quoque modis ipsum dissoluendum docet, nempe aut per interemptionem, aut per distinctionem. Per interemptionem quidem, ut quoties ex falsis collectus est. Per distinctionem uerò, cùm apparet syllogismus, & non est. Verùm enimuero, ut id quod quærimus breuiori uia, quàm quæ ab Aristotele tradita est, assequi poßimus, ex Iacobo Fabro Stapulensi tres regulas in animum induxi hìc subijciendas, quarum prima hæc est, In omnibus paralogismis, qui fiunt per æquiuocationem, amphibologiam, compositionem, diuisionem, & accentum, si quod sumptum est multiplex, distinguendum est. Alioqui confusionem parit, quæ tollitur interim, cùm ipsum distinguitur. Insuper & in eiusdem consequentiæ ratio discutienda examinandaq; uenit. Secunda, In omnibus paralogismis, qui fiunt per figuram dictionis, per accidens, per id quod est secundum quid & simpliciter, per ignorantiam elenchi, per consequens, per non causam ut causam, per id quod est, plures interrogationes facere ut unam, consequentia neganda est & mox cur negata sit, ratio subiungenda. Tertia, In omnibus paralogismis, qui fiunt per id quod est petere id quod est in principio, ipsum

ſum antecedens aut negandum planè eſt aut certè addubitandum.

RAIIANVS.

Quia verò) Ex 3. cap.2.libri Elenchorum rationem diluendorum ſophiſmatum docet. omnis ſyllogismus aut verus, aut falſus eſt: verus admittendus eſt, falſus diſſoluendus, quemadmodum ſyllogiſmus eſt falſus duobus modis (aut enim vitioſus eſt ſecundū materiam, aut ſecundū formam) ſic etiā duobus modis diſſoluitur: ſi vitioſus eſt ſecundum materiam, negandum id quod falſum aſſumitur: ſi vitioſus ſecundum formam, negandum eſt conſequens, & ſtatim ratio ſubijciēda cur malè colligat. multum profuerit ad hanc rem ſtudioſè legere Rodolphum Agricolam lib.2.de recta argumentorum ſolutione.

Vt eſt apud Iuſtinum) Locus eſt apud Iuſtinum lib.vndecimo. Habes ſtudioſe lector in totū Cæſarium ſcholia, quæ tenebroſum Ariſtotelem euoluere volentibus vice vaſtorum & verboſorum commentariorum eſſe poterunt. Etenim Cæſarius vnus ex omnibus qui poſt Ariſtotelem Dialectica ſcripſerunt (abſit inuidia verbo) proximè Ariſtotelis mentem non ſolùm adumbraſſe, ſed etiam ad viuum expreſsiſſe videtur. Vale Lugduni, ad Confluentes ex diuæ Trinitatis celeberrimo florentiſſimoq; Gymnaſio, Anno domini Milleſimo quingenteſimo quinquageſimoſexto, pridie Calendas Ianuarias.

GLAREANVS.

De recta ſolutione paralogiſmorum) Ariſto-

teles de Elenchis omnino contendit, quòd aliquando expediat apparentes ſoluere. Nam ſicut contingit argumentari, ita contingit ſoluere. Et ad talem ſolutionem apparentem dat nouem cautiones. Prima, Reſpondens dicat: Tranſeat, vel Eſto, ſi non ſatis conſtitit. Secunda dicat: Ita videtur, ſi inopinabile eſt. Tertia: Petis principium, ſi fuerit propinquum interemptioni propoſiti. Quarta: Non ita ſumpſi, ſi eſt propemodũ concluſus. Quinta Obſcurum non cõcedo, donec intelligam, ſi interrogatio ſobſcura fuerit. Sexta: Communius concedendum eſt, quoties de duobus quæritur, vt de homine & animali. Septima: Non eſt nomen impoſitum, ſiquidem neſcimus ex contrarijs alterum nominare. Octaua: Diuerſi diuerſa ſentiunt, ſiquidem eſt res dubia, vt ſæpè fieri ſolet. Nona: Licet multa talia obijci poſſunt, tamen nihil aduerſus me. Hæc hactenus.

*

PERO

PERORATIO.



Habes studiose lector, siue adolescens, siue adultæ ætatis iuuenis, Dialecticã tibi paratã, non aliam ob causam (sic mihi crede) nisi ut posthac quicquid in studijs liberalibus addiscendum tibi fuerit, citra crassam illam & fœdam barbariem facilè id iam assequi uideri possis. Quippe quòd hæc sola uisa sit hactenus deesse ad ternarium illum studiorum numerum, quæ triuij communi nomine appellant: id quod in primis triuialium ludorum magistri atque præceptores sæpe ac multùm conquesti sunt aliquot annis, tales utique præceptores, qui (ut pro comperto ipse habeo) totis uiribus ad hoc contendunt, ut docilem iuuentutem ritè instituant, à barbarie auocent, bonas artes doceant. Itaque si hæc Dialectica nostra talis tibi uisa fuerit, ut ex ea id, quod summopere tui moliũtur præceptores, pro uoto assequi potueris, bene est: sin uerò nondum id à me præstitum sit (quod equidem uereri possum) conatum saltem quæso, si non rem ipsam, laudaueris.

IN GARRVLVM SOPHISTAM IOANNIS MVRMELLII RVREMVNDENSIS EPIGRAMMA.

Garrule qui nostrum tentas lapidare libellum,
In lucem pueris ede Sophista tuum.
Non decet in rudium cœtu traducere doctos:
Vana loqui turpe est, gloriolámque sequi.
Ecquid apud calathos, inter muliebria pensa
Reddere te clarum lana caprina potest?
Quando nihil præter verbosa sophismata nosti,
Barbarie sordens, Grammaticæque rudis:
Ecquid habet sophiæ quod te in penetralia ducat?
Ecquid Aristotelem Porphyriúmque tenes?
Haud operæpretium est (mihi crede) refellere nugas:
Digna legi scribens experiere virum.
Saucius & possum genuinum infigere dentem:
Deque meo crudum vulnere vulnus erit.
Ingenijs hominum studeo prodesse iuuandis,
Estque mihi verò gloria nulla prior.

IOANNES MVRMELLIVS RVREMVNDENSIS PETRO SVO S. P. D.



OGAS me ſedulò, & crebrò adhortaris, Petre ſuauiſsime, vt breui te arte inſtituam, quánam ratione voces eas, quæ in categoriis locum habẽt, diſcernere queas ab illis, quæ à prædicamẽtis alienæ ſunt: & vt certos quoſdam tibi tradam canones, quibus facilè diſcas, in quo vnaquæque vox categorica prædicamento reponatur. Ardua profectò res eſt, & ſæuis caninæ facundiæ morſibus expoſita, in tam varia & multiiuga opinionum diuerſitate, dialecticorum aliis alia ſentientibus, breui ea libello perſtringere, quę pluribus longiſſimi operis voluminibus vix ſatis exactè potuerint vel à doctiſsimo Philoſopho explicari. Cùm tamen mecum cogitem, quantũ vtilitatis tibi ſtudioſiſque liberalium artiũ iuuenibus ex hoc quod petis, prouenturũ ſit, vtcunque pro temporis, quo ſuppetit

 otium,

otium,breuitate, votis tuis non morem ge-
rere non possem. Accipe igitur lucubratiũ-
culam hanc nostram, vt habeas ἰυσαγογὴν
quandam in Aristotelis decem prædicamẽ
ta: & ingenium tuum ne Grammaticæ so-
lùm,sed fructuosis etiam Dialecticæ studiis
excolito,vt vera dignoscens à falsis,& finiẽ
di, diuidendi, argumentandíque rationem
tenens, rectam viam habueris,& iter expe-
ditum ad optimam quanque disciplinam.
Vale, & præceptorem tuum dilige. Alcma-
riæ Phrisiorum oppido studiis libera-
libus sanè quàm accommodato,
Anno à partu Virginis.
M. D. XIII. Idibus
Septembris.

*

IN

IN ARISTOTELIS DECEM PRÆDICAMENTA IOANNIS MVRMMELLII Ruremundensis Isagoge.



SAGOGEM hanc in decem Aristotelis Peripateticorum principis κατηγορίας tribus digero capitibus, quorũ primo quidẽ agam de vocibus à prædicamentorum serie reiectis & alienis: secundo autem super iis, quibus in ordine categorico locus est: tertio verò dictiones aliquot tradam, quæ vel ad diuersa prædicaméta, vel ad vnius eiusdémque seiunctas species referuntur. Porrò vt hæc faciliùs memoriæ commendari posśint, & tenaciùs inhærere, singula capita in suos titulos sunt distributa.

DE VOCIBVS A PRÆDIcamentorum serie reiectis & alienis Isagoges in Aristotelis, Prædicamenta.

Caput Primum.

Decem esse prædicamenta *titulus 1.*
De prædicamentorum quæsitiuis *titu. 2.*
Nouem regulis cognosci voces à prædicamentis alienas. *titu. 3.*

De

De reiectis à prædicamentorum ordine vocibus regularum nouem prima titu. 4.
Secunda regula titu. 5.
Tertia regula titu. 6.
Quarta regula titu. 7.
Quinta regula titu. 8.
Sexta regula titu. 9.
Septima regula titu. 10.
Octaua regula titu. 11.
Nona regula titu. 12.
Bifariàm aliquid locum habere in prædicamento ti. 13.

DE DICTIONIBVS QVIbus in ordine categorico locus est,

Caput Isagoges huius secundum.

Series categoriæ Substantiæ titu. 1.
De ijs, quæ sunt prædicamenti Substantiæ, regula prima titu. 2.
Regula secunda titu. 3.
Regula tertia titu. 4.
Regula quarta titu. 5.
Regula quinta titu. 6.
Regula sexta titu. 7.
Regula septima titu. 8.
Regula octaua titu. 9.
Regula nona titu. 10.
Regula decima titu. 11.
Regula vndecima titu. 12.
Regula duodecima titu. 13.

Series categoriæ Quantitatis Titu.14.
De ijs, quæ sunt prædicamenti Quantitatis, regula prima titu.15.
Regula secunda titu.16.
Regula tertia titu.17.
Quarta regula titu.18.
Quinta regula titu.19.
Series prædicamenti Ad aliquid. titu.20.
De ijs, quæ sunt prædicamenti Ad aliquid, prima regula titu.21.
Secunda regula titu.22.
Tertia regula titu.23.
Series prædicamenti Qualitatis titu.24.
De ijs, quæ sunt primæ speciei Qualitatis, regula prima titu.25.
Secunda regula titu.26.
Tertia regula titu.27.
Quarta regula titu.28.
De ijs, quæ sunt secundæ speciei Qualitatis, regula prima titu.29.
Secunda regula titu.30.
Tertia regula titu.31.
De ijs, quæ sunt tertiæ speciei Qualitatis, regula prima titu.32.
Secunda regula titu.33.
Tertia regula titu.34.
De ijs, quæ sunt quartæ speciei Qualitatis, regula prima titu.35.
Secunda regula titu.36.
Series prædicamenti Actionis titu.37.
De ijs, quæ sunt in prædicamẽto Actionis, regula ti.38.

Series

Series prædicamenti Paßionis titu.39.
De ijs, quæ sunt in prædicamēto Paßionis, regula ti.40.
Series prædicamenti Vbi titu.41.
Descriptio Vbi, ex Trapezuntio titu.42.
De ijs, quæ sunt in prædicamēto Vbi, regula titu.43.
Series prædicamenti Quando titu.44.
Descriptio Quando, ex Trapezuntio titu.45.
De ijs, quæ sunt in prædicamēto Quādo, regula tit.46.
Series prædicamenti Situs titu.47.
Descriptio Situs, ex Trapezuntio titu.48.
De ijs, quæ sunt in prædicamento Situs, regula tit.49.
Series prædicamenti Habitus titu.50.
Descriptio Habitus titu.51.
De ijs, quæ sunt in prædicamēto Habitus, regula ti.52.

DE DICTIONIBVS ALIquot, quæ uel ad diuersa prædicamenta, uel ad unius eiusdémque seiunctas species referuntur.

Caput huius introductionis tertium.

Quòd vna eadémque species secundū aliud atque aliud diuersis generibus supponi poßit titu.1.
De habitu, dispositione, scientia, sensu & positione tit.2.
De raro spisso, laui, & aspero titu.3.
De calido, humido, & lumine titu.4.
De doctore, imperatore, viro, comite titu.5.

DE

DE VOCIBVS A PRÆDICAMENTORVM SERIE REiectis & alienis, Isagoges in Aristotelis prædicamenta,

CAPVT I.

DECEM ESSE PRAEdicamenta.

TITVLVS I.



RIMVS omniũ Aristoteles decem κατηγορίας constituit, quæ à Quintiliano elementa dicuntur, à Seuerino Boethio prædicamenta. Sunt autem hæc: Substantia, Quantitas, Ad aliquid, Qualitas, Agere, Pati, Vbi, Quando, Situs, & Habere. Substantia est (ut singulatim exempla referantur) ut homo. Quantitas, ut linea. Ad aliquid, ut pater. Qualitas, ut iustitia. Agere, ut secare. Pati, ut secari. Vbi, ut in Academia. Quando, ut hodie. Situs, ut iacêre. Habere, ut togatũ esse. Sed & his ea uersiculis complexi sumus:

Arbor sex seruos feruore refrigerat ustos:
Ruri cras stabo, nec tunicatus ero.

DE PRAEDICAMENTORVM quæsitiuis.

TITVLVS II.

Decem prædicamentorum quæsitiua tradunt eruditi,

diti, Quid, quantum, quid huius, quale, quid agens, quid patiens, ubi, quando, quomodo situm est, quomodo habituatum est. Cùm enim quæritur, quid est Socrates? respondetur, homo, animal, aut substantia, quæ à quibusdam dicitur essentia. Quantus est Socrates? interrogatus respondet, quadricubitus. Quid Plato? magister. Qualis? temperans. Quid agit? disputat. Quid patitur? Verberatur. Vbi philosophatur? Athenis. Quando locutus est Alcibiadi? hodie. Quomodo situs est? stat. Quomodo habituatus est? palliatus.

NOVEM REGVLIS COGNOSCI uoces à prædicamentis alienas.

TITVLVS III.

Quemadmodum (ut Seuerini Boëthij uerbis utar) qui serere ingenuum uolet agrum, liberat arua priùs fruticibus, falce rubos filicemq; resecat: ita & nos primùm te docebimus, quæ uoces à prædicamentis alienæ sint, ut ijs reiectis, in prædicamentorum serie collocandas faciliori ratione comprehendas. Tenendæ igitur tibi sint nouem regulæ, quas his triuialibus uersiculis comprehendi:

Complexum, consignificans, fictum, polysemum,
Vox logicæ, Deus, excedens, priuatio, parsq;,
Hæc studiose categorijs non accipiuntur.

DE REIECTIS A PRAEDICAmentorum ordine uocibus, regularum nouem Prima.

TITVLVS IIII.

Prima regularum hæc est, Nulla uox complexa, nisi simplicis loco accipiatur, in prædicamento ponitur: proinde

inde si quis te rogarit, in qua categoria collocatur iustus homo? in nulla, respondeto. Signatè autem additum est, nisi simplicis loco accipiatur, quòd ob uerborum inopiam sæpenumero pluribus pro uno cogimur uti, ita ut tametsi uoces sunt plures, intellectus tamen sit simplex, & res quæ significatur, una. Exempli gratia, corpus animatum, licet uox sit complexa, genus tamen est unum: sic & quantitas continua, & quantitas discreta.

SECVNDA.

TITVLVS V.

Nulli syncategoremati locus est in categoria. Syncategorema dicitur uox consignificatiua, id est, quæ nec uniuersalem rem, nec particularem significat, sed consignificat, id est, cum alia dictione orationem ad significādum ingreditur, ut omnis, nullus, aliquis, quidam, hic ille, utinam, quidem, apud, heu. Sciendum hoc loco est, ex octo partibus orationis (quas Grammatici constituunt) duabus duntaxat, nomini quidem & uerbo locum patere prædicamenti: participium autem sub uerbo suo comprehendi, aduerbium uerò sub nomine. Nam ut literati docent, & nomen in aduerbium, & rursus aduerbium in nomen aliquando transit. Loci aduerbia ad prædicamentum Vbi pertinent. Temporis, ad Quando. Qualitatis uerò & quantitatis aduerbia ad Qualitatem Quantitatemq; reducuntur.

TERTIA REGVLA.

TITVLVS VI.

Omnis uox rei commentitiæ & fabulosæ (quam natura non fert) significatiua, est à prædicamentis aliena: ut Cerberus, Sphinx, Chimæra, Siren, Cyclops, Harpyia, Styx, Acheron.

QVARTA REGVLA.

TITVLVS VII.

Nulla uox polysema in categoriam recipitur, nisi ambiguitate deposita unum significet: πολύσημος Græcè dicitur multa significans: ut canis terrestrem significat, marinum, & cœlestem: unde lepidum extat Ausonij de lepore capto epigramma:

Trinacrij quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem cæruleus rapuit:
At lepus: in me omnis terræ pelagiq; rapina est,
Forsitan & cæli, si canis astra tenet.

QVINTA REGVLA.

TITVLVS VIII.

Voces logicæ, quas aliarum gratia Dialectici usurpant, sunt à prædicamentis alienæ. Voces logicas, id est, rationales, appello eas, quas iuniores terminos secundæ intentionis uocant, cuiusmodi sunt: Nomen, uerbum oratio, propositio, subiectum, prædicatum, genus, species, & id genus alia.

SEXTA REGVLA.

TITVLVS IX.

Nulli dictioni infinitum significanti locus est in prædicamento. Infinitum quidem actu intelligo, non potentia. Proinde Deus, numen, æternum, increatū, creator, & id genus reliqua nullius sunt categoriæ.

SEPTIMA REGVLA.

TITVLVS X.

Omnis uox omnia rerum ambiens genera loco categoriæ uacat. Sunt autem quatuor (quæ uulgò transcendentia

dentia dicuntur) teste Ioanne Pico, ens, unum, uerum, & bonum: si ita accipiantur, ut eorum negationes sint, nihil, diuisum, falsum, & malum. Addita sunt illis alia duo, aliquid, & res, ab recentioribus Auicennam secutis.

OCTAVA REGVLA.

TITVLVS XI.

privatio

Nulla uox priuationem significans, locum habet in prædicamento, ut cæcitas, surditas, tenebræ.

NONA REGVLA.

TILVLVS XII.

partes

Nulla uox partis principij'ue materialis seu constitutiui significatiua, in prædicamenti serie reponitur. Proinde forma, materia, corpus, anima, caput, pectus, uenter, manus, pes, & id genus reliqua sunt à prædicamentis reiecta.

BIFARIAM ALIQVID LOCVM HABERE IN prædicamento.

TITVLVS XIII.

Bifariàm aliquid in prædicamento locum habet: nam aut per se in recta serie collocatur, ut genera, species, & indiuidua: aut per aliud prædicamento attinet, ídque trifariam. Primùm enim differentiæ omnes specificæ eius sunt prædicamenti, cuius genera, quorum illæ sunt diuisiuæ: non secundæ qualitatis speciei, ut ex Neotericis quidam loquaculi sophistæ falsò autumant. Deinde autem partes & principia ei predicamento attinent, cuius ea sunt, quæ ex illis constituũtur: ut caput, pes, manus ad Substantiam referuntur: unitas, & punctum ad Quantitatem. Postremò uerò motus species ad suum quæ

que terminum reducuntur: ut generatio & corruptio ad Substantiam, crementum & diminutio ad Quantitatem, alteratio ad Qualitatē, loci mutatio ad Vbi. Trapezuntius motum quidem speciem quantitatis facit: generare uerò, corrumpere, augere, diminuere, alterare, & loco mouere Actioni subijcit. Sunt qui motum ob ambiguitatem à prædicamentorum serie remouent, cùm de suis (quæ uidentur species) nō uniuocè, uerùm æquiuocè prædicetur.

DE DICTIONIBVS, QVIBVS in ordine Categorico locus est, Caput Isagoges huius secundum.

Series Categoriæ Substantiæ.

TITVLVS I.

	Substantia	
Corporea		*Incorporea*
	Corpus	
Simplex		*Mistum*
	Corpus mistum	
Animatum		*Inanimatum*
	Corpus animatum	
Sensibile		*Insensibile*
	Animal	
Rationale		*Irrationale*
	Homo	
Socrates	*Plato*	*Xenophon.*

DE IIS, QVAE SVNT PRAEdicamenti Substantiæ, regula prima.

TITVLVS II.

Omne nomen significans substantiam incorpoream,

est

est primi prædicamenti: ut, spiritus, angelus, dæmon, manes. Hoc nomine nunc intelligo animam à corpore separatam. Propertius:

Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit.

Angelus autē bifariam accipitur, nūc pro spiritu, estq́; huius categoriæ: nunc, ut est officij nomē, non substantiæ (nā ἄγγελος *Græce, interpretatur nuncius Latine) & est primi generis qualitatis, tametsi quidam in prædicamentum Ad aliquid coniijciant.*

REGVLA SECVNDA.

TITVLVS III.

Mundus, cœlum, orbes cœlestes, planetæ, stellæ, & elementa, sunt huius prædicamenti. Cœli sunt decem: Cœlum empyreum, cœlum crystallinum, firmamentum, & septem planetarum orbes. Planetæ septem sunt: *Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna: quos hoc uersu: complexi sumus:*

Luna, Hermes, Cypris, Sol, Mars, Iouis, & pater huius.

Rerum naturalium elementa sunt quatuor: Ignis, aër, aqua, & terra. de quibus hic noster est uersiculus:

Aër, ignis, aqua, & tellus, sunt semina rerum.

REGVLA TERTIA.

TITVLVS IIII.

Omnis animalis species est prædicamenti Substantiæ. Specierum animalis hæ sunt specialißimæ: ut homo, equus, leo: illæ uerò subalternæ, ut pecus, bestia, belua, fera, quadrupes, piscis, auis, serpens, uermis. Pecudis species, sunt, bos, equus, asinus, mulus, camelus, ouis, capra, porcus, ceruus, elephas, & id genus reliqua. Feræ species sunt, leo, ursus, pardus, trigis, lupus, uulpes, & id genus

cætera. Pisci subijciuntur balæna, cancer, conger, mullus, salmo, carpio, concha, ostreum, gobio, rhombus, & ceteræ species innumeræ. Auis species sunt, aquila, philomela, bubo, noctua, ciconia, passer, coruus, monedula, psittacus, perdix, turdus, uultur, & cætera. Serpentis, draco, basiliscus, uipera, cerastes, seps, natrix. Vermis, apex, araneus, bombyx, blatta, culex, crabro, gryllus, limax, pulex, papilio, hirudo, tinea, teredo, & huiusmodi alia.

REGVLA QVARTA.

TITVLVS V.

Omne nomen arboris est in categoria Substantiæ: ut, pomus, malus, pyrus, abies, laurus, salix, betula, uitis, robur, taxus, castanea, fagus, cupressus.

REGVLA QVINTA.

TITVLVS VI.

Omne nomen herbæ, huius est prædicamenti: ut, amaracus, abrotanum, mandragora, malua, hyssopus, lactuca, fœniculum, elleborus, ruta, pulegium, saluia, lappa, tribulus, anethum, urtica, trifolium.

REGVLA SEXTA.

TITVLVS VII.

Omne fruticis nomen est huius categoriæ. Dicitur autem frutex, qui ad iustam arboris magnitudinem non assurgit, & statura similis est herbis multis: sed non demoritur, neq; arescit ut herba, uerùm perennis est. Huius species sunt, nardus, myrrha, casia, genista, papyrus, arũdo. Sciẽdum est, nonnullas res easdem ab his inter arbusculas, ab illis inter frutices numerari: ut iuniperum, balsamum, myrrham, & id genus alia. De nonnullis etiam,

am; sint ne magis herbæ an frutices, dubitatur. Nec hoc *ignorandum est, à* Nicephoro *corpus animatum sensibile diuidi in animal &* Zoophytum. Dicitur *autem* ζωόφυτον, *quod nec animalium, nec plantarum, sed tertiam ex utrisque naturam habet, ut urtica marina, & spongia: de quibus uide* Plinium *libro nono, capite quadragesimo-quinto.*

REGVLA SEPTIMA.

TITVLVS VIII.

Omnia florum, fructuum, & aromatum nomina, si capiantur ut res totas & per se integras significent, sunt in ordine huius prædicamenti: ut rosa, lilium, narcissus, uiola, ligustrum, caltha, pomum, mâlum, pyrum, prunum, cerasum, morum, bacca, oliua, cornum, ficus, glans, mespilum, nux, iuglans, castanea, auellana, aroma, saccarum, cinnamonum, zingiber, piper, gariophylon, & id genus reliqua.

REGVLA OCTAVA.

TITVLVS IX.

Frumentorum & leguminum nomina sunt huius categoriæ: ut, triticum, siligo, far hordeum, panicum, milium, auena, faba, pisum, lens, eruum, lupinus, uicia.

REGVLA NONA.

TITVLVS X.

Lapidum & gemmarum uocabula sunt huius prædicamenti: ut, adamas, marmor, magnes, crystallus, succinum, smaragdus, iaspis, coralium, achates, carbunculus chrysolithus, sapphirus, silex, tophus, pumex.

REGVLA DECIMA.

TITVLVS XI.

Omnia metallorum & fossilium nomina sunt in prædicamento Substantiæ: ut, aurum, argentum, electrun, æs, orichalcum, stannum, plumbum, ferrum, alumen, sulphur, nitrum, sal, cadmia, * *uernix, minium, chrysocolla, & reliqua.*

* Vernix nomen est, neque Gręcum neq; Latinũ, sed à barbarica vulgari appellatione in formam Latinã translatũ. Vulgò enim res ipsa vernix dicitur. Est autẽ species gummi, quæ Græcis sandaracha dicitur, vt quibusdã videtur.

REGVLA VNDECIMA.

TITVLVS XII.

Omnia impreßionum nomina, siue eæ sint ignitæ, siue aereæ, siue aqueæ, siue terreæ, siue radiorum apparitione fiant, huius sunt prædicamenti. Impressio à philosophis res naturales indagantibus, dicitur corpus mistum, imperfectum. Impreßiones ignitæ sunt, stipulæ ardentes, æges, dali, sydus uolans, candelæ, trabes, columnæ, teretes lanceæ, clypei, globi, faces ignitæ, pyramides, draco uolans, & similes. Adduntur his cometes, & galaxias. Impreßiones aqueæ sunt, uapor, pluuia, ros, pruina, nix, grando, fontes, flumina, mare. Aereæ, uenti, terræmotus, fulmina, ecnephias, typhon. Quæ radiorum apparitione fiunt, sunt halon, iris, uirgæ, parelij. De terreis impreßionibus in proxima regula dictum est, ubi de metallis & foßilibus.

Κομήτης.
Γαλαξίας.
ἁλόν.
ἶρις.
Παρήλιοι.

REGVLA DVODECIMA.

TITVLVS XIII.

Omne nomen substantiam rei inanimatæ significans, est in categoria substantiæ. Hæc regula continet in se quasdam suprà positas, & eam breuitatis gratia damus. ob multa, de quibus nondum meminimus. Dicimus itaque montem, collem, urbem, oppidum, domum, templum turrem,

rem, tunicam, togam, gladium, cultrum, panem, uinum, lac, mel, ceruisiam, carnem, os, dolium, pateram, hastam, scrinium, & id genus reliqua, huius esse prædicamenti: nec assentimur ijs, qui simpliciter aiunt eiusmodi res ob figuram ab artifice inductam esse de quarto genere Qualitatis, cùm Substantia longè præponderet accidēti. Quisquis rectè sentit, gladium Substantiam quidem esse, figurā uerò eius Qualitatem non diffitetur. Quidam contendunt nullius esse prædicamenti nomina rerum artificio productarum, quòd Substantiam simul & Qualitatem complectantur.

Vnaquæque tamen res à forma sui habet, vt sit id quod est.

SERIES CATEGORIAE Quantitatis.

TITVLVS XIIII.

Quantitas

Continua		Discreta.
	Quantitas continua	
Intrinsecùs mensuratiua		Extrinsecùs mensuratiua.
	Quantitas continua intrinsecùs mensuratiua	
Latabilis		Illatabilis.
	Linea	
Hæc linea	Ista linea	Illa linea.

DE IIS, QVAE SVNT PRAEDICAMENTI Quantitatis, regula prima.

TITVLVS XV.

Omne nomen magnitudinis est in prædicamēto Quātitatis: ut, linea, superficies, corpus, longitudo, latitudo, altitudo, profunditas, craßities, bicubitum, tricubitum, pedale, bipedale, tripedale, sesquipedale, & id genus cætera.

REGVLA SECVNDA.

TITVLVS XVI.

Omne nomen mensuræ ad hoc prædicamentum pertinet: ut, uncia, digitus, palmus, pes, ulna, cubitum, passus, stadium, diaulus, milium, dolichus, modius, sextarius, congius, hemina, chœnix, urna, cotyla, cyathus, as & partes eius, si capiantur ita, ut meram quantitatem significent. Ponderum nomina meo iudicio sunt à prædicamentis aliena, quòd cum quantitate qualitatem significant: ut, libra, selibra, bilibris, trilibris, pondo, talentum. Sed hæc doctioribus relinquo exactiùs disputanda. Illud quoque, sit'ne linea species infima, an subalterna, quod & de tempore potest dubitari.

REGVLA TERTIA.

TITVLVS XVII.

Omne nomen numerale est huius categoriæ: ut, duo, tria, quatuor, quinque, decem, centum, mille, binarius, ternarius, centenarius. Primus autem, secundus, tertius, & id genus alia, pertinent ad prædicamentum Ad aliquid. Vnitas autem non est numerus, sed eius principium.

REGVLA QVARTA.

TITVLVS XVIII.

Omnis modulus, quo dictionem dum proferimus, mensuramus, est huius prædicamenti: nam quantitas, id est, quo syllabæ longæ breuésue mensurantur, ex quo prouenit oratio, species est discretæ quantitatis.

REGVLA QVINTA.

TITVLVS XIX.

Locus & tempus sunt categoriæ quantitatis, tametsi quidam locum in prædicamento Ad aliquid, reponant: & Diuus Aurelius Augustinus in confeßionum opere fatea-

tur

tur se, quid sit tempus, ignorare. Aeuum quoq; huius prædicamenti esse censensum est, æternitatem uerò nullius. Partes temporis sunt, hora, dies, septimana, mensis, annus, olympias, lustrum, seculum, & id genus reliqua.

SERIES PRAEDICAMENTI Ad Aliquid.

TITVLVS XX.

Ad aliquid

Aequaliter comparabile		Inæqualiter comparabile.
	Ad aliquid inæqualiter comparabile	
Dignius correlatiuo		Indignius correlatiuo.
	Relatiuum correlatiuo dignius	
Respiciens filium		Non respiciens filium.
	Pater	
Hic pater	Iste pater	Ille pater.

DE IIS, QVAE SVNT PRAEdicamenti Ad aliquid, regula prima.

TITVLVS XXI.

Omne categorema principali significatu rem significans non absolutam, sed alterius respectiuam, est prædicamenti Ad aliquid: ut, pater, filius: auus, nepos: maritus, uxor, socer, gener: magister, discipulus: patronus, cliens: dominus, seruus: rex, parasitus: patronus, libertus (est autem patronus nomen ambiguum, & modò ad clientem refertur, modò ad libertum) dux, comes: duplum, dimidiũ: magnum, paruum: multum, paucum: maius, minus: prius, posterius:

posterius: amicus, inimicus: hospes, ciuis: socius, sodalis, hostis, similis, dissimilis: æqualis, inæqualis, & alia sexcenta.

SECVNDA REGVLA.

TITVLVS XXII.

Nomina cognationis & affinitatis sunt huius categoriæ: ut, parens, proles, pater, filius, auus, nepos, frater, soror, sobrinus, consobrinus, coniunx, compater, affinis, leuir, socer, gener, uitricus, priuignus.

TERTIA REGVLA.

TITVLVS XXIII.

Pleraque nomina cum præpositione composita, huius sunt prædicamenti: ut, commulito, collega, consacerdos (qui Græcè symmystes dicitur) concanonicus, conuictor, contubernalis, condiscipulus, coauditor, compotor, competitor, collacteus, collactaneus, conseruus, cognominis, consanguineus, coëpulo, cohabitator, confabulator, congerro, coniunx, concolor, consonus, & eiusmodi reliqua.

SERIES PRAEDICAMENTI Qualitatis.

TITVLVS XXIIII.

Qualitas

Formæ attinens — Materiæ attinens.

Qualitas formæ attinens

Comparata — Natura insita.

Affectio

Facilè dimobilis — Difficulter dimobilis.

Habitus

Spiritualis — Corporalis.

Habitus spiritualis

Intellectualis — Moralis.

Habitus

Habitus intellectualis

Theoreticus | Practicus.

Habitus intellectualis Theoreticus

Conclusionis | Principiorum.

Scientia

Contemplatiua | Actiua.

Scientia contemplatiua

Principalis | Adminiculatiua.

Logice

Disputatoria | Non disputatoria.

Dialectice

Hæc Dialectice, Platonis Dialectice, Chrysippi Dialectice.

DE IIS, QVAE SVNT PRImæ speciei Qualitatis, regula prima.

TITVLVS XXV.

Omnis dispositio & habitus corporalis est in primo Qualitatis genere: ut, calor, frigiditas, sanitas, simitas, cæcitas, candor, nigredo, fuscum, robur, ægritudo, morbus, & eius species: ut, febris, paralysis, pleuritis, podagra. Dispositio, quæ & affectio dicitur, & latiùs accipitur & preßiùs. Primo modo est qualitas ad benè maléue operandum acquisita. Secundo est qualitas ad bene maléue operandum acquisita, perfacilè à subiecto dimobilis. Habitus est ad operandum comparata qualitas, difficulter à subiecto dimobilis.

REGVLA SECVNDA.

TITVLVS XXVI.

Omnis habitus intellectualis est in primo genere Qualitatis. Habitus intellectuales sunt quinque, quibus semper assent

assentimur uero: Sapientia, Intellectus, Scientia, Prudentia, & Ars. Duo, quibus modò uero assentimur, modò falso: sunt autem opinio & suspicio. Sapientia est habitus cognitiuus Dei & diuinorum. Intellectus est habitus primorum principiorum cognitiuus. Scientia est habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus. Prudentia est recta ratio rerum à nobis agendarũ. Ars est recta ratio rerum à nobis efficiendarum. Opinio est assensus rei ualidior. Suspicio est assensus rei minùs ualidus. Scientiarum igitur & artium nomina in hoc genere collocantur, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, Physice, Ethice, Metaphysice, Poëtice, agricultura: militia, lanificium: & id genus alia.

TERTIA REGVLA.

TITVLVS XXVII.

Omnes habitus morales, id est, uirtutes & uitia sunt in hoc primo genere Qualitatis: ut, iustitia, iniustitia, fortitudo, audacia, timiditas, liberalitas, auaritia, prodigalitas. A Theologis nostris ponuntur etiam in hac specie habitus spirituales infusi: ut, fides spes, charitas, & id genus uirtutes supernaturales: item habitus concreati, ut species intellectuales, & rationes Angelorũ mẽtibus concreatæ. sed huiusmodi habitus non capit definitio à ueteribus Peripateticis data: nec mirum, cùm illi ueræ religionis ac sapientiæ expertes, id genus habitus non nouerint. Quare malim eos reponere inter Qualitates præter hæc quatuor genera apparentes, aut aliam tradere habitus finitionem, atque uulgò datur. Nec mirandum uideatur,

tur, quòd dixerim, Qualitates præter hæc quatuor genera apparentes. Nam, Seuerino Boëthio interprete, Aristotelis in prædicamentorum libro hæc uerba sunt: Et fortasse alij quoque apparebunt Qualitatis modi, sed qui maximè dicuntur, ferè tot sunt.

QVARTA REGVLA.
TITVLVS XXVIII.

Nomina magistratuum & dignitatum sunt in hoc primo genere Qualitatis: ut: pontifex, episcopus, sacerdos, rex, consul, prætor, censor, ædilis, & id genus reliqua. Pauper itē, diues, fortunatus, infortunatus, beatus, fœlix, miser, nobilis, ignobilis, honoratus, gloriosus, & huiusmodi nomina, sunt huius speciei.

DE IIS, QVAE SVNT SEcundæ speciei Qualitatis, regula prima.
TITVLVS XXIX.

Omnis naturalis potentia uel impotentia, est in secundo genere Qualitatis. Naturalis potentia est qualitas ad benè operandum innata: ut, salubritas, durities. Naturalis impotentia est qualitas ad malè debiliterue operandum, aut ad patiendum innata: ut, insalubritas, mollities. Trapezuntius autem in Dialecticis: Naturalis (inquit) potentia, uel impotentia, dicitur uis quædam insita, uel imbecillitas, qua faciliùs quicquam aut ægriùs uel pati, uel agere natura potest: ut, durum, molle, ualetudinarius, robustus, & quæ huiusmodi sunt naturâ insita, non aduentitia. Hæc ille. Vires igitur naturales planetarum, syderum, elementorum, animalium, plantarum, lapidum, & cæterorum, sunt huius generis.

REGVLA SECVNDA.

TITVLVS XXX.


Omne simpliciter speciei proprium, est in hoc secundo genere Qualitatis: ut, risibile, flebile, disciplinæ susceptiuum, hinnibile, latrabile, mugibile, gannibile, & eiusmodi alia.

REGVLA TERTIA.

TITVLVS XXXI.

Omnis animæ potentia est huius secundi generis. Animæ potentia uis est eius, qua alicuius operis est effectiua. Eius quinque sunt genera, ut hæc subiecta indicabunt.

Poten-


Poten=
tia
Vegetabilis
Alendi
Augendi
Minuendi
Generandi
Sensitiua
Exterior
Visus
Auditus
Odoratus
Gustus
Tactus
Interior
Sensus communis
Imaginatio
Existimatio
Phantasia
Memoria
Appetitiua
Cupiendi
Irascendi
Volendi
Motiua
Progrediendi
Nandi
Serpendi
Volandi
Intellectiua
Simplex apprehendendi
Componendi
Diuidendi
Ratiocinandi
Contemplandi
Consultandi
Agens
Poßibilis.

Non ignorandum est, ab Auicenna, Alberto Magno, & plerisque alijs poni quinq; sensus interiores: Sensum communem, uim imaginatiuam, existimatiuam, phantasiam, & memoriam. Ab Auerrhoi uerò, Thoma Aquinate, & Marsilio Ficino in libro de uoluptate, quatuor duntaxat, uim existimatiuam à phantasia non separantibus. Nicephori, hominis alioqui præstantis doctrinæ, opinio neutiquã mihi probatur, uisum & cæteros sensus ponentis in ea Qualitatis specie, quæ dicitur habitus & affectio.

DE IIS, QVAE SVNT TERtiæ speciei Qualitatis, regula prima.

TITVLVS XXXII.

Omnis paßio & paßibilis qualitas est in tertio genere Qualitatis. Paßio (ut hìc accipitur) est qualitas transiẽs, quæ sensui paßionem infert, aut quæ à paßione infertur: ut, rubor ex uerecundia, excandescentia ex ira, pallor ex timore, ira ex contristatione. Paßibilis qualitas dicitur qualitas permanens, quæ sensui paßionem infert, aut quæ infertur à paßionibus: ut, dulcedo, amarities, albor, nigror.

Paßio modò est actionis affectus prædicamentum quidem ab alijs distinctum, ut calefieri, infrigidari: modò est qualitas transiens uel animæ, uel corpori ex paßione innata, & res quædam media inter paßionem & qualitatem, qualitas, inquam, inchoata & imperfecta, quæque non potis est subiectum denominare: ut, ira ex contentione, erubescentia ex uerecundia.

SECVNDA REGVLA.

TITVLVS XXXIII.

Omnis qualitas sensibilis in hoc tertio genere colloca-

tur:

tur: ut, color, album, nigrum, flauum, liuidum, puniceum, purpereum, uiride, cœruleum, ſonus, uox, murmur, crepitus, ſuſurrus, ſtrepitus, fragor, ſibilus, echo, odor, ſapor, dulce, amarum, pingue, ſalſum, acre, auſterum, acutum, acidum, calidum, frigidum, tepidum, humidum, ſiccum, leue, aſperum, graue, leue.

TERTIA REGVLA.

TITVLVS XXXIIII.

Paßiones animæ, quæ & affectiones, & perturbationes dicuntur, à quibuſdam in hac tertia ſpecie collocantur. Iacobus autem Faber Stapulenſis, homo doctißimus, & de optimis ſtudijs ſcribendo meritus optimè, ponit eas in prædicamento Paßionis: nos ſuprà medias eſſe diximus inter Paßionem & Qualitatem. Stapulenſis Ariſtotelis uerba penſitat, illas Paßiones aientis, Qualitates uerò minimè: penſitat & originem earundem, & (ut ita loquar) fluxitatem. Illi autem rem putant Paßioni ſuperadditam, etſi non Qualitatem perfectam, at ſemen & elementum Qualitatis: undeq́; , ſi acceſſerit permanentia, facilè paßibilis Qualitas coaleſcat. Paßiones animæ duodecim Egidius Romanus, & alij neoterici ponunt: Amorem, deſiderium, odium, abominationem, dilectionem, dolorem ſeu triſtitiã, ſpem, deſperationem, audaciam, timorem, iram, ſegnitiem. His adduntur à quibuſdam zelus, gratia, nemeſis, miſericordia, inuidia, erubeſcentia. Nonnulli ſpecies quoq; rerum tum ſenſibilium, tum intelligibilium & Paßiones appellant, & in hoc tertio genere Qualitatis reponunt.

DE IIS, QVAE SVNT QVARtæ speciei Qualitatis, regula prima.

TITVLVS XXXV.

Omnis figura, & circa unumquodque constans forma est in quarto genere Qualitatis. Seuerinus Boethius figuram & formam hoc modo separat: Figura inquit, est triangulum uel quadratum: forma autem ipsius trianguli uel quadrati quædam Qualitas: unde etiam formosos homines dicimus. Figura enim quædam uel pulchior, uel mediocris, uel alio quodam modo constituta qualitas, forma nominatur. Figura (ut Geometræ definiunt) est, quæ sub aliquo uel aliquibus terminis continetur. Sub aliquo quidē, ut circulus: sub aliquibus uerò, ut triangulum uel quadratum. Nicephorus inter figuram & formam hoc discrimem tradit: Figura dicitur talis expressio, & linearis effectio: Forma extrinsecùs prominens coloris qualitas, idea, & informatio, & interpolata coloratio, & simpliciter talis quædam iniecta uisui, superficiei forma. Sunt qui figuram in rebus inanimatis accipiant, formam autem in rebus animatis. Alij porrò figuram quidem fastigiose cedentem: formam uerò supernam superficiem uocant. Hactenus Nicephorus.

SECVNDA REGVLA.

TITVLVS XXXVI.

Omnis qualitas circa quantitatem consistens, est in hoc quarto genere: ut, paritas & imparitas circa numerum: rectitudo & curuitas circa lineam: concauum conuexum, & planum circa superficiem: teres, rotundum, orbiculare, turbinatum, pyramidale, quadratum, trigonum, tetragonum, pentagonnm circa corpus.

SERIES PRAEDICAMENTI Actionis.

TITVLVS XXXVII.

Actio

Immanens — Transiens.

Actio immanens

In intellectu — Extra intellectum.

Intellectio

Simplicium apprehensiua — Non simplicium apprehensiua.

Simplicium apprehensio.

Hæc simplicium apprehensio, ista, illa.

DE IIS, QVAE SVNT IN prædicamento Actionis, regula.

TITVLVS XXXVIII.

Omnis dictio significans agere, est huius prædicamenti: ut, calefacere, frigefacere, humectare, ſiccare, intelligere, appetere, uideri, audiri, olfaci, guſtari, tangi, ſentiri.

SERIES PRAEDICAMENTI Paßionis.

TITVLVS XXXIX.

Paßio

Spiritualis — Corporalis

Paßio ſpiritualis

Partis brutæ — Partis rationalis.

Paßio ſpiritualis partis brutæ

Senſitiuæ — Appetitiuæ.

Paßio ſenſus

Exterioris — Interioris.

Paßio sensus exterioris

Ab re uisibili illata — Non illata ab re uisibili.

Visio

Hæc uisio — Ista uisio — Illa uisio.

DE IIS, QVAE SVNT IN PRAEdicamento Paßionis, regula.

TITVLVS XL.

Omnis dictio significans pati, est huius prædicamenti: ut, ad intelligendum agi, delectari, contristari, irasci, sentiri, uidere, audire, odorari, olfacere, gustare, tangere, dementari, doceri, uri, secari, calefieri, frigefieri, humectari, siccari, discere, sperare, metuere, & id genus reliqua. Scire uerò est in prædicamento Qualitatis.

SERIES PRAEDICAmenti Vbi.

TITVLVS XLI.

Vbi

Commune — Proprium.

Vbi commune

Extra aquam — In aqua.

Vbi commune extra aquam

In ciuitate — Extra ciuitatẽ.

Vbi commune extra aquam in ciuitate.

Sub tecto — Sub dio.

Sub tecto

In loco sacro | In loco profano.

Sub tecto in loco profano

Publico | Priuato.

In ædificio priuato

In ædificio Socratis | In domo Platonis.

DESCRIPTIO VBI, EX Trapezuntio.

TITVLVS XLII.

Vbi, est quæ à loci circunscriptione procedit, corporis locatio. Nõ est enim idem Locus & Vbi: nam locus est in eo quod capit, Vbi uerò in eo quod circunscribitur.

DE IIS, QVAE SVNT IN prædicamento Vbi, regula.

TITVLVS XLIII.

Omnis dictio significans in loco, est in prædicamento Vbi: ut, in igni, in aere, in aqua, in terra, in urbe, in agro, in eremo, in uilla, in templo, in theatro, Romæ, Athenis, in Academia, in Lyceo, domi, militiæ, humi, ruri, hìc, istic, illic.

SERIES PRAEDICAMENTI Quandò.

TITVLVS XLIIII.

Quando

Præsens | Non præsens.

Quando non præsens

Præteritum | Futurum.

Quando futurum

Pauló póst futurum | Non pauló póst futurum.

Mox

Hoc mox | Istud mox | Illud mox.

DESCRIPTIO QVANDO, ex Trapezuntio.

TITVLVS XLV.

Quando est, quæ relinquitur ex tempore rerum affectio. id diuiditur in præteritum, instans, & futurū, quamuis nihil horum sit: nam cùm hæc tria tempora sint, Quādo tempus non est, sed affectio rei, quæ fuisse, uel esse, uel futura dicitur.

DE IIS, QVAE SVNT IN prædicamento Quando, regula.

TITVLVS XLVI.

Omnis dictio significans in tempore, est in categoria Quando: ut, hodie, heri, nudiustertius, superiori mense, superiori anno, mane, meridie, uesperi, cras, perendie, olim, quondam, olympiade centesima, anno ab urbis origine quingentesimo, anno à uirginis partu supra millesimum & quingentesimum decimotertio, & id genus cætera.

SERIES PRAEDICAmenti Situs.

TITVLVS XLVII.

Situs

E natura | Ex appetitu.

Situs ex appetitu

Intellectiuo | Sensitiuo.

Situs ex uoluntate.

Sui

Sui corporis | *Alieni corporis.*

Situs sui corporis uoluntarius

In pedes erecti | *Non erecti in pedes.*

Status

Hic status | *Iste status* | *Ille status.*

DESCRIPTIO SITVS, ex Trapezuntio.

TITVLVS XLVIII.

Situs est partium quædam positio ac ordinatio, quæ stantia, sedentia, aspera, læuia, & huiusmodi dicuntur.

DE IIS, QVAE SVNT IN prædicamento Situs, regula.

TITVLVS XLIX.

Omnis dictio significans positionem quandam partium ac ordinationem, est in prædicamento Situs: ut, status, seßio, accubitus, iacere, raritas, spißitudo, asperitas, læuor, accliuitas, decliuitas, inclinatio, inflexio, supinitas, & id genus reliqua.

SERIES PRAEDICAMENTI Habitus.

TITVLVS L.

Habitus

Domesticus | *Militaris.*

Habitus domesticus

Vnius partium corporis | *Plurium partium corporis.*

Habitus domesti-
cus plurium cor-
poris partium

Mediatè adiacens — Immediatè adiacens

Indusiatura

Hæc indusiatura — Ista indusiatura — Illa indusiatura.

DESCRIPTIO HABITVS.

TITVLVS LI.

Habitus est res media inter corpora, & quæ eis adiacent, secundùm quam hæc quidem haberi, illa uerò habere dicuntur: ut, armatura, tunicatio.

DE IIS, QVAE SVNT IN prædicamento Habitus, regula.

TITVLVS LII.

Omnis dictio habitum significans, est huius categoriæ, siue is sit domesticus, siue militaris, siue ad uelamen, siue ad cultum corporis pertineat: ut, armatum esse, loricatum, pharetratum, galeatum, scutatum, palliatum, togatum, pileatum, calceatum, annulatum, torquatum, coronatum, & huiusmodi alia.

DE DICTIONIBVS ALIQVOT, quæ uel ad diuersa prædicamenta, uel ad unius eiusdémque seiunctas species referuntur.

Caput huius introductionis tertium.

QVOD VNA EADEMQVE species secundùm aliud atque aliud diuersis generibus supponi poßit.

TITVLVS I.

Tametsi uerißimè dictum sit à Philosopho in prædicamentorum libro: Diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, id est, secundùm speciem differentiæ: nihilo tamen minus una eademque species pro diuersis rationibus supponi diuersis generibus potest. quod ne cui parum eruditorum mirabile uideatur, ipsius Aristotelis ex eodem libro uerba subijciã: At uerò, inquit, non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositionem facientes, multa de relatiuis interposuisse. Habitus enim & dispositiones eorum, quæ ad aliquid sunt, esse dicebamus. Penè enim in omnibus talibus genera Ad aliquid dicũtur, nihil autem eorum, quæ singula sunt. Et non multò pòst subdit: Amplius si contingat hoc ipsum & Quale, & relatiuum esse, nihil est incõueniens in utrisque hoc generibus enumerare. Quæ uerba Boëthius enarrans: Nam cùm sit uerum (inquit) unam eandemq; rem duobus diuersis generibus non posse esse suppositam, illud tamen conuenit, secundùm aliud atque aliud, unam eandémque speciem duobus generibus posse subnecti.

DE HABITV, DISPOSITIONE, *scientia, sensu, & positione.*

TITVLVS II.

Sicut Aristoteli & Boëthio placet, habitus (quæ & habitudo dicitur) dispositio, scientia, & sensus, modò in relatione, modò in qualitate numerantur. In relatione quidem: nam & habitus habilis rei habitus dicitur: & res habilis habitu habilis. Dispositio dispositæ rei dispositio: disposita res dispositione disposita. Scientia scibilis rei scientia: scibilis res scientia scibilis. Sensus sensibilis

rei

rei sensus: sensibilis res sensu sensibilis. In Qualitate uerò, quòd ab eis subiecta qualia denominantur. Sic & positio nunc ad aliquid est, in eo quòd positæ rei positio est: & posita res est positione posita: nunc prædicamentum ab alijs distinctum, quod & Situs dicitur, in eo quòd ab illa sedentia, stantia, rara, spissa, aspera, læuia, & eiusmodi denominantur. Recentiores Dialectici duplicia relatiua constituentes, hæc quidem, quæ appellant secundùm dici, illa uerò secundùm esse, nihil ex alijs prædicamentis inter relatiua secundùm esse numerant: at nõ parùm multa inter secundùm dici relatiua. Hoc insuper addunt, priorem Ad aliquid definitionem à Platone profectam, utrisque relatiuis conuenire, quam Aristoteles posteriore solis secundùm esse relatiuis conuenienti, iure correxerit.

DE RARO, SPISSO, LAEuo, & aspero.

TITVLVS. III.

Rarum, spissum, læue, & asperum (si Alberto Magno credimus) trifariàm accipiuntur. Primùm quidem, ut positiones quasdam partium significent. Nam rarum ideo uocatur, quia partes eius ita distant à se, ut inter eas alieni generis corpus poßit admitti: ut spongia, pumex. Spissum, quoniam ita sibi partes uicinæ sunt, atque ad se inuicem strictæ, ut inter eas nullum corpus poßit incidere: ut, ferrum, adamas. Læue, quòd eius partes æquali iacent superficie, ita ut nulla earum emineat: ut, lamina argentea. Asperum, cuius partes inæqualiter sitæ sunt, ita ut aliæ emineant, aliæ uerò sint depressæ: ut, tyrocnestis. Et hoc modo sunt in categoria Situs. Deinde autem, ut tactui inferunt paßionem, & sic in tertio Qualitatis genere collocantur.

cantur. Postremùm uerò, *ut figuræ sunt, & in quarta specie Qualitatis reponuntur.*

DE CALIDO, HVMIDO, & lumine.

TITVLVS IIII.

Calidum, humidum, & lumen primùm quidem spectantur: ut, igni calidum naturâ inest, aquæ humidum, lumen corpori luminoso: suntq; in secundo genere Qualitatis. Deinde *autem, ut substantiarum susceptibilium affectiones sunt, & in primo Qualitatis genere collocantur.* Postremùm *uerò, ut sensum paßione afficiunt, lumen quidē uisum, illa uerò tactum, & sunt tertij generis eiusdē prædicamenti.*

DE DOCTORE, IMPERAtore, uiro, comite.

TITVLVS V.

Doctor si ad discipulum refertur, est in categoria Re*latiuorum: nam doctor discipuli doctor est, & discipulus est doctoris discipulus.* Si *eum significat, qui docendi quopiam habitu præditus est, tametsi iam nemo sit ei discipulus, est in prima specie Qualitatis.* Ita Imperator, *cùm ad exercitum mutuò refertur, nomen est ad aliquid: cùm eum significat, qui habitum & authoritatem habet imperandi, in primo Qualitatis genere numeratur.* Porrò, *uir, si maritum significat,* Re*latiuum nomen est: si sexum, in secunda specie Qualitatis: si ætatem, in prima eiusdē collocatur.* Comes *uerò si ducis comes dicitur,* Re*latiuū est indignius* Correlatiuo: *sin autem comitis comes, ut in illo* Mimographi, Comes *facūdus in uia pro uehiculo est,* Re*latiuum est æquali consistens comparatione.*

FINIS.

LVGDVNI,
Excudebat Ioannes
Marcorellius.
1568.